Passerini
19



45. fr..

Digitized by Google

M. Langlet du Fresnoy dit que ce livre est Très-rare, dans le Catalogue des livres necessaires pour la lecture de l'Histoire. Methode pour etudier l'Histoire. T. V. p. 389. Amsterdam 1737. 12 ✝✝ [illegible]

De singulari raritate huius libri Vide Vogt. Notit. libror. rarior. p. 535.

✝✝ maioris Editionis T. III. p. 311.

BAPTISTÆ SACCHI CREMONENSIS, EX VICO PLATINA, VULGO' APPELLATI PLATINÆ, HISTORIA INCLYTÆ VRBIS MANTVÆ ET SERENISSIMÆ FAMILIÆ, GONZAGÆ,

IN LIBROS SEX DIVISA,

ET NVNC PRIMVM
EX AVGVSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI A' PETRO LAMBECIO, S. CÆS. MAJESTATIS CONSILIARIO, HISTORIOGRAPHO ET BIBLIOTHECARIO, IN LVCEM EDITA, ATQVE NECESSARIIS ANNOTATIONIBVS ILLVSTRATA.

VINDOBONÆ,
Sive Wiennæ Auſtriæ, typis Joannis Chriſtophori Coſmerovij, S. Cæſ. Majeſt. Typographi, A. MDCLXXV.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
FERDINANDO CAROLO GONZAGÆ,
MANTVÆ ET MONTIS-FERRATI DVCI,

PETRVS LAMBECIVS HAMBVRGENSIS, S. CÆS. MAJESTATIS CONSILIARIVS, HISTORIOGRAPHVS ET BIBLIOTHECARIVS,

SALVTEM ET PROSPERITATEM PERPETVAM.

BAPTISTÆ PLATINÆ, Viri ætate ſuâ doctiſſimi, & relictis varijs ingenij monumentis etiamnunc celeberrimi, HISTORIAM MANTVANAM, quæ in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ Vindobonenſi

antehac manuſcripta tantùm delituit, in publicam editurus lucem, & cum toto erudito Orbe, à quo ea jam diu ſingulariter fuit deſiderata, fideliter communicaturus, jure ac merito, SERENISSIME PRINCEPS, præ omnibus alijs TVÆ potiſſimùm SERENISSIMÆ CELSITVDINI illam dedico & conſecro; certiſſimè ſperans atque confidens, fore, ut candida & ſincera hæc MANTVANÆ & GONZAGICÆ GLORIÆ ad poſteros propagandæ intentio clementiſſimâ Æquanimitate æqui bonique conſulatur, aut, ſi fortè minùs placuerit, facilem conſequatur veniam. Quâ fiduciâ fretus, ſecurè acquieſco; &, quod ſupereſt, DEVM OPT. MAX. ardentiſſime oro & precor, ut SERENISSIMAM CELSITVDINEM TVAM & hunc, quem modò orſi ſumus annum, & quàm plurimos alios, quoadusque longiſſimus vitæ humanæ pertingit terminus, ſalvam conſervet atque incolumem, & omnigenâ felicitate florentem, omnipotenter protegat. Vindobonæ d. VIII Januarij A. CIƆ IƆC LXXV.

P. VIR-

P. VIRGILIVS MARO:

ILle etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ MANTVS & Tuſci filius amnis,
Qui muros, matriſque dedit tibi, MANTVA, nomen:
MANTVA dives avis; ſed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex; Populi ſub Gente quaterni:
Ipſa Caput Populis; Tuſco de ſanguine vires.

C. SILIVS ITALICVS:

MANTVA Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Evecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris.

ANGELVS POLITIANVS:

SMyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ,
Mœonidæ certant de ſanguine Vatis: at unam,
Crede; Bianoream manet hæc victoria Gentem,
Editus unde MARO; quo non felicior alter,
Seu ſylvas, ſeu rura canit, ſive arma virúmque.
Námque Syracoſijs cùm vix aſſurgat avenis,
Heſiodum premit, & magno contendit Homero.
Dum ver triſtis hyems, autumnum proferet æſtas,
Dum mixta alternas capient elementa figuras
Semper erit magni decus immortale MARONIS.
Semper adoratos fundent hæc gramina flores;
Vnde piæ bibetis apes; unde inclyta nectat
Serta comis triplici juvenalis gratia dextrâ.
Sic Phoebus canit & venturi præſcia MANTO:
MANTO, quæ juvenem fluvio conceperat Ocnum:
Ocnum, qui matris dederat tibi, MANTVA, nomen:
MANTVA, quæ vitam magno das prima MARONI.

Baptista Mantvanvs:

Mollia longinqui jactent ſua vellera Seres,
Heſperidum ſua poma nemus, ſua thura Sabæi
Æthiopes nigri ſua cinnama; Perſidis ora
Divitibus gemmis, fulvóq; ſuperbiat auro:
Proventu majore meos pubeſcere campos
Dicere, & has illis præponere frugibus auſim.
Cederet his agris Trinacria; cederet hortus
Alcinoi, & Veneris tellus pulcherrima Cypros;
Cederet his agris Crete, Pelopisq; Lacæni
Inſula; ſit licet hæc Spartâ veteriq; Corintho,
Illa Jovis cunis, atq; Vrbibus inclyta centum.
Cederet omnis ager; nec ſeſe MANTVA tantùm
VIRGILIO, & ducibus Lydis, & ſanguine magni
Tireſiæ claram agnoſſet, magis inclyta quando
GONZAGÆ ſplendore DOMVS evaſit, & altis
Ingenijs, animisq; Virûm; qui bella per omnem
Sæpiùs Italiam parto clauſere triumpho.

Jvlivs Cæsar Scaliger:

MANTVA, cùm veteri turgeret Hetruria regno,
Sceptráq; terrarum jungeret aucta mari,
Mole novâ tumuit, ſolijsq; excrevit avitis,
Vt premeret forti jura aliena pede.
Inde eſt in ſuperas deducta colonia terras;
Non tamen his potuit MANTVA tota dari:
Clara Viris, felix Ducibus, divo inclyta Cygno
Quem vitreis aluit Mincius Andis aquis.
MANTVA, dives avis, magno non ceſſerit Orbi;
Tota tamen parte hâc vincitur ipſa ſui.

BAPTI-


BAPTISTA SACCHVS CREMONENSIS EX VICO PLATINA, VVLGO AP-PELLATVS PLATINA.

BAPTISTÆ SACCHI, CREMONENSIS, EX VICO PLATINA,

PROOEMIVM IN HISTORIAM VRBIS MANTVÆ GONZIACÆQVE FAMILIÆ AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM, DOMINVM FRANCISCVM CARDINALEM MANTVANVM.

MVltarum quondam Civitatum nomina, cùm vetuſtate, tùm gloriâ domi ac militiæ partâ, non admodùm Mantuam Vrbem præcellentium, ab optimis Hiſtoricis mandata literis, Ampliſſime Pater Franciſce Gonzaga, legiſſe me memini. Malè enim cum illis actum eſſet, qui primum ac ſecundum in virtute gradum retinent, ſi eorum tantùm, qui ſupremum attigêre, memorabile nomen monumentis literarum traderetur. Segnes nimirùm fierent homines propoſitâ deſperatione, & minimaque neglecta in ſitu ac tenebris jacerent, nec ultrà ſeſe attollerent, propriâ laude defraudatâ. Contrà verò, ubi

virtutem quantulamcunque homines in pretio eſſe vident, eorúmque memoriam celebrant, qui aliquid fortiter ac conſtanter egêre, ad laudem excitati, honeſtiſſimum laborem turpi otio anteferentes, benè de ſuis Rebuſpublicis promereri ſtudent. Ne igitur Tibi ac Tuæ Civitati tale aliquid accideret, Mantuanæ Reipublicæ ac Gonzagæ Gentilitatis, unde originem ducis, quámque celebriorem Tuo Cardinalatu efficis, res geſtas conſcribere inſtitui, ab eo tempore exorſus, quo primùm aliqua libertas Civitatibus Italicis, exſtincto aliquantulùm furore Barbarico, vix tandem affulſit. Atque haud ſcio, an ulli magis quàm mihi hic labor conveniat, quem & Civitas Tua propè aluit, & Illuſtris Pater tuus munificentiâ & gratiâ in Studijs literarum continuò juvit, & Tu (quod pluris ſemper faciam, quódque è memoriâ meâ nunquam excidet) autoritate, quâ vales plurimùm, ab interitu me liberâſti, liberatum munificè adhuc foves, atque adeò juvas, ut liberiore vitâ atq; ingenio in Vrbe Româ me certè fruatur nemo. Quod equidem his miſeris temporibus, quibus ingenia contemnuntur, multifaciendum cenſeo. Nemo eſt enim vel maximè eruditus, Platinâ excepto, ſi tamen in doctorum numero ſum cenſendus, cui victûs causâ ſervilis ac miſera vita non ſit ducenda. Libera debent eſſe ſcribentium Ingenia, & omnis ab eorum mentibus abradenda eſt ſolicitudo; quod contrà accidit, cùm labore, vigilijs, inediâ, in nugis

qui-

quibuſdam (quod dolendum eſt) & ſervili conditione obruuntur. Sed omittamus has querelas, minimè, ut arbitror, ingenijs profuturas, quando & mala tempora, &, qui rerum potiuntur, peſſimo exemplo doctis omnibus adverſantur. Ad res Majorum Tuorum benè de Eruditis meritorum nunc tandem redeo, quas vel proprijs, vel alienis auſpicijs geſsêre. Nihil profectò ducentis jam propè annis in Galliâ Ciſalpinâ memoriâ dignum vel bello vel pace geſtum eſt, cui non aliquis ex tuis Gentilibus cum dignitate interfuerit. Quare hæc, tanquam hæreditarium munus, Te adhortor obſecróq; ut legas atque intuearis, ut hinc & Tuorum & aliorum exemplo, quod imiteris, deligas. Nulla ſiquidem ad inſtitutionem humanæ vitæ commodior aut facilior via eſt, quàm rerum antè geſtarum cognitio, quas Hiſtoria continet. Ex hâc enim, non quid una, ſed quid omnes ætates egregiè fecerint, colligentes, Magiſtram Vitæ Vetuſtatem ipſam habituri, privati etiam quovis Imperio digni efficimur. Hinc præthereà ad Prudentiam, ad Fortitudinem, ad Modeſtiam, ad omnes denique Virtutes, animi hominum ita incenduntur, ut laude nil antiquius, turpitudine verò nil deteſtabilius, exiſtiment. Quòd ſi Veteres illi, apud quos Virtus in pretio fuit, celebrari Majorum ſuorum ſtatuas in foro poſitas pro templis in locis publicis volebant, ad uſum credo hominum reſpicientes, quanti à nobis facienda eſt Hiſtoria, quæ

non muta ut ſtatuæ, non vana ut picturæ, veras præclarorum Virorum Imagines, quibuſcum loqui, quos conſulere & imitari, ut vivos, fas eſt, nobis exprimit? Adde quod Hiſtoriæ lectio ad Eloquentiam, ad Vrbanitatem, ad uſum rerum quâvis facultate gerendarum confert plurimum, atque adeò, ut eos etiam, qui rebus geſtis minimè interfuêre, dum aliquid compoſitè atque eleganter narrant, pluſquam ceteros ſapere atq; intelligere arbitremur; hos item, ac ſi omnes omnium ætates vixiſſent, prudentiores ceteris exiſtimemus. Sed jam tandem huic Procemio finem imponam, cùm certò ſciam, Te Vrbis Tuæ laudes, cujus Originem inprimis refero, ac Majorum Tuorum res geſtas (ut optimum Nepotem decet, nec à tàm excellenti Progenie degenerantem) libenter ac cupidè lecturum.

LIBER PRIMVS HISTORIÆ MANTVANÆ, AD AMPLISSIMVM PATREM FRANCISCVM GONZAGAM CARDINALEM MANTVANVM.

VRbem Mantuam ab Hetruſcis originem traxiſſe, graviſſimi autores ſunt Livius ac Plinius. Tuſcorum ſiquidem Gentem ex Lydiâ multos annos ante Bellum Trojanum in Italiam veniſſe conſtat, eámque incoluiſſe partem, quæ inter Apenninum Montem

tem & Inferum Mare Tiberimq; ac Macram fluvios clauditur. Vixiſſe autem duodecim Hetruriæ Populos (tot enim fuerunt) per aliquot annos ſub uno Rege accepimus. Mox ubi Regia Poteſtas gravior illis viſa, ex ſingulis Populis ſingulos Principes, quos illi more Gentis Lucumones appellabant, qui communi conſilio totam regerent Provinciam, creare cœperunt. Sub quo Magiſtratu paribus auſpicijs parique voluntate Provincia gubernata, tantùm opibus, potentiâ, multitudine ſobolis accrevit, ut ſe intra ſuos fines ampliùs non contineret. Ductis itaque trans Apenninum duodenis Colonijs, quot erant originis Capita, (quarum præcipuæ fuerunt Vrbes Mantua & Adria, unde nomen Adriatico Mari inditum eſt) omnia trans Padum loca uſque ad Alpes præter extremum Venetorum angulum occupârunt. Ex tot autem Colonijs, maximè verò Tranſpadanis, ſolam Mantuam reliquam fuiſſe ſuis temporibus Plinius ipſe teſtatur. Quo autem tempore & à quo principio, Populóve Hetruriæ, non Originem ſolùm, ſed ipſum Nomen, quod adhuc retinet, Vrbs ipſa acceperit, nulli Autores tradunt præter unum Virgilium Poetarum Principem, qui in divino Poemate ſcribit, Æneam bello à Rutulis preſſum, ad florentes Hetruſcorum opes confugiſſe: quod ſupra trecentos annos ante Romam conditam fuiſſe conſtat; antè verò quam Verona, Brixia, Bergamum, Mediolanum, ſupra quadringentos

& quinquaginta; ante Cremonam & Placentiam ductas à Populo Romano Colonias, ſupra octingentos. Hetruſcorum verò Princeps in condenda Vrbe, ſi commento poetico Maronis credimus, Ocnus fuit, Tuſci amnis & fatidicæ Mantûs filius. Concedi hoc quidem tanto Poetæ non injuriâ poteſt, quòd miſcendo homines Divis primordii Patriæ auguſtiora fecerit. Nam quòd Tuſcus erat, Tuſci amnis, quòd divinandi arte pollebat, quâ periti maximè habebantur Hetruſci, fatidicæ Mantûs filium vocat. Vates enim græco ſermone Μάντης, & ipſa Divinatio Μαντεία vocatur; quâ ſcientiâ uſque adeò Hetruſci claruêre, ut ab his Romani & poſcendi Deorum veniam & Aruſpicinæ artem petere non erubuerint. Ex quo præcipuè duodecim Populorum Vrbs ipſa Originem ducat, nemo eſt, qui ſatis tradat; quam tamen conſtat à triplici Coloniâ datâ, inque Tribus quaternas diviſâ, conditam fuiſſe; unde Populorum Caput non inſolenter appellatur. Sunt qui Originem tàm vetuſtæ Vrbis Tireſiæ Mantonis Patri adſcribant, exiſtimantes eo nobiliorem ipſam videri, quo ejus principia à vetuſtioribus deducta ſint fabulis. Conceduntur hæc Poetis; Hiſtoricis non item: quos certè ab omni mendacio omníque poetico figmento procul eſſe oportet. Ex Tireſiâ Vate Mantonem, ex Mantone rurſùm quis Ocnum genitum neget, cùm ex prudentiâ inventio, ex inventione actio ipſa rerum benè ac prudenter

geren-

gerendarum oriatur? ex quâ & primordium Vrbibus & augmentum auſpicatiſsimum traditur. Teneamus itaque Vrbem Mantuam ab Hetruſcis, Gente quidem vetuſtiſſimâ, & quorum opes maximè floruerunt, aut ante adventum Æneæ in Italiam, aut non ita multò pòſt conditam. Quæ Civitas Populo Romano imperante ſemper in fide permanſit: non Mutinenſi bello ſtudio partium, non Bebiaco magnitudine pollicitationum, non terrifico Barbarorum adventu in Italiam, ab Imperio unquam defecit. Vi tandem coacta, & magnis cladibus feſſa, deficiente Romani Imperij Majeſtate ac Nomine, eam ſubijt conditionem, quam ceteræ Vrbes, Gothis & Vandalis ferro ac flammâ Italiam devaſtantibus. Sed illa inſignis calamitas hujus Civitatis eſt habita, quâ ab Atilâ crudeliſſimo Hunnorum, à Cacanno Bavarorum, ab Agilulpho Longobardorum Rege, diverſis temporibus expugnata, direpta ac everſa eſt. Pulſis deinde à Carolo Magno Longobardis, qui ducentis & triginta duobus annis Italiæ avarè crudelitérq; imperaverant, formam aliquam Civitatis Vrbs Mantua ſuſcipere viſa eſt; in quâ haud ita multò pòſt Chriſti Sanguis, quem Longinus Martyr unà cum Spongiâ, quâ in Cruce potus eſt, ad Sacellum Sancti Andreæ recondiderat, Adalberti Sanctiſſimi Viri diligentiâ, Deo admonente, egeſtâ humo, inventus eſt. Miraculis divulgata res fecit, ut Leo Tertius Summus Pontifex, à Populo Romano ſeditio-

tionibus diu vexatus, longo Præſulum comitante cœtu, Româ Mantuam contendens, magnum ſuâ autoritate non ex Italiâ modò, ſed & ex Germaniâ & Galliâ, eò hominum numerum ad præſtitutam diem exciverit. Nunciatum enim erat ubiq; per Præcones, Pontificem in celebritate Aſcenſionis Chriſti Mantuæ futurum, factóq; de more Sacrificio, Divinum Sanguinem populo oſtenſurum. Capere igitur tantam multitudinem Vrbs non potuit; unde paſſim in ſuburbijs recipere convenas neceſſe fuit. Peracto Sacrorum ſolenni, dedicatóq; Divi Andreæ Sacello, Pontifex cum omni Aulâ magnificé ac ſplendidè à Populo Mantuano habitus, inde ad Carolum in Germaniam abijt, relictâ magnâ peccatorum remiſſione his, qui Templum quotannis inviſerent; quod poſteà auctum eſt ad eam magnitudinem, quam nunc cernimus. Aucti ſimul etiam ſunt proventus, & duodecim Monachi additi, qui rem Divinam de more facerent. Sunt tamen, qui ſcribant, Bonifacium Comitem & Beatricem Conjugem, clariſſimæ Mathildis Parentes, hoc tempore Vrbi Mantuæ præfuiſſe: quod ne credam, facit, tùm Blondi Forlivienſis, tùm Pij Secundi Pontificis autoritas, qui res Italas, ſupra milleſimum annum exorſi, accuratè conſcripſerunt, tùm ipſorum temporum intercapedo, cùm hoc anno ſalutis octingenteſimo ſeptimo acciderit, Beatrix verò & Mathildis, nobiliſſimæ Fœminæ, ſeptuageſimo ſeptimo ſupra mille-

ſimum

ſimum, Stephano nono Pontifice Romano, floruerint; quæ in extendendis Templis, in condendis Monaſterijs inconſtantiam muliebris ſexûs ſuperârunt. Mortuo Carolo Magno, Carolus nepos, cui Calvus cognomentum fuit, in Italiam veniens, acceptâ à Joanne Octavo Imperij Coronâ, dùm Nepotibus, qui in Italiam cum exercitibus properabant, obſtruere iter in Tridentinis Alpibus molitur, Mantuæ à Sedechiâ Judæo, quo Medico utebatur, veneno appetitus moritur. Variante deinde fortunâ, cùm Italia nunc Regibus, nunc Imperatoribus, & quidem externis, nunc Pontificibus ſubeſſet, Conrado Suevo imperante, qui ſub Henrico Imperatore ordines ductaverat, multi Populi, excuſſo ſervitutis jugo, in libertatem ſe ſe vendicavêre; qui poſteà ob cupiditatem habendi ſuis, ut fit, aliena adijcere cupientes, bella graviſſima inter ſe geſsêre. In quâ perturbatione Mantuanæ Civitati animus certè non defuit vel fines ſuos tueri, vel fidem publicam implorantes ab injuriâ defendere. Primum illi bellum cum Mutinenſibus ac Regienſibus fuit anno ſalutis vigeſimo quinto ſupra milleſimum. Belli cauſa ex æmulatione & invidiâ eſt orta. Indignabantur Mutinenſes Regienſéſque, id Padi, quod ab Olio Flumine, uſque ad Buranam ad quadraginta millia paſſuum intercedit, liberè à Mantuanis poſſideri. Non vectigalia, non tributa à navigantibus cuiquam pendebantur; liberè navi-

 gare

gare, quoquò mercatoribus placuiſſet, licebat. Ut igitur tam libera mercatura impediri poſſet, hi duo Populi in ripâ Padi Caſtella munire inſtituerunt. Mittere tamen prius communi omnium conſenſu Legatos placuit, qui quod vi facturi erant, ſi denegaretur, expoſcerent Mantuanorum pace ac veniâ facere licere. Introducti Legati mandata in hunc modum expoſuêre: Petere Mutinenſes Regienſéſque à Populo Mantuano, ut ejus bonâ veniâ in ea ripâ Padi, quæ ad eorum pertinet agros, ædificare ac munire Caſtella liceat; id ſe petere, non quòd finitimis facere injuriam cogitaverint, ſed ut fines ſuos ab externo hoſte tutiores redderent; placuiſſe ſemper Mutinenſi Regiensíque Populo in pace cum vicinis, maximè autem cum Mantuanis vivere. Hoc vel ex eo deprehendi poſſe dicebant, quòd, cum ſuo jure id, quod poſcebant, conari ac efficere poſſent, mallent tamen cum bonâ finitimorum ſuorum gratiâ id agere. Hoc audito, Mantuani ſecedere paulùm Legatos juſſerunt, ut tantiſper inter ſe conſultarent, quid pro dignitate Reipublicæ Legatis reſponderent. Variè inter eos diſceptatum. Qui ad otium & pacem ſpectabant, honeſtum utili anteferendum dicebant, aſſerentes contra jus fáſque eſſe, vetare poſſeſſores, vel domos in agris ædificare, vel Caſtella in finibus ſuis munire; debere etiam Mantuanum Populum ante oculos hoc habere, ſi delinqueret, vel iram immor-

tális

talis Dei in ſe, vel finitimorum odia concitaret; nil de ſuo jure cuiquam auferendum, ne, ſi poſteà eodem exemplo in ſe quicquam aliqui finitimorum molituri eſſent, jure queri non liceret. At, qui ditionem & dignitatem Reipublicæ augeri volebant, id non ſolùm petentibus negandum affirmabant, verùm omninò prohibendos armis, qui id poſtulabant, ſi ad vim ſpectare viderentur. Quid, inquiunt, ſibi aliud Mutinenſes ac Regienſes quærunt, quàm ut ædificatis ac munitis in finibus Caſtellis, & prædam agere ex agris noſtris, & vectigalia, portoriáque à prætereuntibus terrâ ac flumine eis impunè liceat exigere? Debere eos, qui benè Reipublicæ Mantuanæ conſultum velint, non ſolùm, quæ ante oculos ſunt, conſiderare, verùm etiam futura proſpicere; quod ſapientis atque optimi Civis eſt proprium. Excutiendum eſſe à collo liberi Populi ſervitutis jugum, quod Mantuanis imponitur his ædificatis Caſtellis. Pervicit tandem hæc ſententia. Legatis in hunc modum reſponſum: Non placere Populo in ripâ Padi Caſtella ullo modo communiri; velle Civitatem flumen ipſum liberum abeuntibus accedentibúsque permitti, quemamodum ipſi à Majoribus ſuis acceperant; non defuturum eis animum vel bello vel paci paratum, ſi quid per vim Mutinenſes conari audeant. Hoc reſponſo accepto Legati Mutinam reverterunt. Eodem tempore acciti ex Regio Lepido duodecim Optimates,

qui pari conſilio paribúſque auſpicijs de ſummâ rerum cum Mutinenſibus decernerent. Varijs ſententijs in medium dictis, illa poſtremò melior viſa, quâ decretum eſt, ut ſumptis armis, comparatâque omni ad ædificandum materiâ, ad Padum confeſtim proficiſcerentur. Accitis igitur undequaque fabris ac ruſticis, qui calonum loco haberentur, comparatóque ſatis juſto exercitu, continenti agmine ad flumen pergunt, hâc ſententiâ, ut primò Caſtellum, ubi nunc Reverum eſt, conderent, quod Mutinenſium eſſet, eorúmque præſidio teneretur. Alterum deinde Regienſium nomine eâdem ripâ ad oſtium Siclæ longè ab Urbe Mantuâ XIII millia paſſuum in pago, quem nunc accolæ Miraſolem vocant, munituri, ſi eorum cœptis fortuna reſpondiſſet. Hâc re nuntiatâ, Mantuani indignabundi, quod Mutinenſes in agrum ſuum excurſionem feciſſent, pecora ac ruſticos abegiſſent, quàm maximum poſſunt militum numerum conſcribunt. A Brixianis vicinis & ſocijs cohortem robuſtiſſimorum militum auxilio impetrant. Luſtrato exercitu, comparatíſque rebus omnibus ad bellum neceſſarijs, noctu iter ingrediuntur, ne ab hoſtibus eorum adventus percipi poſſet. Immorati ſunt paululùm, dum Padum traijciunt, quod brevi factum eſt, retractis priùs ad eam rem undequaque navigijs. Placuit tamen priùs, ne quid temerè fieret, explorare, quâ parte caſtrorum facilior ad invaden-

dendum pateret aditus. Duo latera pervadendi ſpem dabant, tùm munitionum imbecillitate, tùm vigilum infrequentiâ. Diviſo itaquè trifariam exercitu, duas acies ad latera præmittunt, admonitis militibus, ne ingreſſi hoſtium caſtra cupiditate prædandi ab ordine diſcederent, ſed vel repugnantes cederent, ut fugientes perſequerentur. Tertium agmen in bivio locatur, quod utrique aciei ſubſidio eſſet, ſi ab hoſtibus propellerentur. Dato primâ luce invadendi ſigno, ſublatoq; clamore, tantâ celeritate ad vallum contendunt, ut in ipſis munitionibus priùs propè ſint viſi, quàm auditi. Acies hoſtium, quæ ad ſubitos caſus (ut mos eſt) in armis erat, quàm celerrimè ad eos ſe confert, qui non longè à flumine caſtra invaſerant; ibi diu atque acriter certatum eſt. At, qui in dextero latere erant, cæſis cuſtodibus, hoſtes repentino metu perterritos fundunt. Tertium agmen, quod in ſubſidijs collocatum eſſe diximus, cùm nullum amplius periculum ineſſe perſpiceret, æmulatione gloriæ motum, perfracto vallo eam aciem à latere adoritur, quæ ſuis maximè reſiſtebat, Hinc cædes ingens eſt orta, ſublatâ omni fugiendi poteſtate. Multi etiam in ipſo flumine periêre. Ex fugâ nongenti & quadraginta capti; qui omnes direptis caſtris, expugnatóque Caſtello, quod hoſtes magnâ ex parte ædificaverant, eodémque munito ac validiſſimo præſidio firmato, Mantuam perducti, gratulabundâ ſuis,

 ac

ac ſi triumphum agerent, effusâ obviàm urbanâ multitudine, in carcerem & vincula conijciuntur. Re benè ac feliciſſimè apud Reverum geſtâ, (id enim ei loco uſque ad noſtram ætatem corrupto vocabulo nomen remanſit, quòd in ripâ Padi ſit conditum) Brixianis ſocijs gratiæ actæ, quos quidem & onuſtos prædâ, & magnis muneribus tùm publicè tùm privatim donatos, in Patriam ad ſuos remisêre, ſuam operam polliciti, ſiqua unquam Civitati Brixiæ ab externo hoſte vis ingrueret. Mutinenſes ac ſocij, tàm triſti nuncio accepto, continuis aliquot diebus in luctu ac mœrore fuêre, autores tàm pernicioſi belli accuſantes, quòd ambitione & ſpe prædæ ducti, illis bellum intuliſſent, à quibus nunquam fuerant laceſſiti; conſultare demùm de pace petendâ, déque redimendis captivis eſt cœptum. Vetabat eos tùm pudor, tùm conſcientia criminis, legatos ex ſuis mittere. Exorare itaque Ferrarienſes ac Parmenſes placuit, quos multùm apud Mantuanos autoritate & gratiâ valere ſciebant, ut & pacem ſuo nomine & captivos expoſcerent. Hi haud gravatè tantum munus ſuſcipientes, dictâ, quâ cuique domo abeundum eſſet, die, hinc Parmâ, hinc Ferrariâ cum mandatis Civitatum ſuarum Mantuam proficiſcuntur. Ingreſſos Senatum in hunc ferè modum locutos accepimus. Etſi certò ſcimus, Mantuani, Vos nequaquam ignaros eſſe conditionis humanæ, tamen pauca de imbecillitate mortalium, déque

for-

fortunæ viciſſitudine dicemus. Pronum eſt, ut creberrimis exemplis quotidiè licet cernere,ad delinqendum mortale genus propter cupiditatum & vitiorum ſemina, quæ cùm eo naſcuntur, nata enutriuntur, enutrita invaleſcunt. Hinc fit, ut hos ad injuriam alteri inferendam cogat avaritia, illos ad flagitia libido, pleróſque ad dominatum & tyrannidem ambitio atque Imperij cupiditas. Quæ quidem vitia, etſi tolli omninò non poſſunt, corrigi ac emendari aliquâ ex parte poſſunt. Non negamus Mutinenſes ac Regienſes in Vos graviter deliquiſſe, quippè qui bellum indictâ causâ Vobis intulerint. Homines ſunt; memineritis, idem quóque Vobis ac Poſteris veſtris poſſe uſuvenire. Velletis, ſat ſcio, Vobis ignoſci, velletis poſteritatem veſtram conſervari. Actum ſiquidem de genere humano eſſet, ſi pœna condigna erratis hominum irrogaretur. Fuêre multi Imperatores, multi Reges, innumerabiles fermè Principes, ac Populi, qui in hoc genere laudis ſingularem adepti ſunt gloriam,eos conſervando tuendóque, quos in bello viciſſent: ſed hæc vel potiſſima laus Populi Romani eſt, quòd non ſolùm Civitates ac Reges bello victos conſervaverit,verùm etiam eos more Majorum patrocinio tùm publico tùm privato à quâvis injuriâ defenderit. Victoriâ contenti,expreſsâq; à victis errati confeſſione, ſupplices ac pacem petentes conſervabant. Hâc famâ multæ Civitâtes,multi Populi, multæ Nationes,

quas

quas nondum bello attigerant, permotæ, nobiliſſimum illud Orbis terrarum Imperium ſuâ deditione auxerunt; & quos fortaſsè armis non viciſſent, ſi ad certamen perventum eſſet, eos humanitatis, pietatis & Juſtitiæ famâ ſuo adjecêre Imperio. Conſiderabant credo inbecillitatem humani generis, volubilitatémque fortunæ, quâ poſteros quondam ſuos defatigari poſſe cernebant; his, ſi tale aliquid accidiſſet, ſuo eorum exemplo ignoſci volebant. Idem quoque à Vobis, Mantuani, faciendum eſt exemplo tàm nobiliſſimi Populi. Ignoſcite delinquentibus, ſi ſe deliquiſſe fatentur, ſi pro injuriâ ſatisfacere Vobis ſunt parati. Parcite ſupplicibus, parcite veniam petentibus, & quamcunque pacis conditionem ſubituris. Condonate veſtris Civitatibus cives, lachrymantibus filijs parentes, ejulantibus fœminis maritos, gementibus parentibus filios. Horum ſi Vos lachrymæ, ſi gemitus, ſi obteſtationes non movent, moveant Vos ſaltem Parmenſis, moveant Ferrarienſis Populi preces, qui non minùs dignitati veſtræ, quàm ſaluti Mutinenſium ac Regienſium conſultum volunt. Hâc oratione permoti Mantuani, Legatis reſpondent, ſe, quæ petijſſent, libenter facturos, modò victi conditiones pacis, æquas præſertim, non áſpernarentur. Quam quidem his conditionibus factam accepimus, ut, ſi quid juris in Pado haberent, id totum cederent, utque Reverum, quod ipſi inchoaverant, Mantuanorum eſſe ſinerent,

rent, néve in ripâ fluminis munire unquam Caſtella auderent. Approbavêre has conditiones, qui Mutinenſium ſociorúmve nomine ad fœdus venerant. Pace compoſitâ, dimiſſi captivi unà cum Legatis ad ſuos revertuntur. Aliquot deinde poſt annos, cùm varijs interim fatigaretur Italia calamitatibus, graviſſimum inter Mantuanos & Cremonenſes exortum eſt bellum. De poſſeſſione Olij erat contentio; quod quidem flumen ex Sebino Lacu in plana deſcendens, primò Brixianum agrum à Bergomatibus, deinde Mantuanum à Cremonenſibus dividit, donec Padum illabitur. Pinguiſſima habet hinc & inde culta, fœcundiſſimos agros, prata florida & herboſa, Caſtella crebra & munita, villarum, pecorum, ruſticorum magnam vim, ſaluberrimum Cœlum; piſces producit optimos. Subvehi ex Pado ſatis magna navigia, & onuſta quidem, Platinam uſque poſſunt. Hâc opportunitate Cremonenſes illecti, naves mercibus onuſtas conſcendunt ſecundo flumine ad mercaturam profecturi; quas ob eam rem Mantuani intercepêre, ne frequenti uſurpatione Cremonenſium ipſi de ſuo jure caderent. Quod ubi Cremonæ nunciatum eſt, tantus repentè Civium animos vindicandæ injuriæ ardor concitavit, ut tumultuario milite paſſim collecto, crebras in agrum Mantuanum excurſiones fecerint, quibus & magni pecorum greges abacti, & villæ incenſæ, & ruſtici occiſi plurimi atque capti ſunt. Mantuani

tuani, conſcripto ſatis juſto exercitu, comparatíſq; omnibus bellicis inſtrumentis ad expugnandas urbes neceſſarijs, Cremonam infeſtis ſignis contendunt, ibique caſtris ad eam Vrbis partem collocatis, quæ ad Mantuanos vergit, oppidanos die ac noctu omni genere tormentorum confodiunt, minis perterrent, exiſtimantes hâc ratione hoſtes à populationibus arceri poſſe, ſi ferendam eſſe opem obſeſſæ Patriæ intellexiſſent. Verùm illi nequaquam tàm audaci Mantuanorum incœpto permoti, in eorum agrum graviſſimam excurſionem fecerunt, quâ multum prædæ evectum eſt. Ingreſſi Vrbem cum longo pecorum & captivorum ordine per eam portam, quæ erat ab obſidentibus averſa, civibus ſuis ad erumpendum animos dedêre; quod profectò eodem die factum eſſet, niſi feſſum populationibus militem nocturnâ quiete recreari placuiſſet. Vrbs eſt tota fermè in plano ſita præter eam partem, ad quam Padus præterfluit, quæ nec montuoſa nec colliva dici poteſt, cùm nuſquam ſint in Cremonenſi agro montes. Plana ſunt omnia & feraciſſima, adeò ut nihil à cultoribus vacui ſoli relinquatur. Declivis ergò pars illa magis appellabitur, quæ ad flumen & prata pertinet. Cremonenſes itaque diviſo quadrifariam populo, duas robuſtiſſimorum militum acies admonitas priùs, quid fieri oporteret, ad portas, quæ dextrâ lævâque ad hoſtes ducebant, collocant; quartum agmen, quod tertio, à quo fieri eru-

eruptio debebat, auxilio eſſet, intra obſeſſam ab hoſtibus portam diſponunt. Datur poſtridiè ejus diei, quo ab excurſionibus redierant, pugnandi ſignum, rati nil amplius cunctandum, cùm fluctuare pridiè Mantuanum exercitum quoquomodò vidiſſent. Reclusâ portâ, ſublato clamore, levis armaturæ milites ac fabri quidam ad vallum caſtrorum repentè procurrunt; ſucciduntur clauſtra, franguntur repagula, quo reliquo agmini invadendi amplior fiat aditus. Concurrebatur ex totis caſtris ad retrudendum inter mœnia hoſtem, quòd haud difficilè factu fuiſſet, niſi ad duo caſtrorum latera, duæ firmiſſimæ acies eodem tempore ſeſe cum clamore & impetu oſtendiſſent. Quo factum eſt, ut res Mantuana in maximum diſcrimen ſit adducta. Pugnabatur ubiq; acriter; hinc obſeſſi, urgentibus conjugibus ac liberis, ut ſe, Patriam, lares, fortunas ab hoſtibus tandem liberarent, hinc obſidentes virtute ac pudore, qui ſe nunquam redituros domum, niſi victores, polliciti civibus ſuis fuerant. Non defuit in tanto diſcrimine Dux militi, nec Duci miles, qui nunc priſtinam eorum virtutem memorando, nunc præmia præponendo, ſi viciſſent, nunc ſervitutem & Patriæ calamitatem, ſi victi, tandiu hoſtem ſuſtinuit, quoad ipſe ſpontè receptui caneret. Deſiderati ſunt ex Cremonenſibus multi eo prælio, non pauciores ex Mantuanis, qui leviter armati, & incompoſitis ordinibus ad defendenda (quò clamor ducebat) caſtra undique

cucurrerant. Id reliquum diei, quod ſuperfuit, uſque ad multam noctem Mantuanorum Dux milites omnes, qui ſine vulnere erant, ad reficiendum vallum hoſtili manu reſciſſum perducit, veritus, ne, ſi illud idem hoſtes ſequenti die feciſſent, eorum impetus ſuſtineri non poſſet. At Cremonenſes, cognitâ heſterno prælio Mantuanorum fortitudine, majoribus viribus agendum rati, aliquot peditum cohortes & equitum turmas à Laudenſibus vicinis & ſocijs petunt, quas Civitas haud gravatè dedit, verita credo, ne, ſuperatis Cremonenſibus, poſteà ad ſe iretur. Hæc ubi ex caſtris Mantuam ſunt perlata, mittere ſtatim Legatos ad Brixianos ſocios & amicos placuit, qui eos edocerent, quanta belli moles in ſe pararetur, quique auxilium pro jure veteris amicitiæ peterent. Tùm verò Brixiani, cognito ſociorum diſcrimine, ad mille & tercentos pedites Mantuam properè mittunt; qui conjuncti unà cum his, quos in ſupplementum conſcripſerant, agrum Cremonenſem ingreſſi, receptis ex itinere in fidem aliquot hoſtium Caſtellis, & magnâ contractâ undique prædâ, ad ſuos in caſtra pervenêre. Cremonenſes, deprehenſo Mantuanorum conſilio, quòd procul à Patriâ ſuâ hoſtem diſtinere cupiebant, eúmque intra propria mœnia obſiderè, relictis, qui Vrbi præſidio eſſent, cum omni exercitu Mantuam proficiſcuntur, paſſim, quà iter faciunt, ferro omnia ac flammâ devaſtantes. Magnus incutitur Vrbi metus; undè ſtatim

ſtatim communi omnium conſenſu mittere nuncium inſtituunt, qui, quo in diſcrimine Patria eſſet, ſuos admoneret. Majorem etiam (ut fieri ſolet) metum rumor incuſſit, qui minima quæque majora perſæpè facit. Motis itaque repentè caſtris, ac bellicis machinis incenſis, quas ſecum ob magnitudinem in tàm accelerato itinere commodè ferre non poterant, ante lucem abeundi ſignum dant præmiſſis exploratoribus, qui, quo in loco hoſtes haberent caſtra, renunciarent. Cognoſcunt ſequenti die, Cremonenſes, audito Mantuanorum adventu, ſeceſſiſſe ab Vrbe ſex paſſuum millia, inque Mincij ripâ ad Reverſum (id ei flumini nomen eſt) caſtra poſuiſſe, lares ante omnia inviſere, & ſuos de ratione belli gerendi conſulere, cohortes, frequentibus prælijs exhauſtas, novo conſcripto milite reficere, commeatum parare placuit. Quo facto, poſt triduum, ſpe & audaciâ pleni, ab Vrbe inſtructis aciebus in hoſtem contendunt. Operæ pretium erat audire parentes, audire cognatos, audire affines, ſuum quemque adhortantes, ut pro Patriâ, & pro liberis fortiter ac conſtanter dimicarent. Caſtra ad Curtatonum non longè ab hoſtibus muniunt. Media inter utroſque intercedebat planities ad Mincium tendens, in cujus latere nunc viſitur celeberrimum Divæ Mariæ Fanum, quam de Gratiâ accolæ vocant. Ibi creberrima committuntur prælia, ad tentandum, credo, virtutem, quibus nunc Mantuani, nunc Cremonenſes ſupe-

riores fiunt. Mantuani tandem pudore & indignitate rei moti, quòd hoſtem, nequaquam numero copiarum ſuperiorem, propè inter Penates ipſi quoque armati verſari ſinerent, ſemel experiri fortunam inſtituunt. Cuſtodiebantur noctu ab hoſtibus negligenter caſtra, lucebat Luna; viſum tùm eſt omnibus benè gerendæ rei tempus. Datur à Duce teſſera (ut in prælio nocturno fieri conſuevit) quâ quiſque, dum clamatur, dum manus conſeritur, ordinem tenere, ſuos conſervare, hoſtem ferire ſine diſcrimine poſſet. Succedunt caſtris quadrato agmine ſummo cum ſilentio, cuſtodes portarum ſomniculoſos & deſides obtruncant. Irrumpunt paucis propugnantibus cum clamore atque impetu. Ad Carroccium jam propè erat ventum, ubi vexilla à delectâ militum manu cuſtodiebantur; ibi atrox committitur prælium. Eò enim ex totis caſtris, ut fit, ad defendenda militaria ſigna multi convenerant, qui tàm diu fortiter reſtitêre, quoad ſe undique ab hoſtibus circunventos, captis etiam caſtris, intellexerunt. Tùm demùm, facto cuneo, erumpentes, cum jam ſuis profligatis ampliùs auxilio eſſe non poſſent, ſalutem ſibi fugâ quæſiverunt. Mittuntur properè levis armaturæ equites, ſubſequuntur pedites, qui hoſtem fugientem aut cædant, aut comprehenſum in caſtra retrahant. Captos ex Cremonenſibus ad tria millia & centum, multóſque eâ nocte interfectos reperio. Diripere ho-

ſtium

ſtium caſtra, noctu præſertim, nequaquam tutum videbatur. Vbi dies illuxit, præda omnis militi conceſſa, quâ onuſtus ad Vrbem victor & ovans revertitur, præmiſſo longo captivorum ordine. Obviàm fit exercitui urbana multitudo, venientem reſalutat, ad Cœlum laudibus virtutem ſuorum tollit. Triduum pro re benè geſtâ, Deo immortali gratiæ actæ ſunt. Truduntur in carcerem & vincula captivi omnes. Longè alia fortuna Cremonenſium erat tantâ acceptâ clade. Audiebantur ubique flentium voces, audiebantur gemitus; lamentabatur hæc filium, hic parentem, ille fratrem vel mortuum vel captum; tota Vrbs in luctu & lachrymis erat. Primores Patrum, vocato fruſtrà ad concionem populo, Legatos inter ſeſe decernunt, qui cum Mantuanis de pace déque redimendis captivis agant. Ii fruſtrà profecti, re infectâ mœſti ac ſqualidi reverterunt. Inde ad Mediolanenſes, utriuſque Civitatis communes amicos, confugitur, qui de componendâ pace cum Mantuanis agant. Mantuam itaque Mediolanenſes properè Legatos mittunt, orantes, ut pro vetere amicitiâ, quæ ſibi cum Populo Mantuano eſſet, Cremonenſibus victis ac pacem petentibus ignoſcerent. Non exauditi eâ die Legati, ſequenti quoque Senatum adeunt; memorant viciſſitudinem humanæ fortunæ bellique incertum & ambiguum eventum: ſæpè victores, concitatâ in ſe ipſos irâ Dei ſuperbiâ & crudelitate, in maximas calamitates

muta-

mutatâ fortunâ incidiſſe, &, qui victores anteà fuerant, victos demùm cum dedecore & ignominiâ concidiſſe; hanc ſemper clariſſimorum Regum, potentiſſimorum quondam Populorum, fuiſſe conſuetudinem, ut quos bello viciſſent, ſi veniam peterent, eoſdem datâ pace conſervarent; nihil victori præclarius, nihil munificentius, quàm victos gloriæ fomentum in vitâ retinere. Conſervavit Scipio Carthaginenſes, Metellus Cretenſes, Lucius Mummius Achæos, quo eorum nomen, viventibus his Populis à ſe bello victis, celebratius redderetur. Idem quoque à Vobis faciendum eſt; nam Cremonenſibus ſuperſtitibus, & manſuetudinis & miſericordiæ & fortitudinis ſempiternum nomen, quod poſteri famâ celebrent, relinquetis. At verò, ſi quid in eos gravius erit conſultum, veremur, ne in Vos veſtrâ crudelitate finitimorum omnium odia concitetis, in quos poſteà ſocijs armis, tamquam ad communem Italiæ perniciem extinguendam, irâ & odio concitati ruant. Permoti his verbis Mantuani, ſecedentibus aliquantulùm Legatis, inter ſeſe, quid è Republicâ agendum ſit, conſultant. Non deerant, qui omni pœnâ, omni cruciatu Cremonenſes afficiendos dicerent. Pervicit tamen eorum ſententia, qui non ſupplicio, ſed ignominiâ aliquâ notandos eos cenſuêre. Legatis in hunc modum reſponſum: de pace cum victis hâc lege ſibi convenire ſi poſſeſſionem Olij Mantuanis cederent,

rent, ſive eam portam (cui nunc Quadruccie nomen eſt) ad quam hoſtes Vrbem oppugnaturi venerant, arcem triangularem inque eâ turrim triangulari item formâ, quemadmodum adhuc cernitur, ædificâſſent; ducto etiam muro hinc dexterâ, hinc ſiniſtrâ, Romanis Mœnibus perſimili, additâ menſurâ tùm altitudinis tùm latitudinis, ne quid ftaudis in ædificatione eſſet. Additur huic loco fabula, hanc etiam victis ignominiam additam, ut ab Olio flumine aquam ipſi deferrent, quâ remolliri ad cæmentum calx poſſet; quod quidem flumen ab Vrbe decem millia paſſuum diſtat. Conſcripta hæc à Legatis, & ad Cremonenſes ſtatim miſſa; quæ ut probroſa aliquandiu rejecêre, pollicentes ſe tantum pecuniarum daturos, qantum ad ædificandam portam ſatis eſſet. Negantibus Mantuanis de pace eis unquàm aliter conventurum, centum obſides datos reperio, quoad arx ædificaretur. Fœderibus hâc conditione ictis, captivi Cremonam ad ſuos dimittuntur. Non poſſum non lamentari calamitatem temporum eorum, quibus hæ res, non parvæ quidem, ſi finitimorum bella conſideramus, ſunt geſtæ, quæ adeò rudes & ignavos habuerint ſcriptores, ut neque Ducum, neque Centurionum, neque Magiſtratuum, neque Civium nomina, clarorum præſertim, memoriæ mandaverint. Omitto, quòd ineptè deſcribant urbium loca, ſitum Regionum, fluviorum ac montium tractus, & convalles. Conſilia ego, quæ

D maxi-

maximè in Hiſtoriâ conveniunt, ex fine rerum magnâ ex parte collegi. Dicerem dandam eſſe illi ætati veniam, ſi non habuiſſent ante ſe præclaros, quos imitarentur Scriptores, Saluſtium ac Livium. Sed omittamus has querelas, cùm nihil nobis ſint profuturæ; hæc tamen dixiſſe liceat, ne meâ inſcitiâ Ducum nomina prætermiſſa videantur. Poſt bellum Cremonenſe ad centum ferè & triginta annos nihil memoriâ dignum à Mantuano Populo geſtum reperio, præter eam pacem, quam inter Veronenſes & Vicentinos, mutuis odijs inter ſe certantes, compoſuêre. Eadem cauſa has Civitates primò ad bella concitavit, quæ Mantuanos quondam & Cremonenſes diſparibus ſtudijs. Nam hi de honore & gloriâ certârunt, illi de vitâ & ſanguine; ab his etiam jura belli ſunt obſeruata, ab illis dolo, fraude, proditione omnia ſunt geſta; hi multitudinem imbellem conſervaverunt, illi mulieres & impuberes crudeliter & impiè necârunt; hi poſitis ex fœdere ditionum terminis, amicitias, hoſpitalitates, connubia inter ſeſe celebrârunt ſemper, & adhuc celebrant, illi, quibus de finibus nondum convenit, ſeſe convicijs, contumelijs, probris mutuò lacerant. Sed illa Vicentinorum inſignis proditio eſt habita, quâ, ſimulatâ pace ſimulatóque ingenti ludorum apparatu, Veronenſes nil tale ſuſpicantes comiter ac benignè invitatos, pérque hoſpitalia civium cubicula diviſos, ſequenti ejus diei, quâ Vrbem ingreſſi fuerant, nocte jugulant & obtrun-

obtruncant; ſumptiſque properè armis, ac ſatis magno comparato exercitu Veronam profecturi, quâcunque per Veronenſem agrum iter faciunt, ferro omnia ac flammâ conſumunt: facilè etiam Vrbem mœſtam ac civibus, qui arma ferre poſſent vacuam, quippe quos ipſi dolo necaverant, cepiſſent, niſi precibus primùm, deindè minis id facere à Populo Mantuano eſſent prohibiti. Miſſi namque Legati ſunt, qui Vicentinis bellum indicerent, niſi ab oppugnandâ Vrbe deſtitiſſent; quibus & obtemperaverunt Vincentini, ægrè tamen, cùm magnam in ſpem veniſſent diripiendæ Vrbis, & eiſdem adhibitis ſequeſtris ad pacem venêre. Mantuani Oratores, cognitâ belli causâ, cùm utraque Civitas (ut eſt hominum cupiditas & habendi libido) fines ſuos progredi mallet, medium quoddam tenuêre. Eo enim in loco limites poſiti, ubi etiam ætate noſtrâ Turris cernitur, quam accolæ Confinium vocant. Legatis compoſitâ pace in Patriam redeuntibus, Veronæ, ubi magnificè ſunt habiti, gratiæ actæ, fidéſque data, ſi unquàm contigiſſet Mantuanum Populum Veronenſium operâ & auxilio indigere, eos & fortunas & vitam pro amicis & benè de ſe meritis expoſituros. Pace inter alios compoſitâ, ingens ex libidine dominandi & domi ſeditio, & foris bellum eſt ortum; commune fermè omnium Civitatum, quæ in aliquo pretio ſunt, malum. Habebatur tùm facilè Princeps inter Optimates Philippus Auogadrus; id enim ejus

Familiæ, vetuſtæ quidem ac nobili, cognomentum fuit. Is igitur vaſto animo ad tyrannidem elatus, cogitare ſecum ac circumſpicere cœpit, quâ viâ dominatum aggrederetur. Veniebat in magnam ſpem ejus potiundæ rei, ſi à Veronenſibus eſſet adjutus, quos ad id ſolicitari poſſe ſperabat intervenientibus affinium ſuorum adhortationibus & precibus, quorum opes & autoritatem apud Veronenſes pondus & quidem magnum habere ſciebat; de Summorviâ cognomento Familiæ hi ſunt appellati. Conſcenſo equo Philippus citato gradu Veronam contendit; rem affinibus ſuis aperit; poſſe id fieri per facilè oſtendit, ſi auxilium ei Patriam occupaturo non denegaretur. Multa quoque pollicetur, quæ ad eorum potentiam, ad dignitatem, ad opes, ad gloriam ſpectabant, ſi tanti voti ſuâ & eorum operâ compos fieret. Hominem ad tantum facinus incenſum de ſe benè ſperare & bono eſſe animo illi jubent; qui affinibus primò, deindè clientulis & obæratis ſuis ſeorſum rem aperientes, quanti emolumenti futura res ſit cognationi & clientelæ ſuæ oſtendunt, ſi dominatu Philippus potiretur. Confirmatis in hanc ſententiam ſuorum animis, vocatiſque in Curiam Magiſtratibus: Quod Vobis, inquiunt, fælix fauſtúmque futurum ſit Veronenſes, noſter hic Philippus (hominem intromiſſum oſtendentes) pulcherrimum facinus, niſi per Vos ſteterit, audet. Occupare dominatu Patriam ei eſt in animo; potentiam & opes

habet

habet ad id accommodatas, ſentiunt permulti ſecum & cives & clientes. Portam, quâ intromittere armatos poſſit, in ſuâ retinet poteſtate; præſidia, arma, tela, commeatum opportunis locis diſpoſuit. Dominus eſt, modò id Vos approbare intellexerit, quod profectò neque à noſtrâ Republicâ alienum arbitramur. Habituri enim ſumus hominem hoc tanto beneficio in perpetuum nobis devinctum, habituri Civitatem vicinã & bello & pace nobis non inutilem. Augere ditionem publicam hoc additamento poterimus; obſervabunt nos finitimi noſtri; externos hoſtes facilè propulſabimus, Mantuano Principe nobiſcum ſentiente. Addo liberam mercium hinc inde permutationem, liberam vini annonæ reliquarúmque rerum ad uſum hominum pertinentium importationem. Celebrabuntur inter nos connubia; erunt in pretio hoſpitalitatis jura; Sodalitates utraque juventus celebrabit; quid plura? ex duabus Civitatibus una & corporibus & animis præclariſſima ac potentiſſima fiet Reſpublica. Approbavêre, qui aderant, hoc facinus, & ſe homini non defuturos polliciti ſunt, modò opportunè de rebus omnibus certiores fierent. Habituros ſe juventutem in armis, quàm ſtatim auxilio mittant, ſi ad vim rem ipſam ſpectare viderint; ſed bono animo & celeritate, quod in tali re fieri maximè neceſſe eſt, uteretur. Vadit Philippus ſpei atque animi plenus; ſocios conjuratiouis, quàm occultiſſimè fieri poteſt,

 ad

ad ſe vocat; eorum animos hujuſcemodi verbis ad rem ipſam incendit. Viro gravi ac forti nihil eſſe ſervitute turpius, ſat ſcio vos, ſocij, non ignorare, ſed illa maximè ſervitus intolerabilior videtur, quâ quis non ab uno (quod eſſet ferendum) ſed à pluribus & eiſdem indignis premitur. Tot enim Dominos in hâc Civitate habemus, quot ſunt civium capita; imperant hinc ſummâ cum licentiâ Optimates tanquàm Reges, hinc nobis ſecures & virgas tanquàm ſatellites & carnifices ex arbitrio Dominorum Populus intentat; quoquò te verteris, ſi liberam vocem emiſeris, præſtò adeſt, qui te ad ſupplicium trahat. Peccat populus inſcitiâ, delinquunt Optimates fraude & dolo; non inſpicit plebs, quid honeſtum quidque æquum ſit, ſed eorum ſe imperijs accommodat, à quibus inopiâ & fame premi ſe poſſe videt. Hâc neceſſitate ſi fuerint aliquando liberati, ſique amotâ erroris nebulâ verum à falſo deprehenderint, in eos ipſos arma deinde vertunt, quorum miniſtri in libidine dominandi & licentiâ fuerant. Excutiamus tandem à cervicibus noſtris diutinâ patientiâ fermè attritis hoc deteſtabile ſervitutis jugum, quo tanquam viliſſima mancipia iſtorum nutu quotidiè defatigamur. Satius eſt, ſive res humanas ſive divinas velimus contemplari, unum in Republicâ, & eundem quidem Sapientiſſimum atque Optimum, ad quem omnia deferantur, quàm plures malos habere. Ab uno reguntur cœleſtia omnia;

uni

uni tantùm Planetarum ſua quæque parenti uni Regi committenda eſſe omnia, cenſuêre illi, qui diſperſos quondam in agris homines in una mœnia perduxêre: unius decreta, ſi bona, faciliùs ſuſcipiuntur & obſervantur, quam ſi à pluribus eſſent propoſita, cùm plus autoritatis in uno ſit, in quo ſumma ſunt omnia, quàm in pluribus; cujuſque enim rei vis & poteſtas conjuncta magis invaleſcit, disjuncta verò dilabitur: unius fortè (quod Dij à Republicâ noſtrâ avertant) ſi cupiditates fuerint tolerandæ, faciliùs explebuntur, quàm multorum. Prædicarem ego de me ipſo, ſi mihi apud ignotos haberetur oratio, ſed cùm vobis cognita ſit fides & induſtria mea erga Rempublicam graviſſimis temporibus, non eſt nunc dicendum, quâ in re vobis aut fuerim anteà aut nunc uſui eſſe poſſim. Ductavi ego in exercitibus veſtris perſæpè ordines; graviſſima vulnera adverſo pectore pro laribus noſtris, pro patriâ ſuſcepi: ſententias (domi ſi res in conſultationem deduceretur) haud ſanè contemnendas dixi; plebem ære alieno obæratam, & ob eam rem à fœneratoribus, ab Optimatibus in carcerem & vincula detruſam, aut proprijs facultatibus aut patrocinio liberavi; objeci me ipſum frequenter, objeci ſanguinem, objeci fortunas meas veſtrâ causâ rabidis ac ſiccis iſtorum faucibus; in meum caput conjurârunt omnes, quo extincto præpoſitam ſibi vident licentiam per libidinem & nefás patrandi omnia. At vos, ſi viri eſtis, &,

ſi non omninò pluribus dominis, & eiſdẽ certè ſæviſſimis, quàm uni benè de vobis omnibus merito, parere inſtituiſtis, ſumite arma mecum, Rempublicam afflictã & oppreſſam capeſſite, eámq; uni mihi committite, qui non minùs certè rei veſtræ, quàm propriæ ſum conſulturus. Habemus in Civitate multos, qui in partes noſtras, ubi ad arma conclamatum fuerit, facilè deſcendant, habemus foris paratum auxilium, ſi manu fuerit utendum; habemus in arbitrio noſtro Vrbis portam, quâ intromittere armatos licebit; parata jam ac diſpoſita ſunt omnia ad rem benè gerendam; vicimus, ſi vobis illi inſunt animi, quorum fortitudinem & conſtantiam in graviſſimis periculis quondam ſum expertus. Dicentem amplectuntur conjurati omnes, & quia clamore, quæ dixerat, approbare nequaquam tutum videbatur, hominem circumſtant, adhortantur, fidem dant ac ſanctè jurant ei ſe nunquam defuturos. In ſequentem diem res dilata, quæ, quia pluribus erat nota, ad Magiſtratus per indicem defertur; capitur ex conjuratis unus, qui Philippi ac ſociorum omniũ mentem aperit; concurritur ſtatim ad arma, non aliter, ac ſi hoſtes intra mœnia eſſent; occiduntur nonnulli, & ij maximè, qui arma capiunt; retrahuntur ad Magiſtratus ex totâ Vrbe comprehenſi; fugiêre multi cum Philippo per portam domui ſuæ vicinam, cui tùm Caput bovis nomen erat. Eam enim Vrbis partem Philippus incolebat, quæ Vetus etiam noſtrâ ætate appel-

appellatur. Incenſus irâ populus, incenſi Optimates, conjuratorum bona diripiunt, ædes evertunt, fundos haſtæ ſubijciunt; Legatos decernunt, qui Veronam queſtum injurias proficiſcantur, quòd Philippo dominatum quærenti auxilium ſint polliciti, quódque eundem cum reliquis conjuratis eò confugientem ſuſceperint. Legatis item imperatum, ut Veronenſibus bellum indicerent, ni conjurati ſtatim dederentur. Quibus ita reſponſum invenio: Privatorum illum quorundam, non publicum de juvando Philippo fuiſſe conſenſum, quòd affinitates & amicitias in Vrbe multas ſemper habuerit, à quibus nunc etiam ſuſceptus hoſpitio, & rebus omnibus adjutus ſit; aliud à conjuratis, ſi ſit expreſſum, id aut minis aut tormentis ad cauſandum bellum eſſe confictum, quod nuſquam Veronenſes detrectarent, præſertim cum impiè & injuſtè indiceretur; ſperare ſe Deum ultorem affuturum, ſi contra jus fáſque fœdus violâſſent; de habendis exulibus omnem ſpem deponerent, cùm dicerent, nihil antiquius Veronenſibus ſemper viſum, quàm libertatem patriæ conſervare, quam profectò omninò viderent extinctam, ſi exules, ſi extorres ad ſe confugientes ſupplicio & neci dederentur. Mantuani verò, ſumpto priùs de conjuratis, qui capti fuerant, graviſſimo ſupplicio, ac Republicâ confirmatâ, tumultuariâ militum manu Veronenſem agrum longè ac latè populantur, villas incendunt, arbores ſuccidunt, ruſticos ac pecora

 abdu-

abducunt. Idem fit à Veronenſibus viciſſim, donec validis comparatis exercitibus, ad Villam Francam (quod eſt Veronenſium Caſtellum) caſtra caſtris conferuntur. Ibi crebra tùm equeſtri tùm pedeſtri acie committuntur certamina; equeſtri Veronenſis ſuperior viſus, quòd equitatu maximè in tantâ planitie neceſſario abundaret, cujus contrà Mantuanus indigebat; nondum enim omnes convenerant copiæ; pedeſtri, ſi non ſuperior, par ſaltem videbatur. Hâc unâ vel levi victoriâ elati Veronenſes, copias omnes ad dimicandum collatis ſignis inſtructas educunt, eáſque propè Caſtelli mœnia diſponunt, undè ſupernè in Mantuanos conijci tela à ſuis poſſent. Probris deinde & telis miſſilibus in caſtra conjectis provocare hoſtem ad prælium iniquo loco committendum, antequam reliquæ copiæ, quæ indies expectabantur, adventarent. Ægrè tum miles à Mantuano Duce in caſtris retentus eſt; addita ratio, quare è Republicâ minimè eſſet certamen capeſſere: nõ eſſe ob leve conviciũ ſalutẽ patriæ in diſcrimen adducendam; fore propediem tempus, quo jactata opprobria non verbis, ſed armis in hoſtem levem & dicacem retrudant. Hæc concionanti ſuperveniunt nuncij, quibus certior fit, paulò poſt reliquas copias affuturas. Quâ re permoti milites, cùm ab hoſtibus continuè convicijs inceſſerentur, clamore ſublato, minaciter truces in prælium contendunt, Duce fruſtrà nunc minis nunc adhortationi-

bus

bus militem revocante, expectandúmque paulùm dictante, donec ordines diſponerentur, quo quidem tempore ſuos etiam affuturos opportunè dicebat. Ruunt in prælium milites irâ & odio incenſi. Tùm Dux exercitûs in primam aciem provolans: Quandoquidem, inquit, in meam ſententiam venire non placet, ſaltem in pugnâ hunc ſervate ordinem: Caſtello, ad quod vos ſtudiosè hoſtis eliciet, ad jactum ſagittæ nullo modo appropinquate, ne, dùm cum hoſte conſeritur manus, à lateribus fundis, baliſtis, ſagittis oppidanorum confodiamini; haſtati dexterum tegant ordinum latus, ne perturbari ab hoſtium equitatu, quo plurimùm valent, dimicantes poſſint; intermixti etiam equites aliquot, qui & hoſtium impetum ſuſtinerent, & cedentes perſequerentur: hâc ratione pro tempore compoſitis aciebus, irent bono animo in hoſtem imbellem & levem edixit, oſtenderéntque, glorioſius eſſe manibus pugnare, quàm linguâ & convicio. Pugnatum eſt aliquamdiù atrociter neutrâ inclinante ſe acie; ceſsêre deinde paulatim Veronenſes de induſtriâ, qno Mantuanum ferocem & inſtantem ad iniquum pugnandi locum protraherent. Ventum erat intra caſtra hoſtium & Caſtelli muros, unde Mantuani ſupernè conjectis telis ab otioſis etiam confodi poterant. Redintegratur ab hoſtibus pugna, clamor in lateribus exoritur, jam de Mantuanis actum, dicentium; cædebant frequentes accipientium vulnera; cre-

bri audiebantur gemitus; urgebat tamen eos pudor, urgebat conſcientia detracti imperij, quòd ſuâ temeritate in tantum diſcrimen veniſſent. Ad fugam ſpectare jam videbantur, cùm ſubitò advenit nuncius identidem clamans, ſubſidiarias cohortes paulo pòſt affuturas. Tùm Dux exercitûs in primam aciem provolans, ita inclamat, ut ab hoſte exaudiri poſſet: Vicimus milites, vicimus ignavum hoſtem, ſi paululùm ſuſtinetis; equites cerno ac pedites concitato gradu vobis auxilio venientes. His verbis tanta repentè commutatio rerum facta eſt, ut, qui modò victores eſſe videbantur, nunc demùm de fugâ cogitare cœperint. Inſtabat tamen Dux hoſtium, ne victoriam propè paratam vano timore amitterent, falſos eſſe rumores dictans, quos Mantuanus ad confirmandos ſuorum animos finxerat. Redintegrata eſt ab utróque exercitu pugna, & acriùs per horam, quàm unquam anteà pugnatum. Cædebantur utrinque multi; verùm retineri in acie diutiùs miles hoſtium non potuit, ubi integros feſſis ſuccedere vidit. Confugitur ad proximam caſtrorum portam, ubi multi cæſi, pluréſque capti, cùm primi ultimis receſſum non darent. Inſtant pluribus locis Mantuani, vallum proſcindunt, caſtra irrumpunt, quo factum eſt, ut, dùm longior fuga facienda eſſet hoſtibus, multi à Mantuanis equitibus occiderentur. Direpta eodem die caſtra, direptum Caſtellum, & ex Veronenſibus quingenti & ſexagin-

xaginta capti. Paululùm etiam abfuit, quin Philippus exul caperetur, cujus virtus in eo prælio admodùm enituit. Nec ambigitur Veronenſes ſuperiores futuros fuiſſe, ſi Philippi conſilijs geſta res eſſet. Sequenti die Mantuani infeſtis ſignis Veronam contendunt, caſtráque ad eam Vrbis partem collocant, quæ citra flumen eſt. Structis ad muros machinis, oppidanos omni genere telorum confodiunt, domos magnis conjectis lapidibus diruunt, incendia per Vrbem facibus immiſſis ſpargunt; multi, dùm erumpere tentant, in ipſis portis occiduntur, &, ne quid pacatum obſeſſis relinqueretur, convectis undique navigijs perſæpè ad dexteram caſtrorum Atheſin traijciunt, crebriſque excurſionibus id agri populantur, feraciſſimi certè, quod ad Vicentinos vergit. His tot ac tantis difficultatibus, maximè autem annonæ inopiâ, Veronenſes circumventi, de petendo externo anxilio inter ſe conſultant. Vrbem Duci Auſtriæ, qui finitimis Germanis imperabat, dedere inſtituunt, ſi eos tàm gravi obſidione liberaret. Legati ad eam rem miſſi, factâ deditione, impetratiſque vexillis, quæ ſatis fore ad ſolvendam obſidionem exiſtimabant, in patriam celerrimè revertuntur. Erectis ſupra portas, quas Mantuani oppugnabant, ſignis, interdicunt Mantuanis, ne Vrbem Auſtrianorum poſthac amplius oppugnent; inſtabant illi ferociùs, nec ob minas requies ulla obſeſſis dabatur. Crebra in dies committebantur

tur prælia, multi deſiderabantur utrinque, cùm illi erumpere, ij erumpentes retrudere in Vrbem conarentur; coguntur tandem Mantuani ſolvere Vrbem obſidione, dùm eſt nunciatum Ducem Auſtriæ cum magno exercitu Veronenſibus auxilio adventare. Tantas enim copias tàm exiguo exercitu Mantuani ſuſtinere nullo modo potuiſſent. Veronenſes tàm gravi obſidione liberati, Caſtella ab hoſtibus ad oppugnandam Vrbem communita incendunt ac diruunt. Mittuntur deinde ad Mantuanos à Duce Legati ſciſcitaturi, bellum ne an pacem cum Duce mallent. Cùm pacem ſe velle reſponſum eſſet, tùm Legati: De pace, inquiunt, vobis cum Duce conveniet, ſi captivos Veronenſibus reddideritis, ſique ab inferendâ eis injuriâ manus abſtinentes habueritis; Ducis imperio Verona nunc paret, proinde bellum cum Duce habiturum ſe ille ſciat, qui Civitatem ejus vexaverit. Redditi captivi, & pax Veronenſibus data; immoratus deinde per aliquot dies Dux in Vrbe componendæ Civitatis causâ, relicto Præfecto, qui ſuo nomine Vrbem juſtè ac ſanctè regeret, in patriam revertitur. Læti admodum tàm repentino bono Veronenſes, & qui paulo antè obſeſſi, omni humanâ ope carere videbantur, publicè ac privatim jactabant Ducem, qui eos ab omni injuriâ defenderet. Profunditur tota illa Civitas in libidinem ac luxum, cùm nihil ab externo hoſte imminere mali cervicibus ſuis viderent. Jactata crebrò à Veronenſibus

ob

ob petulantiam in Mantuanos convicia, quæ illi, cognitâ Veronenſium levitate, venturum tempus rati, quo injurias ulciſci commodius poſſent, æquo animo tulêre. Annis deinde ſex ſub haud pœnitendo Ducis imperio commorati, expulſo ejus Præfecto Rempublicam capeſſunt, unúmque, qui Populo præeſſet, ex Civibus ſuis deligunt. Jacobus de Summorviâ is eſt appellatus, civis quidem egregius, & qui expulſi Ducis nequaquam deſiderium faceret, adeò integrè Rempublicam gubernabat. Mantuani veniſſe tempus rati redintegrandi cùm Veronenſibus belli, Legatos ad Ducem de defectione Veronenſium irâ incenſum properè mittunt. Ij rei indignitatem verbis exaggerantes ſuámque operam, ſuas copias, ſi ulciſci illatam injuriam vellet, polliciti, cum jam commotum pepulêre, ut primo quoque tempore bellum decerneret. Edicta dies, quâ Vrbem ſimul invaderent. Veronenſes, dum hinc à Duce, hinc à Mantuanis magni exercitus compararentur, non ignari, quantam belli molem eſſent ſubituri, omnia & ipſi ad tolerandam obſidionem neceſſaria in Vrbem ex agris comportare, mœnia vallo & foſsâ munire, propugnacula crebra erigere, ſe ipſos invicem confirmare. Supervenêre ad præſtitutam diem, quæ Idibus Aprilis fuit, magni exercitus; ultra flumen Atheſin Theutones, citra Mantuani ſtativa poſuêre; copiarum pars Vrbem quotidiè oppugnabant, pars ex agris in caſtra frumentum, pabulum,

lum, ligna, vina convehebatur; villas Theutones præſertim in tantâ populatione incendebant, Caſtella diruebant, ruſticos necabant, ſegetes teneras adhuc ſuccidebant. Non cadebant tamen animis Veronenſes tot ac tantis malis circumventi, ſed aut erumpentes, aut pro mœnibus ſagittis & telis miſſilibus dimicantes, multos quotidiè interficiebant, maximè verò ex Theutonibus, qui temerè mœnibus ſuccedentes, supernè conjectis ſaxis nullo negotio opprimebantur. Dolo etiam plerique interficiebantur; hoc eſt enim Nationis ejus ingenium, ut non aſtu, non fraude, ſed aperto dimicet Marte. At Veronenſes, cùm propter annonæ difficultatem, quâ jam premi cœperant, tolerare obſidionem ſe diutiùs non poſſe viderent, Legatos Vincentiã & Patavium ſqualidos ac mœſtos mittunt, qui Civitates edocerent, quanto in diſcrimine Veronenſis Populus verſaretur, quique auxilium jure vicinitatis peterent. Legatis reſponſum: non poſſe Civitates tanto incendio propinquas ſine ſuo magno malo auxilium petentibus dare; incurſiones Theutonum vereri ſe dicebant, quos in finibus ſuis vaſtare agros, abigere pecora ac ruſticos, quotidiè cernebant. Redeuntibus ſine ſpe auxilij Legatis, cùm jam graviſſimâ vi premerentur obſeſſi, quippe quorum domus ſaxis ingentibus machinis quibuſdam per Vrbem conjectis diruebantur, cum magno mulierum ac puerorum pavore & interitu deditionem facere coguntur, po-

pulo

pulo jam laborante, qui famem diutius ferre non poterat. Mittuntur itaque, qui Vrbem his conditionibus Duci tradant, ut ſalva ſint Civium corpora, ſalvæ fortunæ; quibus ita reſponſum invenio: Debere eos, qui inconſultò peccant, temeritatis pœnam æquo animo ferre, ut cæteris exemplo ſint, ne contra fidem, contra jus fáſq; tale aliquid audeant quale ipſi in ſe auctorem ſalutis ſuæ commiſerant. Servavi, inquit, vos ab interitu, ſervavi Civitatem veſtram, ſervavi fortunas, ut eſſetis, quibus ludibrio eſſem; dediſtis mihi liberum imperium Civitatis veſtræ, ut eodem ſublato majorem credo mihi inureretis notam; non poteſtis cauſari id meâ ſævitiâ aut Præfectorum noſtrorum avaritiâ factum, cùm nota ſit omnibus æquitas noſtra, cúmque Civitas veſtra me imperante non diminuta, ſed aucta, non exhauſta, ſed repleta rerum omnium copiâ ſit. Ite ergo, quando merita veſtra ita requirunt, & victorum qualemcunque conditionẽ ſubite. His dictis caput avertit. Rediêre mœſti in Civitatem Legati; ſententiam Ducis populo exponunt. Pavor tùm ingens & trepidatio in Vrbe eſt orta; audiebantur gemitus, audiebantur ploratus mulierum ac puerorum paſſim ex totâ Vrbe ad Templa confugientium; complorabatur publicè interitus Civitatis; exſecrabantur eorum capita, qui ad defectionem Civitatem concitaverant. Vrgente poſtremò fame, cùm nulla ſpes amplius ſubeſſet, dedere Vrbem Duci ac Mantuanis

 inſti-

inſtituunt nullâ petitâ pactione. Panduntur portæ, irrumpunt Theutones irâ & odio pleni, irrumpunt Mantuani, & clauſis portis, ne quis aufugere poſſet, Vrbem opulentiſſimam diripiunt; cives refellere injuriam conantes obtruncant, fugientes comprehendunt, plerique natantes dum hinc inde opis inopes Atheſin traijcere conantur, in flumine periêre; trahebantur paſſim impuberes, trahebantur mulierum ac puellarum miſerabiles cœtus, quarum permultas, maximè verò liberalis & ingenuæ formæ, Barbari libidinoſi & intemperantes in ſervitutem abduxêre. Ex grandioribus natu ad tria millia civium ſunt capta, quos Dux iratus trucidare inſtituerat, niſi id facere à Mantuanis eſſet prohibitus, qui tantam crudelitatem deteſtabantur. Inſtabat ille, quovis ſupplicio eos dignos aſſerens. Tùm Mantuani, ut hominem à tantâ crudelitate aliquâ ſatisfactione averterent, obtruncandas eſſe eis tantùmodò nares dixerunt; quo quidem oris dehoneſtamento cùm alter alterum inhoneſtâ ignominiâ notatum cerneret, ſeram defectionis pœnitentiam ſubirent. Laudatâ Mantuanorum ſententiâ, captivos omnes de vitâ ſolicitos Dux ipſe ad principale Vrbis Templum vinctos trahi jubet, ubi omnibus ad unum præciſæ nares; quâ ex re major quàm anteà in Vrbe exortus eſt luctus, cùm ſuum quiſque notatum tantâ ignominiâ videret. Hinc ortum eſt illud deteſtabile inter Veronenſes & Mantuanos odium, quo uſque

ad

ad ætatem noſtram non bellis ſolùm, quæ graviſſima inter eos fuêre, ſed probris & convicijs in pace etiam ſe continuò lacerant, cùm hi Veronenſes Cavoſos quaſi Cervicoſos, illi viciſſim Mantuanos Bulbaros à genere piſcis, quo maximè abundant, appellare conſueverint. Dux autem per aliquot dies in Vrbe commoratus, cum ingenti prædâ & longo captivarum mulierum ordine in patriam rediens, Civitatem liberam reliquit. Actum & à Mantuanis mitiùs; nam & Veronenſibus redditi captivi, in tantâ calamitate commeatu privato ac publico adjutis, & pax etiam petentibus data, quam quidem ad ingenium redeuntes non diu obſervârunt. Triennio enim pòſt nullâ injuriâ provocati in Mantuanos, nil tale ſuſpicantes incurſionem fecêre, quâ magna pecorum & hominum vis abacta. Hâc tàm inſigni injuriâ acceptâ, Mantuani, delectu militum ex totâ Vrbe habito, Veronam contendunt, portámque, quam Sancti Zenonis appellant, incendunt, ſuburbia ingreſſi diripiunt; magnæ frequentibus prælijs utrinque committebantur cædes; majores etiam futuræ apparebant, adeò inimico magis quàm hoſtili animo inter ſe certabant, niſi rogatu Brixianorum inter eos compoſita pax eſſet. Veronenſes deinde biennio poſt Caſtellum in ripâ Padi, quod Hoſtiliam vocant, jam anteà à Barbaris everſum communivêre, quâ ex re magnum propè concitatum eſt bellum. Indignabantur enim Mantuani, atque ægrè ferebant liberam Padi poſ-

ſeſſionem eâ munitione ſibi auſſerri. Verùm ubi eâ de re diſceptatum de jure eſt,&Judicum ſententijs deprehenſum eſt, id jure à Veronenſibus fieri, poſitis armis ad pacem ſpectârunt. Non quievêre interim Vicentini; tantâ enim irâ in Veronenſes ſurrexêre, ut, fuſo ac fugato ingenti clade eorum exercitu, Vrbem diripuerint, & direptam incendio conſumpſerint. Anno octogeſimo octavo ſupra centeſimum & milleſimum pons ille, quem Molinorum appellant, magnâ populi impensâ extructus; jacta ſunt etiam fundamenta ejus, quo itur in ſuburbia Divi Georgij,quem poſteà Gonzaga Familia in eam,quam nunc habet, redegit formam. Quieſcebat tùm Civitas, & tota in extruendis mœnibus ac pontibus erat intenta, cùm ſubitò nunciatum eſt, Ferrarienſes per agrum Mantuanum prædabundos diſcurrere. Quâ re permoti Mantuani, comparato tumultuario exercitu, ad Bragantinum, quò ſe hoſtes onuſti prædâ, cognito per exploratores noſtrorum adventu, receperant, uno prælio Ferrarienſes caſtris ac prædâ exuunt. Interfecti eâ pugnâ multi, nec pauciores capti. Non eſt pugnatum eâ fortunâ cum Veronenſibus ad Cipatam, ubi Mantuani ingenti clade ſuperati, ægrè ſe mœnibus tuebantur. Amiſſum tamen non multò poſt militiæ decus eâ pugnâ recuperârunt, quâ Mutinenſes, agrũ eorũ infeſtantes, ad Sormenzonum fundunt fugántq;. Oritur ſequenti anno Sordellus, cujus virtus & merita in Republi-

blicam nos admonent, ut ejus originem & res geſtas à longiori exordiamur initio. Natus ſiquidem eſt patre nobili & divitijs præpotente, cujus Familia Vicecomitum appellata, Godij oriunda, tantum opibus & potentiâ valuit, ut longè Princeps inter Optimates haberetur. Imbutus bonis moribus Sordellus, ac artibus ingenuis eruditus, dum adoleſcens eſſet, ingenij ſui experimentum facturus, librum compoſuit, quem Theſaurum appellavit. Annos deinde quinque & viginti natus, omiſſis ad tempus literarum ſtudijs, tantâ diligentiâ militarem diſciplinam complexus eſt, ut brevi non militis tantùm militares exercitationes fortiter obeundo, vigilando, equitando, jaculando, verùm etiam optimi Ducis laudem ſine obtrectatione ſit conſecutus. Adeò enim modeſtè laudis merita conſequebatur, ut nemo eſſet in totâ Vrbe, à quo tàm præclari adoleſcentis vita non probaretur. Erat autem ſtaturâ mediocri, aſpectu grato, corpore agili, & ad quoſvis labores natus. Provocatus ad ſingulare certamen, recuſavit nunquam; ex quo multa ac præclara ſpolia perſæpè retulit. Hujus viri famâ permotus Apulorum Rex Rogerius, Leonellum Equitem inſignem ac domi nobilem ad ſe vocat. Erat enim eâ tempeſtate inter Europæ Reges concertatio, unum aliquem apud ſe magnis præmijs retinere, qui reliquos ſingulari certamine ſuperaret. Tunc Rex: Leonelle, inquit, quando omnes, qui in noſtro Regno arma

 ſe-

ferunt, tibi uni congredi non audent, Mantuam in Ciſalpinam Galliam ut proficiſcaris mihi in animo eſt; ibi Sordellum in hâc dimicandi laude præſtantem offendes; cum eo velim tùm pede tùm equo congrediare, méque ac teipſum, ut ſoles, tuâ virtute ac fortitudine celebriorem reddas. Vadit Leonellus animo ac ſpe plenus, acceptis armis & equis ex ſtabulo regio ad eam rem accommodatis, comitantibus nobilibus quibuſdam ac in re militari præſtantibus. Commoratus deinde biduum in Vrbe, tertio in forum contendit, cognitúmque, demonſtrante caupone, apud quem diverterat, Sordellum, in coronâ, ut fit, cum Nobilibus loquentem, hominis dignitatem admiratus, adit, eique ſalute datâ acceptâque, modeſtè ac verecundè, quid vellet, aperit. Tùm Sordellus, comiter hominem priùs appellando: Quibus verbis, inquit, Vir nobilis, tibi gratias agam, non reperio, quòd me unum ex totâ Italiâ delegeris, quem tecum congredi dignum putares. Nulla erit in me mora, volentibus civibus meis, paratiſque rebus omnibus ad tantam rem neceſſarijs. Decem dierum induciæ decernuntur, quo tantus apparatus præclarior fiat. Sordellus deinde, dimiſſo cum civibus ſuis honoris gratiâ Leonello, Magiſtratus conveniens: Quod fauſtum, inquit, fœlixq; Civitati noſtræ ſit, Patres, provocatus ad ſingulare certamen, ſi per Vos licet, facinus aggredi audeo; hoc vel maximum Patriæ dedecus eſſet, ſi ex tantâ multitudine

nemo

nemo unus reperiretur, qui ſanguinem pro ejus honore & gloriâ fundere auderet. Paratus ſum ire in omnes caſus Vobis benè volentibus. Tùm Magiſtratus: Macte, inquiunt, Adoleſcens; vade & quod te, quod Patriâ dignum eſt conare. Vadenti per Vrbem cives honoris causâ aſſiſtunt; gratias agunt, quod & hoc quidem genere laudis Patriam honeſtare voluerit. Apparabantur omnia ad tantum certamen diligenter, cùm ei literæ Ludovici Regis Franciæ à Galvano nuncio redduntur, quibus hominem adhortatur, ut ad ſe contendat, quando eum in amicos non anteà viſum ob ſingularem virtutẽ receperit; facturum ſe, ut ſuæ profectionis eũ nunquam pœniteat, ſive honores ſive facultates concupierit. Reſpondit nuncio Sordellus, detineri ſe provocatione, nec poſſe ante triduum affirmare, quid Regi ſit reſpondendum; tùm demum fortaſſe reſponſum tanto Regi ſe daturum: immoraretur tamdiu, donec armis decerneretur, uter ſuperior eſſet. Repromittentem ſe id facturum Galvanum, Virum quidem domi nobilem ac ſtrenuum, Sordellus hoſpitio ſuſcipit. Ventum erat jam ad præſtitutam diem, cùm uterque in campum ad id electum, multis comitantibus, equo phalerato pervenit. Tùm ſpectante Populo, dato per tibicines concurrendi ſigno, uterque equum calcaribus concitat, directis in alterutrum infeſtis haſtis, non obtuſo, ut aſſolet, ſed acuto & ſolido chalybe præfixis. Fefellit ictum primò uterque, adeò

in-

inſultim cucurrerunt. Circumactis deinde equis ac repetito curſu, Leonelli ſcutum Sordellus bifariàm disjecit, nuſquam ejus violato corpore. Conſternatus tanto ictu equus non ſuffecturus ampliùs in pugnâ videbatur; deſilijt tùm ad pedes Leonellus, idem quoque facit Sordellus abjecto ſcuto, ut æquato genere pugnæ majorem victoriâ laudem conſquatur. Agi tùm gladijs eſt cœpta, inclamante ſæpè Sordello: Te quoad potes, Leonelle, defende. Inſtat ille intrepidus, pedem pedi confert, humerum humero pulſat. Crebri circumferuntur ictus nunc cæſim nunc punctim. Irritatus tandem accepto levi vulnere Sordellus, Leonellum, jam alterum ictum parantem ſubſiliens medium amplectitur, circumlatúmque aliquandiù ad terram tantâ vi deverberat, ut ſemianimis ex ore & naribus ſanguinem effuderit. Recreatus aliquantulum à conſternatione vitam orat, datâ fide, ſe ut captivum mandato victoris obtemperaturum. Ibis, inquit Sordellus, ad Gallorum Regem cùm Galvano (hominem, qui tùm aderat, oſtendens) illique noſtram virtutem, cujus periculum hodie feciſti, enarrabis. Repromiſit Leonellus ſe facturũ omnia, quando necis in ſe ac vitæ poteſtatem haberet. Tùm Sordellus comitante Populo hominem, non ut captivum, ſed ut ſocium & amicum, in tecta ſua perduxit. Poſt aliquot dies Galvanum ac Leonellum, in Galliam abeuntes, uſque ad Mercariam comitatur; inter eundum utrique exponit,

ponit, quæ velit nunciari Regi. At Rex Apuliæ, auditâ per eos, (quos Sordellus miſſos fecerat) Leonelli captivitate, ejuſdémque in Galliam profectione, hominis caſum vehementer indoluit, ſe ipſum accuſans, quòd tantum virum tantiſque victorijs celeberrimum tentare fortunæ temeritatem coegiſſet. Paraverat jam omnia ad profectionem Sordellus, cùm nuncij ab Eccelino Patavino Tyranno, ejus famâ permoto, ſuperveniunt orantes, ut priuſquam in Gallias proficiſcatur, videndi ſui atq; alloquendi Eccelino, copiam faciat, qui Veronam eâ tantùm causâ venturus ſit, quò etiam velit hominem contendere. Sordellus deſiderio tanti Viri ſatisfacturus, poſt triduum cum nuncijs Veronam, quò jam Eccelinum veniſſe intellexerat, pergit, magnâ obviàm tùm civium, tùm aulicorum effusâ multitudine; neque ibi diu moratus, vocante Albrico Eccelini Fratre literis & nuncijs, Patavium quoq; proficiſcitur, in quâ Vrbe comitate, fortitudine, modeſtiâ tantam opinionem de ſe concitavit, ut multos ab exteris Provincijs ad ſingulare certamen exciverit, præcipuè autem Corradum Germanũ, Auſtrianorum Militem egregium, qui, impetratâ à Duce cum Sordello dimicandi veniâ, Patavium equis & armis optimè inſtructus contendens, Sordellum, cùm Eccelino in foro tùm caſu exiſtentem, ad ſingulare certamen provocat. Cui Sordellus: Vbi voles, inquit, hoſpes, paratus ſum tecum decertare; decernatur locus, deligatur dies, quo u-

terque noſtrorum armis inſtructus deſcendat. Ejus rei Eccelino, tantum certamen libenter inſpecturo, poteſtas permiſſa, qui paratis rebus omnibus indictâque decertandi die, in forum cum Sordello deſcendit. Comitabatur alterâ ex parte honoris causâ Corradum Albricus. Conditiones decertandi per præconem publicè pronunciantur, ut ter collatis haſtis concurrerent; tùm demum ad gladios & clavas ferreas pervenirent, ſi haſtis neutram in partem declinaret victoria. Datur ſpectante populo concurrendi ſignum; quo accepto, alter alterum concitatis equis tanto impetu invadit, ut capita ad equi clunes deflexerint. Circumactis deinde equis, rursùm infeſtis haſtis acuto ferro præfixis curſus repetunt. Non fefellit venientem Sordellus, qui totus haſtæ inhærens, Corradi ſcutum, accepto & ipſe gravi ictu, à pectore hominis fractis loris deturbat. Tùm Sordellus, abjectâ haſtâ, ſtricto enſe hominem fidentẽ æquato genere pugnæ invadit, magnâ voce eum adhortatus, ne ignaviâ ſuccumberet. Magni tùm, ultrò citróque ſubclamantibus, qui ſpectabant, circumferebantur ictus. Favebant linguis Sordello Patavini ferè omnes, præcipuè verò Beatrix Eccelini Soror, quæ visâ ſpecie ac dignitate hominis adeò ejus amore exarſerat, ut nil aliud à Deo precibus contenderet, quàm ut Sordellus ſuperſtes ac victor evaderet. At Corradus non diu in armis ſuffecturus, quippe cum ea Gens laboris ſit ac caloris impatiens,

patiens,

patiens, venientem ictum propellens, transfigere Sordellum mucrone conatus, ducto ſurſum gladio, grave accepit in dextero humero vulnus; quo factum eſt, ut deficiente ſanguine, deficerent etiam ad pugnandum vires. Inſtat tum Sordellus, repoſito gladio, clavâ hominis caput circumverberans, nec prius deſtitit, quàm ſe victum ac captivum Corradus profiteretur. Mittitur & is, curato prius vulnere in Gallias, eâ conditione, quâ Leonellus quondam. Cæterùm Beatrix amore ardens, non virtute minus quàm hominis formâ incenſa, nutrici, cui maximè fidebat, omnia aperit, rogátque, ut ei ſuâ unius operâ cum Sordello loqui liceat. Diſſuadere id primò nutrix cœpit; demum victa Puellæ precibus Sordellum adit, hominémque rogat, ut noctu clàm ſecum ad cubiculum Beatricis pertendat. Tùm Sordellus non immemor accepti ab Eccelino beneficij, congreſſum illum ut deteſtabilem ac nefandum abominari cœpit. Demum precibus ac lacrymis Puellæ victus, quæ ejus amore deperibat, cùm nec lapideum ſe nec expertem amoris diceret, quò nutrix ducebat, profectus, Puellam amore conſumptam, & quæ vix reddere ſalutem præ gaudio & metu valebat, adit, lacrymantem ſolatur, rogátque, ut quid velit, tandem exponat. Tùm illa ægrè ſpiritum ducens: Ex quo, inquit, Sordelle, te vidi, tuâ formâ & egregiâ virtute capta, die ac noctu quieſcere nunquam præ amore

quivi; ante oculos meos tua ſemper obverſatur imago; nubilis ſum, ut vides, præclaris orta Majoribus, curandum etiam eſt, cùm ratione matrimonij in alienâ domo mihi ſit vivendum, ut illi nubam, quo cum præcipuè mihi ætate & moribus conveniat; non erunt dedecori rebus à te præclarè geſtis nuptiæ meæ, nec ero (modò tuo connubio potiar) ad alienos thoros prona, cùm nullam aliam ob rem quàm ob tuam ſingularem virtutem amare te cœperim; hoc ſi petenti denegaveris, ſcito, me propediem mihi manum injecturam. Ad hæc Sordellus: Non pepercit unquam amanti, ut video, verus amor; in te enim, viſâ hâc honeſtiſſimâ formâ, perſpectâque venuſtate oris tui exarſi, ſed recentia tuorum erga me fratrum merita effecêre, ut ratione & conſilio cupiditatem vincerem; violare jura hoſpitij ſummum nefas eſſe duco, &, quæ bellorum incendia quondam ob raptas virgines ſint concitata, nequaquam me fugit; convenit ætas, conveniunt fortaſſè mores, ſed fortunâ impares ſumus; quod enim comercium privato viro eſſe poteſt cum Virgine nobiliſſimâ, ut ex his ortâ, qui rerum potiuntur? fœliciores nuptiæ & ſanguini tuo convenientes te manent; proinde me autore tibi ipſi ac generi tuo conſules. Conantem denuò & fruſtrà preces addere Puellam collapſam præ mœrore in nutricis ſinum non ſine lacrymis reliquit. Sequenti die impetratâ abeundi veniâ, profectionem ſuam in Gallias cauſatus, equis &

armis ab Eccelino donatus, multis comitantibus Mantuam primò ad ſuos revertitur. Ad cujus ædes ex totâ Vrbe viſendi hominis causâ concurſum eſt, adeò unicè à Civibus ſuis diligebatur. Cæterùm Beatrix, non extinctâ Sordelli diſceſſu amoris flammâ, ſed auctâ, diſſuadente fruſtrà nutrice, ſumpto virili habitu, ad quem pro tempore ſuſcipiendum eandem ac ejus filiam ; ſexum mentitas, compulit, ne in itinere, comitante tantùm nutricis marito, dignoſcerentur, Vrbem Mantuam ingreſſa, ad Petrum Avogadrum, Virum egregium ac domi nobilem, amicitiâ & neceſſitudine aliquâ Eccelino conjunctum, divertit. Admiratur primò Petrus, cognitâ Puellâ virili cultu indutâ ; mox perceptâ adventûs causâ, amantis caſum miſeratus, Sordellum adijt ſciſcitaturus, antequam ad Eccelinum de ſorore ſcriberet, quid animi erga mulierem haberet ; quem ita animatum reperit, ut nullam rem magis, quàm Eccelini honorem & dignitatem inſpicere videretur. Ejus rei Petri literis admonitus Eccelinus, Sordellum ad oſtendendam animi ſui integritatem Patavium profectum, domi hoſpitio comiter ſuſcipit, acceptâque ſatisfactione, hominem quovis honore afficit. Supervenit & Petrus paucos poſt dies, qui expoſitâ Beatricis voluntate, quæ affirmabat ſe aut Sordellum in maritum habituram, aut ſi id minus per fratres liceret, vim ſibi ſuſpendio vel ferro illaturam, collaudatâque Sordelli integritate & innocentiâ, Eccelinum

ac fratrem, haud multùm ab hâc affinitate abhorrentes, compulit Beatricem Sordello in matrimonium collocare. Dies itaque nuptiarum indicitur, magni totâ Vrbe fiunt apparatus. Præmittitur & Petrus, qui Puellam Patavium conducat, quam multæ honeſtiſſimæ Matronæ, multi præclari Juvenes ex Nobilitate Mantuanâ in Patriam ſunt comitati. Excipitur à Fratribus perbenignè Puella, collaudatúrq; maximè ab Eccelino, quod tantum Virum, cui nec parem quidem, nedum ullum ſuperiorem, animi & corporis dotibus Italia haberet, in maritum ſibi delegerit. Venerat nuptiarum dies, multis undique tùm ad nuptias tùm ad ludos confluentibus. Deligitur in atrio locus, quo Puella audientibus omnibus luculento epithalamio Sordello jungitur, impoſito, ut mos eſt, in digitum annulo; tùm paſſim cantus exaudiri, & voces clamantium, ut fœlix illud fauſtúmque connubium eſſet. Saltabatur & ad tibias, nec citharis æneatoribúſque ſuus deerat locus; nuſquam eâ tempeſtate tantum ſonorùm auditum; largiſſimæ epulæ quatriduì unicuique volenti præbitæ, miſſitata etiam pretioſiſſimarum rerum munera viciſſim ſunt. Secundo die ludi magnificentiſſimi ſunt præbiti: Tertio diverſarum ferarum venationes habitæ. Quarto ab equitibus collatis haſtis concurſum, propoſito ingenti præmio. Dilabi deinde paſſim ab unoquoque ad Civitates ſuas eſt cœptum, remanente per aliquot dies Sordello; qui non immemor promiſſi

miſſi in Gallias ad Regem ire cupiens, impetratâ ab Ecceli-no abeuundi veniâ,ægrè ab vxore mœſtâ & lacrymis ſqualidâ, quam apud Fratres relinquere inſtituerat, diſcedit. Mantuam primò ad viſendos amicos parandáſque res ad tantam támque longinquam profectionem neceſſarias contendit. Inde abiens aliquot ex Nobilitate Mantuanâ comitantibus, ſuperatis Alpibus, per plana Galliæ iter faciens, Troada nobiliſſimam Civitatem pervenit. Ad quem viſendum, cùm ex itinere equos feſſos in diverſorio reficit, ejus famâ compulſi aliquot loci clariſſimi Cives cum donis & muneribus pervenêre, inter quos Zachetus erat, Vir domi nobilis ac dimicandi arte peritiſſimus. Salute datâ redditâq;, ex his unus Sordellum inire ſingulare certamen cum Zacheto Viro ſtrenuo ac manu prompto rogat. Recuſare tùm id Sordellus non ignaviâ & timiditate,ſed quòd equos ex itinere feſſos haberet, quódque ad Regem feſtinare opus eſſet. Inſtant tùm illi, aſſerentes brevi id fieri poſſe, nec defuturos ei equos ad certandum neceſſarios; ex duobus, quos optimos habeat, alterum optione Zachetum polliceri. Tùm Sordellus, petitis quinque dierum inducijs facturum ſe, quæ illi vellent, repromiſit. Venerat certandi dies, cùm undique non ex accolis, ſed ex finitimis civitatibus in Vrbem tanta confluxerat multitudo, ut paſſim in vicis poſitis tabernaculis, cùm ſub tectis non liceret, pernoctarent. In campum armati deſcendunt;
ora

ora undique in unum conijciuntur Sordellum. Dato tandem per claſſicũ concertandi ſigno, alter alterũ infeſtis haſtis impetit; quibus disfractis, redintegrato curſu, demùm Sordellus Zachetum ex equo deturbat; deſcendit & ipſe, & abjectâ haſtâ ſtrictóque enſe cominùs rem gerit. Non detrectat pugnam Zachetus, ſuis undique adhortantibus, ut memor Patriæ, cujus illud dedecus, ſi victus, illa laus erat, ſi victor fuiſſet; memor priſtinæ virtutis eſſet, quâ ſæpius honeſta ſpolia cum laude reportârat. At Sordellus, qui potiùs inhibendus à certamine, quàm cohortandus ad id erat, adeò ad pugnam acri animo ferebatur, crebris ictibus Zachetum diverberat; qui abjecto enſe, Sordello ſuccedens, pugione transfigere ejus latus conatur. Sordellus autem, arreptâ clavâ, tantâ vi hominis tempora diverberat, ut ſemianimem ad terram detruſerit. Abſcidit tùm vocem aſtantibus pavor, adeò in uno cive ſpem & metum collocaverant. Inclamat horrendum Sordellus: Vitam tibi, ni deditionem properè feceris, Zachete, auferam. Conantem aſſurgere rursùm percùtit. Tùm Zachetus, adhortantibus omnibus, ut deditionẽ faceret, quando par tanto Viro eſſe nõ poſſet, dexterã inſtanti porrigit, quod erat deditionis ſignum. Hominem amplectens Sordellus ſublevat, ſpoliandúmque ſocijs tradit. Ad diverſorium deinde multis comitantibus tendens, paratâ ſumptuoſâ ac lautiſſimâ cœnâ, aliquot ex primoribus Civitatis cum Zache-

cheto in convivium adhibet, cui poſt cœnam jure captivitatis mandavit, ut ſecum ad Regem proficiſceretur. Biduo poſt iter inſtitutum Sordellus carpens, tandem Pariſios, quæ Civitas Caput Regni habetur, pervenit. Poſtero autem die ejus diei, quo Vrbem ingreſſus fuerat, ad Regiam, comitante Zacheto, profectus, dum ante veſtibulum inambulat Regem opperiens, à multis cum admiratione inſpicitur. Progreditur tandem Rex magno nobilium comitante numero, cui Sordellus obviam factus, ad genuáq; provolutus, Regem ſalutans: Tuus, inquit, Sordellus Mantuanus ſum, quem Galvano nuntio ad Te venire juſſiſti. En adſum, mandata ac imperia tua nunquam recuſabo. Rogavit bis hominem Rex, Sordellus ne eſſet. Tùm ille ſtomachatus, quod ſibi fides non adhiberetur, nullâ petitâ veniâ diſcedit. Abeuntem revocat Rex, ac quò iret, rogat. Tùm ille: Mantuam, unde teſtes abducam, qui tibi fidem faciant, me Sordellum eſſe, quando mihi bis affirmanti non credis. Tùm Rex hominem amplectens: Enim verò, inquit, tuus iſte ferox animus tuáque loquendi libertas faciunt, ut te illum eſſe credam, quem videre tantoperè concupivi, converſus deinde ad ſuos, hominem laudibus ſupra modum extollens, affirmavit, credere ſe in totâ Europâ eſſe neminem, qui huic viribus ac conſilio in re militari par, nedum ſuperior dici poſſet. Quâ quidem laude tantum æmulationis Sordello concitavit, ut paſſim multi ex

omnibus Provincijs ad tentandam hominis virtutem confluxerint. Aderat tùm Leonellus, aderat Corradus, aderat & Zachetus, nuper ad Troada Companiæ ex itinere victus, qui laudes hominis magnificentiſſimis verbis ſubſecuti, ſententiam Regis affirmabant. Motus invidiâ unus ex his, qui proximi Regem circumſteterant, irridens ſocium, ita affatur, ut à Sordello tamen intelligi poſſet: Hunc etiam talem, qualem ij prædicant, chlamys ipſa præ ſe fert. Tùm Sordellus: Sive curta, ſive attrita ſit hæc chlamys, nil virium aufert affértve Sordello; te, inquit, præſente Rege ad ſingulare certamen provoco; tùm armis decernetur, veriórne Regis, quàm tua ſit ſententia; quod ſi mecum certare abnueris, te ut peſſimum hominem & maledicum ubique prædicabo. Non renuit provocantem Griſulphus (id enim ejus Equitis nomen erat) in quem unum omnes conjecerant oculos. Datur optio Sordello, ut ex ſtabulo regio, quem velit equum, deligat. Circumſtant hominem officij causâ quatuor illi, quos vicerat, adhortantes, ut dicacis Griſulphi audaciam & temeritatem refringat. Agebant id, credo, ne ſi ſuperatus Sordellus fuiſſet, major ignominia oboriretur, utpote ab eo ſuperati, qui vel mediocri pugnatori par eſſe nō potuiſſet. Bonum animum Sordellus hos habere jubet; non rediturum ſe domum niſi victorem affirmat. Ad quintum decimum diem poſt provocationem in campum ad decertandum idoneum conveniunt, a-

ſtan-

aſtante Rege ac reliquâ tùm urbanâ, tùm, quæ ex finitimis videndi certaminis causâ undique convenerat, multitudine. Dato ſigno concurritur quater ab utroque hoſtili animò, nec quicquam præter ſcuta illiſum eſt, adeò dimicandi arte valebant. Tùm Sordellus indignabundus, quòd hoſtis tantùm ſubſiſteret, venientem in ſe enſe ſtricto ac citato curſu, ſubſultim ipſe procedens, propulſato ictu medium amplectitur, ac tùm demum ſubfoſſo calcaribus equo hominem à ſellâ divulſum mirantibus omnibus ad Regem detulit, identidem rogitans, longa ne ei videretur, an curta, quâ induebatur, chlamys. Concurritur ex toto campo ad unum Sordellum, eúmque ut alterum Herculem intuentur & ad Cœlum laudibus ferunt. Rex hominem in Regiam perducit, multis Heroibus comitantibus, hanc eandem vocem identidem repetens, vidiſſe ſe nunquam hominem fortiorem, nec cujus mores Heroico Viro magis convenirent. Sequenti die militares ludos per præconem pluribus in locis pronunciari jubet. Venêre non ex Galliâ modò & Germaniâ, ſed etiam ex ultimâ Britanniâ multi, Sordelli famâ exciti. Deſcenditur ad præſtitutam diem in certamen, quod fiebat locis patentibus, compoſitis ad ſpectandum circumquaque fulcris. Nunquam anteà tanta multitudo in uno loco viſa. Ex flore Nobilitatis mille & quingenti Equites deliguntur, qui bifariàm diviſi binis caſtris, ſatis magno intervallo hinc atque inde ex adverſo

poſitis, quo laxiùs dimicaretur, intenti pugnæ ſignum expectabant. Stabant in eâ acie, cui præerat Sordellus, quinque illi, quos ipſe vicerat, eiſdem inſignibus, quo ipſe ornati, exceptâ duntaxat Accipitris formâ, quam pictam acu ſuper ſagum gerebat. Dato ſigno, procurritur repentè cum clamore magnâ vi; volant ad Cœlum comminutæ haſtæ, micant ante ora pugnantium gladij; hunc trahi, illum trudi ex equo præcipitem vidiſſes. A nemine res negligenter agebatur, quippe cum ſub tot hominum oculis dimicaretur. Obibat frequenter Sordellus tùm militis, tùm Ducis munia; in quem unum delatus adverſariorum cuneus, non minore vi repellitur, quàm hominem invaſerat. Pugnatum jam erat ad horam, cùm ſubito à Rege redeundi in caſtra ſignum datur. Tùm Sordellus, convocatis primoribus ordinum, maximè verò Leonello cum reliquis ſocijs, pulcherrimum ſe facinus editurum oſtendit, ſi ab his fuerit adjutus. Repromittunt illi ſe ituros, quò illum pervadentem viderint. Eundum glomeratim oſtendit, & impreſſionem faciendam, ubi adverſarios condenſatos viderint, quos, ut diſſipatos, à ſubſequenti ſuorum acie fundi perfacilè ac capi poſſe oſtendit. Datur ſecundò invadendi ſignum, nec minore tunc quàm anteà procurſum eſt animo. Vadentem per mediam adverſariorum aciem Sordellum Rex admirabundus reſpicit; in quem pudore ac æmulatione gloriæ permoti Galli quidam ingentis magni-

gnitudinis magno impetu hominem oppreſſuri deferuntur. Non declinat venientes Sordellus ibi; admirantibus omnibus diu acerrimè dimicatum eſt. Tandem verò Galli viribus atque animo impares, in interiorem ſuorum aciem ſeſe recipiunt. Prodijt ex agmine unus, Sordellum identidem ad ſingulare certamen provocans; ad cujus vocem Vir impiger excitatus, in medium progrediens ac manum conſerens, eò laſſitudinis Gallum Equitem perduxit, ut planè audientibus omnibus ſe victum fateretur. Poſtremò reductis in caſtra aciebus reficiendorum corporum gratiâ, tertium pugnæ ſignum haud ita multò poſt, rogante Sordello, à Rege proponitur. Vltimos hîc utraq; pars edidit conatus, præcipuè cum de præmio ac palmâ, cujus causâ tantùm elaboraverant, tùm demum ageretur. Inſtabant Burgundi, vaſti corporis homines, ac Sordellum cuneatim invadentes, propellere campo conabantur; quo facto ſe victores futuros exiſtimabant. Quos quidem Vir fortiſſimus cum delectâ ſuorum manu tantâ vi repulit, ut fugientes uſque ad caſtra ſit proſecutus; quò etiam paulò poſt reliqua acies, urgentibus Sordelli militibus, ſeſe recepit. Placuit tùm Regi, affirmantibus, qui aderant, Principibus, Sordellum victorem claſſico pronunciari; quem Rex poſteà in Regiam antelato victoriæ præmio multis comitantibus reduxit. Divulgata per omnem Europam Sordelli fama duos nobiliſſimos ac fortiſſimos juvenes

gloriæ cupidos ex ultimâ Britanniâ excivit, qui Pariſios profecti, Sordellum audiente Rege ad ſingulare certamen invitârunt. Idem fecit Fraſatus Burgundus, Vir domi nobilis ac manu promptus, qui tùm fortè ejus rei causâ hominem compellaverat. Quibus ita Sordellus reſpondit, non abnuere ſe provocationem, modò eâdem die cum his tribus ſeorsùm dimicare liceret. Redire enim in patriam Vir præclarus cogitabat, nec detineri ampliùs ullâ causâ volebat, cùm jam tres menſes apud Regem fuiſſet. Admiratus tùm Rex, hominem admonet, ne tantum laboris tantúmque periculi uno ſubeat die. Tùm Sordellus: Bono, inquit, animo, Rex, eſto; hos enim ſuperare ſine magno meo incommodo uno certamine poſſe me video, modò adſint equi, adſint, qui tela ſubminiſtrent. Datur à Rege uni ex ſuis negocium, qui omnia Sordello neceſſaria ad tantum certamen paret. Deſcenditur in campum ad præſtitutam diem, magnâ undique confluente turbâ. Deligitur ſorte Zilichinus Britannus, qui primus cum Sordello congrediatur. Primo congreſſu integræ remansêre haſtæ, etſi alter alterum non fefellerit. Secundò tanto impetu concurſum eſt, ut ſeſſorem & equum Sordellus præcipites dederit. Quo facto ſtatim ex equo deſcendens, jacentem obtruncare parabat, ni deditionem properè feciſſet: Succedit pugnæ Fraſatus Zilichini comes, Vir genere & factis clarus; qui primò mutuo ictu ita ſeſe percuſsêre, ut uterq;

ali-

aliquamdiu ſtupidus ſteterit;mox recreati curſum repetentes, ita infeſtis cuſpidibus cucurrêre, ut disjectis ſcutis, fractiſque haſtis, rem gladijs gerere neceſſe fuerit. Trajecit Fraſatus Sordelli loricam, & ſiniſtrum humerum leviter perſtrinxit. Tùm Sordellus irâ percitus, in enſem ſurgens, tantâ vi dexterum hoſtis brachium percuſſit, ut enſem relinquere præ dolore & magnitudine vulneris hominem coegerit. Qui ſiniſtrâ pugionem punctim ducens, vulnus non grave in ſiniſtrum Sordelli latus impegit, verùm Sordellus nequicquam eo vulnere retardatus, captâ ab adverſarij thorace pendente catenâ ac concitato calcaribus equo hominem ad terram pertraxit; quem ſtatim ex equo deſcendens jugulâſſet, ni dexteram manum, quod erat deditionis ſignum, porrexiſſet. Adhortari tùm Rex, & qui eum circumſteterant, Sordellum, ne feſſus ac ſaucius cum tertio dimicare contenderet. Quod quidem conſilium ille ſpernens, Leopardum identidem ad certamen provocabat; à quo, nullâ morâ interpoſitâ, in provocantem infeſta dirigitur haſta. It contrà Sordellus; concurſum eſt utrinque magnis animis; Leopardo conante amici ac patriæ honorem recuperare, Sordello contrà nitente partum decus retinere. Pendebant tùm maximè ſpectantium animi, quòd res in anguſtum deducta videbatur, cùm Leopardus duobus, qui ante ſe certaverant, victis, ſaucium Sordellum integer ipſe ſuperare contenderet. Sordellus, audito ſigno,

fine

ſine morâ in hoſtem venientem procurrit, disfractis vehementi ictu haſtis, ac circumactis equis, aſſumptis denuò lanceis, & quidem groſſioribus, ita ſe mutuò invasêre, ut Leopardi equus in clunes reciderit, & ſcutum Sordelli fractis loramentis per aëra in pilæ modum ferretur. Non deerant, qui Leopardum, quique Sordellum adhortarentur; hujus commemorabantur crebræ victoriæ, illius patriæ avita laus, unde optimi pugnatores ſemper prodierant. His cohortationibus incenſi proceres, ſtrictis enſibus cominùs rem gerere pergunt. Multi punctim, plures cæſim inferuntur ictus. Sordellus tandem arreptò cono galeæ Leopardi, ita hominis cervices clavâ percuſſit, ut conſternatum mentè ad terram dejecerit. Demùm recreatum aliquantulùm ac conantem ſurgere minis ad deditionem coegit. Tùm Rex admirabundus, facto per præcones ſilentio, ſic eſt exorſus: Quandoquidem, inquit, Sordelle neminem in re militari parem habes, quod anteà ſæpè ac maximè hodie, ſuperatis tribus fortiſſimis viris, oſtendiſti, cùmque honeſtiſſimi mores tui ac vita optima ita exigant, te hodie in Equeſtrem Ordinem adſciſcere inſtitui, ne meritorum tuorum præmio defraudatus omninò videâre. Tùm Sordellus Regi gratias agens, dignitatem illam continuò renuit dictitans, illis tantùm mandari debere, quorum vita omni ex parte probata eſſet; petere ſe unum, ut captivos omnes, quos ei donaverat, domum liberos

ros ſuâ gratiâ dimitteret ; quod quidem ſe facturum ac libenter Rex ſtatim promiſit. Fatigatus tandem Sordellus Heroum omnium precibus, Equeſtrem dignitatem accipiens, multis ac magnis à Rege muneribus donatur, maximè verò Accipitre aureo, quod quidem Inſigne non niſi Equites Regij ad collum geſtare conſueverant. Perductus tandem in Regiam, ac curatis, quæ in prælio acceperat, vulneribus, memor promiſſi, quod Civibus ſuis, quod & Uxori de reditu fecerat, ad pedes Regios provolutus, eum rogat, ut ſibi cum ſuâ bonâ veniâ diſcedere liceat, ne Uxorem aut Cives fallat. Inſtabat Rex, rogantibus etiam, qui aderant, Principibus, ut apud ſe, petitâ, quam vellet,conditione,remaneret: quem tandem miſſum fecit, ubi hominem velle abire intellexit ; præmiſſo ſequenti die ſervo, qui ei ad viaticum tria millia nummorum aureorum, quos illi vocabulo Gentis Francos vocant, ſuo nomine condonaret. Quos quidem Sordellus, nequaquam auri cupidus, aliquamdiu aſpernatus, ſervo precibus inſtante, ne Regium munus contemneret, tandem accepit. Actis deinde gratijs tàm munificentiſſimo Regi, quibus poterat verbis, magnâ Nobilium multitudine uſque ad quintum ab Urbe milliare comitante, in Italiam revertitur, quacunque iter facit, omnium oculos in ſe convertit, Sordellum illum eſſe dictitantium, qui tot viros ſingulari certamine vicerit, quique neminem in to-

tâ Europâ robore corporis atque animi dotibus parem adhuc invenerit. Hominem multæ Civitates, ejus virtutem admiratæ, publico ſumpsêre hoſpitio, à quibus poſteà dimiſſus non minore gratiâ eſt, quàm anteà ſuſceptus fuerat; tantâ comitate ac morum facilitate ejus fortitudo ac virtus condita erat. Mantuani Cives, audito Sordelli adventu, gratulabundi obviàm procedunt, gratiáſque publicè agunt, quod patriam virtute ſuâ in Galliâ etiam celebriorem reddiderit. Eccelinus, audito Sordelli adventu, Mantuam properè nuncium mittit, qui ab homine precibus contendat, ut Patavium, ab omnibus exſpectatus, maximè verò ab Uxore, proficiſcatur. Facturum ſe id propediem Sordellus reſpondet, re domeſticâ priùs compoſitâ. Commoratus aliquot in Urbe dies appellandorum Civium & Amicorum gratiâ, Petro Avogadro comite, Patavium contendens, obvium ad quintum lapidem Eccelinum habuit cum magno Nobilium Virorum numero, à quo in Urbem perductus eſt, multis undique ex totâ Civitate ad videndum hominem confluentibus. Ventum erat ad ædes, cum & Beatrix Uxor & Albricus ac reliqui domeſtici obviàm in limine facti, hominem amplexibus ac rogitationibus, ut fit, ſatine ſalvæ res eſſent, fermè defatigaverunt. Juvabat audire quid egiſſet, poſtquam ab eis diſceſſerat. Pendebant ab ore narrantis, ubi res in Galliâ geſtas à ſe & Regis illius munificentiam ac

gra-

gratiam exponeret. Erat enim in homine doctrina non mediocris & eloquentia quædam militaris, quâ maximè diſtinctè & apertè narrabat omnia ſine ullâ concitatione invidiæ aut obtrectationis. Exactis demum ludis ac certaminibus, quos Eccelinus maximos ac celeberrimos Sordelli gratiâ inſtituerat, rogatu Civium ſuorum, qui hominem abeſſe tamdiu ægrè ferebant, in patriam cum Uxore, Eccelino non abnuente, quando ita vellet, redijt. Celeberrimos ludos tùm militares tùm civiles dies octo Mantuani in honorem Sordelli edidêre, ne Civem ſuum merito honore fraudarent, quem apud exteros tanto in pretio fuiſſe non abſque Reipublicæ gloriâ intellexerant. Vir fuit ad omnes res agendas, & eas quidem præclaras, natus; viginti tres fortiſſimos pugnatores publicis certaminibus ſuperavit; in Ludis militaribus primus ſemper eſt habitus; pallum torquere, luctam luctare, ſaxum jacere, ſaltu certare, canere fidibus optimè norat. Annum agens quadrageſimum, remiſſis aliquantulùm corporis exercitationibus, vires ingenij, quo maximè valebat, exercere inſtituerat, cùm nunciatum eſt Eccelinum, libidine dominandi cupidum, ingentem parare exercitum, quo tantam Provinciam in ſuam redigat poteſtatem. Solicitus itaq; de ſalute patriæ, omiſſis ad tempus literarum ſtudijs, firmandis mœnibus, ubi debiliora videbantur, ducendis, elimandiſq; foſſis, confirmandis ad libertatem Civium animis, totus erat intentus.

LIBER SECUNDUS.

Repetendum mihi priùs Eccelini genus videtur, quàm bellum graviſſimum contra Mantuanum Populum injuriâ ſuſceptum aggrediar. Natum Eccelinum & fratrem ejus Albricum Patre Theutonico conſtat, qui ſub Ottone Tertio bello Italico merens, tantas opes filijs moriens reliquit, ut ij poſteà Italiæ Regnum occupare ſint annixi. Additur ob ſævitiem credo, quæ maximè eorum ingenijs inſita erat, huic loco fabula. Matrem Adelaitam moribundam parvulos ad ſe vocâſſe, dixiſſéque,eos non ex Monacho (id enim Patri nomen fuit) ſed ex Dæmone, à quo nocte fuerat compreſſa, natos. Eritis, inquit, patri perſimiles, neque vobis quiſquam ſævior aut flagitioſior habebitur; magnum per nefas adepti imperium, in ipſo flore ætatis cum genere veſtro concidetis. Hæc vaticinatam ferunt avertiſſe oculos, ac paulò pòſt egiſſe animam. Audaciores tàm ferali vaticinio adoleſcentes facti, miſcere humana omnia ac divina explendæ cupiditatis causâ, quâ maximè ad tyrannidem ferebantur, cogitare quâ ratione occupare Patavium poſſent; etenim orti ex Honariâ Patavinorum vico erant. Occupato itaque Patavio aſtu ac dolo, Tarviſium cum toto Forilivienſium angulo, Vicentiam direptam & everſam, Veronam ac Brixiam ſuo adjecêre imperio. Inde

poſt

poſt aliquot annos Eccelinus, relicto ad gubernandas Civitates Albrico, Mantuam Urbem oppugnaturus, ni deditonem facerent, cum ingenti exercitu proficiſcitur, præmiſſis Oratoribus, qui Sordelli ſeorſum & quorundam Civium animos tentarent, quique eos minis, ſi pollicitationibus non poſſent, ad fœdus petendum impellerent. Legatis unâ omnium voce reſponſum: Mantuanum Populum liberum eſſe, eúmque extrema quæque pro libertate paſſurum, ſi quis evertere ejus libertatem conaretur; rogare Eccelinum,ut,quando à Mantuanis nullâ laceſſitus ſit injuriâ, eos ſinat in libertate vivere; propulſaturos ſe injuriam, quoad fieri poterit, affuturúmque ſperare Deum Ultorem illati ſine causâ belli, etiamſi à nullo finitimorum fuerint adjuti. Accepto tali reſponſo præter opinionem, Eccelinus incenſus irâ omnia longè latèque populatus, anno quinquageſimo ſupra ducentos & mille Urbem ad meridiem obſidione cingit, duáſque portas, quam hinc Predellam, hinc Tireſiæ vocant, (nondum enim cunctâ palude tenebantur,) erectis machinis tormentiſque omni genere telorum oppugnare contendit. Contrà ab oppidanis turres contabulantur, muris crates,pinnis loricæ attexuntur. Eò comportantur omnia ab urbanâ multitudine, quibus à muris arceri hoſtis poſſet.Non continebat domi matronas & virgines pudor,non pueros & ſenes imbecilla ætas, tantus erat defendendæ

patriæ amor; ſuggerebant ij pugnantibus tela, ſuggerebant materiam, quâ refici tabulata ac mœnia ab hoſte diſrupta poſſent. Firmantur validiſſimo præſidio portæ, diſponuntur viciſſim in muris vigiles, diſponuntur cuſtodes, ſtat in foro diu ac noctu Civium armata manus, quæ, ſigno dato, celerrimè eò procurrat, ubi maximè fieri impetum ab hoſte intelligat. Conquiſitus erat ante adventum Eccelini undiq; commeatus; creantur Duumviri, qui eum è Republicâ Civibus parcè dividant, ne, quemadmodum fieri ſolet, profusè abutendo inopiâ poſtremò laboraretur. Crebra committebantur quotidiè certamina, indignante Eccelino, atque ægrè ferente, ab unâ Mantuâ detineri, quo minus Italiæ Regno potiretur. Qui dum avidiùs inter ſuos tùm cohortando tùm dimicando verſatur, ſaxo ſupernè conjecto tàm gravi ictu percutitur, ut, fugiente reliquâ multitudine, quæ caſum Ducis ſenſerat, ægrè à cohorte prætoriâ in caſtra ſit delatus. Fuiſſet tùm profectò oppugnationis finis, ſi militem exire, & cedentem hoſtem inſequi Magiſtratus permiſiſſent. Incenſæ fuêre tamen eorum vineæ, incenſæ turres, incenſa propugnacula fermè omnia eodem die. Liberatus illiſione capitis Eccelinus, Urbem acriùs oppugnaturus, majores copias accerſit, incenſas turres inſtaurat, ſagittarios & funditores in oppidanos diſponit; mœnia deinde ubi minùs valida eſſe à transfugis intelligit, ariete demoliri conatur,

natur, quo acie & pænè collatis ſignis cum Civitate decertaret. At Mantuani ductâ profundiſſimâ foſsâ, erectóq; aggere & vallo intra pomeria, percuſſi è regione muri, armati adventantem hoſtem alacri animo ſuſtinebant. Interficiebantur multi tùm ſaxis tùm miſſilibus telis, & cùm integri hinc ab oppidanis, hinc ab hoſtibus feſſis continuò ſuccederent, fiebat ut quaſi renovatâ pugnâ multa vulnera utrinque ſuſciperentur. Diremit tandem tàm atrox prælium nox, & ægrè quidem; adeò enim incenſi erant illi ad oppugnandum, ij ad reſiſtendum, ut ſtudio dimicandi adventantem noctem non ſentirent. Magno ſtetit ea pugna Eccelino; luſtrato námque ſequenti die exercitu, cognoſcit, non decimum quémque militem ſine vulnere eſſe. Audiebantur paſſim gemitus morientium, audiebantur voces Eccelini caput execrantium, quòd exercitum in tàm iniquum locum ad dimicandum quotidiè duceret. Progredi etiam longiùs pabulatum lignatúmq; gregarijs militibus neceſse erat, quibus difficultatibus ingens ſeditio eſt orta. Murmurabatur paſſim totis caſtris, in unum Eccelinum inſurgendum eſſe, qui ſanguinem ſitiens, ſuos hoſtibus jugulum porrigere cogat, & quos vi necari poſſe non videt, eos continuis vigilijs inter æſtuaria & paludes atterat. Obſideri, inquiunt, iſtud eſt, non obſidere; è noſtris plures quotidiè cadunt; major in exercitu noſtro rerum omnium penuria, quàm in Urbe obſeſsâ eſt; haben-

bent illi, qui ſaucios diligenter curent, nos, tanquam laceræ pecudes, paſſim alitibus & feris objicimur; provocavit etiam, ut cernere licet, in certamen Deos, qui febribus, qui peſte, quique aeris intemperie, noſtram irridentes ſtultitiam, nos conterunt. Agitari hæc ſentiens Eccelinus, ſeditionis autores ad ſe vocat, eóſque nudari, ac plagis cædi jubet. Concurritur ex totis caſtris, ſolvuntur vincti, & à tàm fœdo ſupplicio liberantur, clamante frustrà Eccelino, rem militarem licentiâ ſolvi. Exorabatur à ductoribus ordinum hinc Eccelinus, ut feſſo tot malis militi ignoſceret, hinc propellebantur gregarij, qui Eccelino gladios intentabant. At oppidani cognitâ hoſtium ſeditione, duabus portis eruptione factâ, vallum hoſtium defenſoribus vacuum conſcendunt ac diruunt, machinas ſubvertunt, tabulata incendunt, ſaucios in tabernaculis derelictos obtruncant. Ad fugam jam ſpectare omnes videbantur, cùm Eccelinus ab irâ ad preces converſus, rogare unumquemque militem, cœpit, ne ſe deſereret, ne victoriam penè partam ſuâ cum pernicie omitteret. Patiemini, inquit, milites, hoſtem, quem octavo jam menſe intra mœnia obſeſſum continuiſtis, in caſtris vagari, bona à vobis tot laboribus parta uno momento diripi? Turpe profectò eſt, à quovis hoſte ſuperari, at turpiſſimum ab eo fugari, cui vix tueri ſe mœnibus licuit. Sumite arma mecum, & hoſtem non ſuâ virtute, ſed noſtrâ

ſtrâ ſeditione confiſum, intra mœnia retrudite. His dictis properè vexillum capit, concitatóque calcaribus equo, in hoſtem clamitans contendit: Sequimini milites Ducem veſtrum, ſequimini ſigna, quæ vos nunquam injuſſu meo deſerturos ſanctè jurâſtis; parta jam vobis, ſi viri eſtis, uno momento victoria eſt, quam tamdiu optâſtis; prodijt ſpontè hoſtis, quem tot probris, tot convitijs extra mænia elicere toties tentâſtis. Moti non minùs periculo quàm pudore milites, Ducem ſecuti, miſſilibus primò, deinde gladijs oppidanos aggrediuntur. Procurrunt utrinque à lateribus equitum turmæ, quo genere pugnæ ſuperior Eccelinus videbatur, quòd equos plures & pinguiores haberet, quòd quidem difficile ab obſeſſis fieri poteſt, cùm aut equos emere, aut longiùs pabulatum progredi non liceat. Martem æquabant pedites, quibus mori potiùs quàm cedere propoſitum videbatur. Concitati ſuorum adhortationibus, qui eorum virtuti patriam, qui conjuges, qui liberos, qui fortunas de muris paſſis manibus commendabant. Pugnatum eſt aliquot horis conſtanter, neutrâ ſe inclinante acie. Cæterùm adventante nocte viſum eſt tutius Magiſtratibus receptui canere, ne dolo & aſtu Eccelini ſui circumvenirentur. Submiſſæ cohortes aliquot, quæ integræ tamdiu hoſtem ſuſtinerent, quoad ſe recipere feſſi intra mœnia poſſent. Inſtabat Eccelinus identidem clamitans: Vicimus milites; hoſtem fugi-

entem intra mœnia ſequimini. Ad propellendum hoſtem crociter inſtantem immiſſæ cohortes, pulcherrimum facinus arbitratæ, ante portas ſub ipſis oculis civium pro patriâ fortiterdimicare, non ſuſtinere modò, ſed propulſare hoſtem ſunt auſæ. Redintegratur prælium; Eccelinus inter primores fortiter dimicans pugnam ciet. Pulcherrimum erat videre, tàm paucas cohortes tot hoſtium millia forti ac conſtanti animo ſuſtinere. Dato virtutis ac fortitudinis experimento, milites Magiſtratuum juſſu ſenſim pedem referentes, intra portas ſeſe recipiunt. At Eccelinus, magno duabus pugnis accepto incommodo, cùm jam hiems inſtaret, & plus ſpei in obſidione quàm in oppugnatione haberet, hibernacula militi ædificare, convectâ undique ad eam rem materiâ, & hiemando continuare bellum inſtituit. Erectum propterea caſtellum eſt, ac validiſſimo præſidio munitum ad eam portam, quâ Veronam itur, ne commeatus vel apertè vel clanculùm, ut lucri gratiâ fieri ſolet, in Urbem inde importaretur. Inſignis hic annus non obſidione ſolùm tàm diuturnâ, ſed hieme gelidâ ac nivoſâ fuit, adeò ut viæ clauſæ, & Padus ac reliqua Provinciæ flumina per aliquot dies ob glaciem innavigabilia fuerint. De annonâ ex antè convectâ copiâ nihil immutatum. Immurmurabatur tamen totis caſtris, unum Eccelinum ad perdendos homines natum, qui non contentus ſit vulneribus ſuorum haurire ſanguinem, niſi eos quoque tùm calo-

ribus

ribus tùm frigoribus immenſis excruciet. Vera eſſe tùm deprehendere ſe dicebant, quæ quondam fabuloſa exiſtimaverant, Eccelinum ex Dæmone natum eſſe, à quo Mater nocturnâ ſpecie compreſſam ſe ac gravidam factam moribunda filio aperuit. Cui hominum non moverent ad miſericordiam animum tot clades acceptæ, tot continuata funera, tot vulnera, tot manci, tot claudi, tot mutilati frequentibus prælijs? Liquefacti anteà immenſis caloribus, nunc demum id animæ, quod reliquum ſuperfuerat, tot malis regelari; longè meliorem eſſe obſeſſorum quàm obſidentium conditionem, quippe qui nullius rei indigentes, tecto, parietibus, igne, culcitrâ, ſtramentis frigora propulſent. Abeundum eſſe ac relinqendum hoſtibus eum dictitabant, qui, non quomodo ſalvi eſſe poſſent, cogitaverat unquam, ſed malis ac cruciatibus hominum gaudens, militum capita mille periculis obijceret. Quotus enim quiſque noſtrûm eſt ſine vulnere? quot periêre iniquo loco pugnantes? Expugnare Urbem naturâ atque opere munitiſſimam, noſtris cadaveribus foſſas explere, aggerem facere, machinas erigere conatur ob inſitam ei crudelitatem; in quem ſi viri eſſemus, jam certò ſcio retruſa eſſet. Non deerant, qui tacitè prætereuntem execrarentur, quique ſegniter, otioſè, negligenter, contumaciter, ſi quid imperaretur, omnia agerent. Cognitâ per delatores, quos in exercitu frequentes habebat, ſe-

ditione ac ſeditionis autoribus, Eccelinus irâ incenſus, de decimando milite aliquamdiu cogitavit; mox ad ſanitatem, refrigeratâ jam irâ, rediens, cujus impotens erat, exauctorare quoſdam, maximè verò ad res novas ſpectantes, inſtituit, præmiſſis priùs per totam Provinciam ſcribis, qui novos in ſupplementum conducerent milites, equos undique emerent. Inſtante jam vere, ac permutatâ magnâ exercitûs parte, ad tentandum novorum militum robur, relictis, qui caſtris præſidio eſſent, in agrum Cremonenſem Legionem unam ducit, ubi ſuperatis in prælio Cremonenſibus, direptisque aliquot eorum Caſtellis, onuſtus prædâ, maximè verò commeatu, quo ager ille feraciſſimus abundat, ad ſuos revertitur, ſedendo bellum ducturus. Non ſinit tyro, uno prælio victor, Ducem naturâ ferocem quieſcere. Inſtat quotidie, orat, ut in expugnandâ Urbe virtutem velit experiri ſuam. Datur negotium Centurionibus quibuſdam, qui veteranorum animos tentent, quique eos ad benè de Duce promerendum adhortentur. Reſpondent illi, ſe haud gravatè, quæ vellet Imperator, facturos, ſi quam ad invadendam Urbem viam cernerent, quæ validiſſimo civium præſidio, profundâ foſsâ, altiſſimis mœnibus ſit munita; daret tamen, quando vellet, pugnæ ſignum, affuturos ſe continuò. Triduum inſumptum ad exſtruendas ſcalas, quibus muros aſcenderent; convecta undique ſarmenta ad op-

plen-

plendas foſſas, erectæ crebræ turres, unde promoveri ſagittis & fundis de muro civis poſſet, quo facilior militibus aſcenſus daretur. Senſêre hæc oppidani, à quibus nihilo ſegniùs, quæ ad defenſionem pertinent, ſunt proviſa. Datur negotium adoleſcentibus, datur ſenibus, ut pugnantibus tela ſubminiſtrent; contabulantur turres, unde tutius in hoſtem dimicetur; deliguntur cohortes aliquot fortiſſimorum militum, quæ in armis ad eruptionem faciendam, ſi id tempus expoſceret, paratæ eſſent. Quartâ die, primâ luce, claſſico ab Eccelino invadendi ſignum proponitur. Concurrunt primò gregarij; trabibus ac ſarmentis iter ad muros exſtruunt. Succedunt vallo tyrones, ſpei & audaciæ pleni; ſubſequuntur veterani, exitum pugnæ animo volventes. Dimicabatur eodem tempore pluribus locis acriter; hinc militem præſentiâ Ducis ſubire locum quamvis iniquiſſimum cogente, memorem etiam pollicitationum, memorem propoſiti præmij, ſi murum conſcendiſſet; hinc civem patriâ pro laribus, pro liberis, pro fortunis hoſtem propellere adhortante. Cadebant continuò ex hoſtibus multi, maximè verò ex tyronibus, qui ſpei & audaciæ pleni, eò progrediebantur, unde regredi non ſine magno incommodo non poſſent. Aſcendere ſcalas hoſtem civis patiebatur, unde detruſus graviori caſu, aut in foſſas devolutus, gravis conſternatione, gravis armis ſubmergebatur, aut caput illiſus, in-

fractúſque crura, lapidibus ſupernè conjectis obruebatur. Tùm verò Eccelinus ſuorum ſtrage permotus, tradito uni ex ſatellitibus equò, arrepto ſcuto & galeâ, clamitans ad muros provolat: En ſúntne hæc promiſſa, milites, quæ de capiundo Oppido mihi dediſtis? Ubi ferocia illa veſtra eſt? Ubi animi, ad veteranos converſus, quibus Italiam vos occupaturos gloriari conſueviſtis? Eſtisne tot victorias, tot triumphos, tot bellicas laudes hâc unâ vel minimâ pugnâ amiſſuri? Erit hic finis laborum veſtrorum, erit receptaculum præmiorum, ſi unam hanc Urbem noſtris conatibus obſiſtentem ceperitis, ac captam diripueritis. Hæc dicens ad murum tendens cunctantem aciem ſecum trahit. Redintegratur utrinque clamor, reboant tormenta, arcus & baliſtæ inſtrepunt, traijciuntur ſagittis & jaculis multi, conteruntur lapidibus nonnulli, evertuntur machinæ cum magno propugnatorum ac ſagitariorum interitu; conſcendentes rurſum Ecceliniani milites ſcalas, propellere cives mœnibus conantur, qui novo genere pugnandi invento, aquam cum cineribus ebulientem in caput aſcendentium invergebant, quæ per rimulas galearum ingreſſa, oculos ac totum corpus incoquebat. Admonet Eccelinus milites, ut ſcuto caput obtegant, quo propulſari aqua poſſit; hinc factum eſt, ut corpora eorum nudata à ſagittarijs faciliùs transfigerentur. Canere receptui Eccelinus tot difficultatibus propoſitis jam inſtitue-

rat,

rat, cùm ſubitò ad eum provolat nuncius clamitans, jam captam eſſe Tireſiam portam; opus eſſe ad eam obtinendam præſentiâ Ducis ac maiore militum numero. Accurrit eò properè Eccelinus, trahens ſecum, quot poteſt milites. Tùm oppidani, occiſis, qui portam conſcenderant ejſdem conſultò permittentibus, quo Ducem à loco debiliore removerent, conjectiſque ferventibus facibus, bitumine, ſulphure, pice illitis in ſarmenta nuſquam cuſtodita, quæ ſibi hoſtes accedendi ad muros pro arbitrio abeundive pontem fecerant, redeundi iter Eccelinianis militibus intercludunt. Datur ſignum erumpendi cohortibus ad eam rem delectis; quæ quidem intra foſſam ac murum progredientes,à tergo hoſtem trepidantem adoriuntur. Ibi atrox coortum eſt certamen, Eccelino inſtante, ut tamdiu ſuſtinerent milites, quoad denuò replerentur foſſæ. Comportatur Imperatoris juſſu ac precibus ex totis caſtris, quidquid lignorum, quidquid ſtramenti ad manus occurrit. At oppidani, conjectis ex loco ſuperiore in dimicantes ſaxis, pedem referre, ac de fugâ eos cogitare compulerunt, Eccelino nequicquam adhortante. Inſtant tùm cohortes, & perculſos metu hoſtes fundunt, qui projectis armis, dùm tranſire ad ſuos contendunt, aut ab inſtantibus cæduntur, aut feſſi dimicando ſubmerguntur. Evaſit tamen cum paucis Eccelinus ab his, qui in ripâ erant, lanceâ adjutus. Nec eo anno poſteà tentare

ex

expugnationem eſt auſus, cùm nulla in capiendâ Urbe niſi in obſidione ſpes eſſet. Abſtinuit triduum à conſpectu militum, præ pudore credo, quòd tantam cladem ſuâ temeritate accepiſſet. Paululùm etiam abfuit, ut à ſuis poſteà relatum eſt, quin ſibi manum inferret, adeò erat iræ impotens. Milites deinde non omnes ſimùl, ſed catervatim ac ſeorſùm vocatos, conſolatus eſt, viciſſitudinem humunæ fortunæ multorum exemplo commemorans: ferrent æquo animo ac ſuſtinerent labores, quorum pro pedièm habituri eſſent ampliſſima præmia, cùm pro comperto haberet, oppidanos, biennio pænè obſeſſos, caritate annonæ graviter laborare cœpiſſe; darent modò operam ſecum, ne commeatus aliunde intromitti poſſet; ſedendo ſe facturum dicebat, ut ab obſeſſis in redemptionis præmium direptio Urbis opulentiſſimæ ſibi ac militibus ſuis concederetur, quâ ditati domos quiſque ſuas cum vacatione militiæ digrederentur. Repromittentibus ſe omnia facturos militibus, ſingulis diebus binæ cohortes ex toto exercitu viciſſim deliguntur, quarum altera interdiu, altera noctu Urbem obequitet, ne quid frumenti invehi poſſet. Quâ quidem re brevi factum eſt, cùm jam rariores in Urbe diuturnitate obſidionis commeatus haberentur, cúmque Cremonenſibus vicinis ac ſocijs inferendæ clàm annonæ, ut conſueverant, ſublata facultas eſſet, ut plebs inediæ impatiens de dedendâ Urbe clam primò,

deinde

deinde palàm loqueretur, ubi acrius urgere neceſſitas cœpit. Optimates autem, cognitâ plebeculæ naturâ & volubilitate, perferri, quicquid annonæ domi habent, in publicum curant, dividendúmque viritim omnibus, ne ex invidiâ ſeditio ulla oriretur. Mirum eſt, quantum hâc liberalitate conciliaverint ſibi Optimates plebis animos, quæ quidem mutatâ ſententiâ dictitare palàm cœpit, graviſſima quæque pro libertate tùm demùm ſe paſſuram, quando illi, pro quorum ſalute dimicabat, libertate & imperio digni eſſent. Tùm Eccelinus, cognitâ per transfugas oppidanorum concordiâ & perſeverantiâ, agere fraude tùm demùm, quod vi non poterat, cœpit. Valebat tùm plurimùm inter Cives autoritate & gratiâ Sordellus. Ad hunc igitur per fugitivum, crudelitatem Eccelini cauſantem, literas mittit, quibus hominem admonet, ut ſibi dominatum Urbis Mantuæ vindicet; ſe adjuvante, fieri id poſſe nullo negotio oſtendit, ſi cum clientibus & amicis alteram ex obſeſſis portam, quâ ipſe cum armatâ manu ingredi poſſet, occupaverit; nolle ſe in mercedem tanti facinoris ab eo aliud quám fidem & ſocietatem tùm belli tùm pacis; ſatis ſibi ad gloriam magis quàm ad emolumentum videri, ſive ſororium ſuum ſive nepotes Mantuanis imperantes viderit. Hoc ut faceret, precibus inſtabat, cupiens, occupatâ Mantuâ, reliquam Galliam jam diu prætęritam invadere, à poſſeſſione cujus detineri obſi-

L dione

dione Mantuanâ videbatur. Cognitâ fraude, Sordellus in publicum, fugitivum ſecum trahens, cum admiratione omnium provolat. Eo concurrit ex totâ Urbe multitudo, conveniunt Patres, dantur ſcribæ publico literæ; quibus lectis, gratiæ undique Sordello aguntur, quod ſalutem patriæ tyrannicæ neceſſitudini antetulerit. Pertractus deinde ad murum fugitivus, Eccelino cum univerſo exercitu inſpectante, ſuſpenditur. Is enim, audito clamore urbano, ratus, id Sordellum libidine dominandi facturum, quod literis ſcripſerat, exercitum armatum ac bifariàm diviſum ad duas portas admoverat. Omiſsâ itaque per proditionem potiundæ Urbis ſpe omni, in ſtativa rediens, partem copiarum mittit, quæ ex Cremonenſi agro, quidquid uſui eſſe poſſit, in caſtra convehant, cætera verò ferro atque igni corrumpant, ne inde obſeſſis commeatus importentur. Communijt etiam duo caſtella, validis defenſa præſidijs, ad eas portas, quibus Veronam itur, ne in ſuburbijs effuſa urbana multitudo ad veſcendum quicquam in Urbem reportaret. Vetare tamen, ne ea ædificatio fieret, frequentibus prælijs oppidani enixi, in Urbem, ſuperabundante hoſtium multitudine, retruduntur. Arctior deinde obſeſſio haberi eſt cœpta, nec ullam niſi in Cremonenſibus ſocijs & amicis tolerandæ obſidionis ſpem habebant. Mittunt ergò clanculùm nuncios, qui Cremonenſes admoneant, quanta rerum

omnium

omnium penuria in Urbe ſit, quàm propinqua deditio, ni commeatu properè fuerint adjuti. Ij igitur, accepto tàm gravi nuncio, quòd, captâ Mantuâ, inde ad ſe hoſtem iturum exiſtimabant, de ſuo fraudantes victu, ex totâ Urbe magnam vim frumenti in publicum convehunt. Jumenta conquirunt, equitem ac peditem armant, nuncium præmittunt, qui, quo die ad Urbem venturi ſint, Mantuanos admoneat. Tùm Sordellus, cui maxima in re militari fides habebatur, urbanam juventutem in armis continet, ſtationes ante portas, præſidiáque in muris diſponit, eruptionem in Eccelinum facturus, ubi appropinquare Urbi Cremonenſes intellexiſſent, quo detineretur à vetando commeatu propinquiore periculo hoſtis. Illuſcente aurorâ, Cremonenſes, cùm non longè ab Urbe tria millia paſſuum eſſent, cohorti exploratoriæ obviàm fiunt, quam non ita magno negotio fundunt, quod tùm clamore tùm ſtrepitu, diluculo proſpectum auferente, majorum copiarum ſpeciem præ ſe ferebant. Excitus clamore Eccelinus, dùm centurias quaſdam ſuis mittere auxilio feſtinat, ad oppugnanda caſtra oppidanos erumpere intelligit. Diſtractus itaque ancipiti periculo, dubius aliquamdiu ſubſtitit; mox ſpretâ unius cohortis ſalute, totus in erumpentes convertitur. Quâ re factum eſt, dùm manum conſerunt, ut & Cremonenſes commeatum importare, & abire eodem die ſine ullo incommodo

 Ilcue-

licuerit. Ceſſit deinde magis quàm pulſus Sordellus, ubi rem ex ſententiâ geſtam vidit. At Eccelinus indignabundus, quòd partam pænè victoriam inſcitiâ rerum amiſiſſet, equites expeditiſſimos ad inſequendos Cremonenſes properè mittit, qui priùs Olium Flumen, ponte ad id facto, trajecerant, quàm ultimum eorum agmen hoſtes pertingerent. Is igitur irâ incenſus, quam neutram in partem effundere poterat, totam illam cohortem, quam exploratoriam diximus, ablatis armis ac militaribus impedimentis, exauctoravit, à ſéque cum magnâ ignominiâ dimiſit, eorum negligentiâ intromiſſum in Urbem commeatum dictitans, cùm nec unde, nec qui eſſent auxilio obſeſſis venientes, opportunè, quemadmodum res exigebat, ſcire potuiſſet. Scribit deinde ad Albricum fratrem, quem dominatui præfecerat, ut quingentos equites ac legionem robuſtiſſimorum peditum ad ſe properè mittat, quòd intellexerat Cremonenſes, comparato ex Mediolanenſibus ac Placentinis mango exercitu, ad liberandos obſidione Mantuanos propedièm venturos; maturato opus eſſe, ne, ſuperveniente tanto exercitu, aut relinquere obſidionem, quâ jam extrema omnia obſeſſi patiantur, aut concidere in medio, tot concurrentibus undique hoſtibus, neceſſe ſit. Periculo fratris permotus Albricus, militem ex totâ Provinciâ citat, eúmque dare nomina vel invitum cogit. Unde tanta in Eccelinum & ejus familiam

non

non ex hâc ſolùm causâ, ſed etiam ob acerbiſſimam exactionem tributi, quam ferre ob inopiam diutiùs provinciales non poterant, commota omnium indignatio eſt, ut illius crudeliſſimæ ſtirpis ab omnibus deſideraretur interitus. Aucto copiarum numero, Eccelinus, dùm, quid ab hoſtibus agitur, diligenter obſervat, ad extremam famem Mantuanos, triennio obſeſſos, & fruſtra auxilium exſpectantes, perducit. Fieri enim facilè non poteſt, ut ex multis ac varia ſentientibus unanimis comparetur exercitus, præſertim cùm Duce præclaro & ſtrenuo indigeant. Non deerat Cremonenſibus animus graviſſima quæque pericula pro ſalute Sociorum tentare, modò à vicinis ac ſocijs adjuti eſſent; qui ter ab Ecceliniano exercitu repulſi, omnem juvandi ſocios ſpem amiſerant. Coortus deinde pavor in Urbe ac luctus, reipublicæ interitum, quem ante oculos habebant, commiſerantium, cognitâ hoſtis crudelitate ac rabie. Effuſæ per vias publicas & Templa matres, quippe quas filij lacrymabundi, cibum fruſtrà petentes, domi ad deſperationem perduxerant, tùm Dei, tùm hominum fidem & auxilium implorant. Movebantur tàm acerbis lamentationibus Optimates, movebatur Populus, quibus propemodùm captæ Urbis facies proponebatur. Diſcurrere tùm plebs cœpit, ac jactare paſſim dedendam hoſti Urbem quâvis conditione, quando amplius tolerari fames non poſſet, abſum-

ptis etiam in cibum animalibus, quæ humana conſuetudo aſpernatur. Veritus Sordellus, ne ex tantâ deſperatione pernicioſa deditio fieret, convocato ad concionem Populo ita eſt exorſus: Non ſum neſcius, Cives mei, quibus difficultatibus Civitas noſtra, triennio jam obſeſſa, nunc demùm prematur, cùm vigiliarum, inediæ, laborum veſtrorum particeps ſemper fuerim. Deum teſtor, non meliorem conditionem domeſticis meis unquam fuiſſe, quam cuivis ex plebe, adeò Rempublicam privatæ caritati antepoſui ſemper; movent me, ne mentiar, (homo enim ſum) lacrymæ meorum, movent parvuli panem ex poſcentes, movet Uxor, crudelitatis fraternæ non ignara, cōmunis prolis interitum jam diu lamentata. Verùm has tot & tantas miſerias, & privatas quidem, una patria, cui ego maximâ caritate ſum devinctus, facit, ut parvas exiſtimem earum comparatione, quas ſumus paſſuri, ni prudenter omnia & conſultò egerimus. Mallem enim, ut de me & meis prædicem, extrema omnia fortiter agendo pro libertate pati, quàm, direptâ patriâ, in ſervitutem cum ignominiâ trahi. Proponite vobis ante oculos ſpeciem captæ Urbis; hinc Templa ſpoliari, ſacraria profanari, ſacras Virgines incæſtari, puellas ante ora parentum ſtuprari, uxores abduci, infantes à complexibus miſerarum matrum divelli, juventutem & qui arma ferre poſſunt, aut capi, aut occidi, hunc jugulari, illum ſuſpendi, alterum

in carcerem trudi; taceo incendia ædium, tùm publicarum, tùm privatarum, taceo ſepulcrorum, projectis majorum oſſibus ac cineribus, demolitiones. Hæc quiſquam veſtrûm, ſi vir eſt, ſi civis, mavult videre & pati, quàm non fortiter ac conſtanter pro patriâ mori? Equidem exiſtimo, ex omnibus calamitatibus, quæ in vitâ accidunt, nullam majorem viro forti præſertim captivitate videri, cùm videat ſe incolumen patriâ captâ, pro cujus ſalute mortem oppetere nemo bonus unquam dubitavit. Quo animo, Cives, paſſuri eſtis, hos lares, hæc fora, hoc natale ſolum, in quo nati, in quo educati eſtis, ab hoſte crudeliſſimo veſtrorum ſanguine fœdari? Nonne præſtat extrema quæque experiri, quàm vos ejus fidei committere, qui nunquam datam fidem ſervavit, quique vos & bona veſtra militibus mercede conductis in præmium militiæ daturum ſe pollicitus eſt? An erit melior iſte erga vos, quem cum tanto exercitu triennio illatis magnis cladibus diſtinuiſtis, quo minùs, ut optabat, ut mente conceperat, reliquâ Italiâ potiretur, quàm erga illos fuit, qui ejus fidem ſpontè ſecuti, hoſtilia quæq; paſſi ſunt? Fidem dat, fateor, ac Deum conſcium fœderum ciet, manum ſcriptis, manum altaribus admovet, execrationibus in fœdifragum factis, quo facilior ei ad patranda ſcelera aperiatur via. Imbutum eſt magnis erroribus mortale genus. Hic ſtolidæ matri credens, Dæmone ſe genitum fatetur; id prædi-

cat,

cat, in hoc, tanquam in re divinâ ſtirpi ſuæ adſcriptâ, gloriatur. Hâc ſtultitiâ motus, nil caſtè, nil piè, nil ſanctè, nil purè agit, ut ex eo omninò genitus credatur, qui Deo Optimo Maximo dicitur adverſari. Quæ ſtultitia quæſo eſt, ab eo humanitatem ſperare, qui impius? juſtitiam, qui injuſtus? miſericordiam, qui crudelis ſemper eſt habitus? Videor videre (quod Deus avertat) hunc hoſtem humani generis, hunc rabidum canem veſtris viſceribus ſitibundum & famelicum inhærentem, in nos ſua perfidiâ deceptos, graſſari, in nos inquam ſævire, qui ejus arma contempſimus, qui dominandi libidinem repreſſimus, qui pacem ultrò oblatam, ut iniquam ac dolo malo plenam, ſprevimus. Taceo quantum iræ in me, quantum odij conceperit, quem obſtare ſuis conatibus ſemper videt, quémque oblatâ tyrannide corumpere nunquam aut in ſuas partes trahere potuit. Dicetis, ſat ſcio, populum iſtum triennio obſeſſum ferre diutiùs inediam non poſſe. Id ſcimus, ob id ingemiſcimus. Sed de maximis malis minima ſemper eligenda ſunt. Quis veſtrûm eſt adeò vitæ cupidus, qui non malit quovis caſu interire, quàm direptâ patriâ in ſervitem tractus, videre parentes, videre conjuges, videre filios, videre propinquos & affines paſſim, ut à lupis famelicis pecudes ſolent, diſtrahi, lacerari, & quâvis ignominiâ affici? Effundent in nos miſeros, mihi credite, hoſtes ipſi quicquid iræ jam triennio calore, frigore,

fame,

ſame, labore, vigiliâ, vulnere, concêpere. Et ſi qui tàm diuturno bello, qui multi ſunt, vel fratrem, vel patrem, vel amicum, vel cognatum amisêre, ij, tanquam rabidæ tigres amiſſis catulis, in quemvis obvium ſævient, nullâ ætatis aut ſexûs ratione habitâ. Tùm demùm mortem optabis, cùm tua coràm paſſis crinibus trahetur uxor aut filia, cùm pater, te vidente ac tuum auxilium fruſtrà implorante, jugulabitur. O me miſerum, O me infelicem, dices; tui ſanguinis reus ſum pater, tuam pudicitiam proſtitui filia, libertatem tibi ademi gnate; in me illi ſæviant gladij, meum ſanguinem & noxium quidem exhauriat perfidus hoſtis, quo cum fœdus in perniciem patriæ, in exitium meorum credulus nimium, Dijs adverſantibus, inij. Hæc, dùm licet, & dùm adhuc vobis integrum eſt, conſiderate Cives, ne vosmet ipſos ac cives veſtros dediſſe ſupplicio, dediſſe cruciatibus, dediſſe neci cum ignominiâ videamini. Hâc oratione Sordellus adeò labantium civium animos ad patientiam, propoſito communi periculo, confirmavit, ut in totâ concione ab omnibus tùm voce tùm manibus tàm ſalubris ſententia ſit approbata. Dictitabant paſſim cives, ſe potiùs filiorum carne pro cibo uſuros, quàm patriam tàm perfido ac crudeliſſimo hoſti proderent. Datur tùm negocium Magiſtratibus, ut ex totâ Urbe jumenta omnia ac animantia bruta in publicum perducenda curent, mactatáque ſingulis diebus po-

pulo in cibum dividantur. Non pepercêre equis, non aſinis, non mulis, non canibus, tanta reliquorum cibariorum diuturnâ obſidione inopia creverat; pulmenta item, ex omnifariàm herbis à mulieribus ſtudioſiſſimè confecta, populo ſubminiſtrabantur. Mirum erat, quantâ alacritate ſummi infimique poſt concionem Sordelli tantam penuriam ferrent. Horum nihil, quæ in Urbe agerentur, ignorabat Eccelinus, adeò explorandi omnia per transfugas erat intentus. Potiundæ propediè Urbis magnam in ſpem venerat, cùm literæ ei à fratre redduntur, quibus certior fit, Patavinos à ſe defeciſſe, pulſo Anſedino ex Sorore nepote, quem Urbi cum aliquot cohortibus præfecerat; ſupereſſe adhuc arcem, ab Archiepiſcopo Ravennate, qui Civitatem ad defectionem impulerat, oppugnatam, cujus præſidio, ſi cum exercitu acceleraret, recuperari Urbs poſſet. Accepto tàm triſti nuncio, Eccelinus Deos (quorum ſemper contemptor fuerat) ut maleficos, ut invidos accuſare cœpit, nepotis ignaviam identidem increpans, quòd tantam Urbem, támque negligenter aſſervatam ſuâ ita ſtoliditate & ſocordiâ amiſiſſet. Diſtractus varijs ſententijs, aliquamdiu deliberabundus quaſi ſtupidus ſtetit. Occurrebant labores tàm gravi támque diuturno bello fruſtrà inſumpti, quorum fructum propediè capturus videbatur, ni Deos (ut ipſe per intervalla cogitationum dicebat) infeſtos adverſóſque habuiſſet. Occurrebat item

item, amiſſo Patavio Caput Imperij amitti; quo recuperato, reliquam Venetiam ac deinceps totam Italiam, videbat ſe tandem occupaturum. Pervicit hæc ſententia, quam tantis per occultavit, dùm caduceatorem ad oppidanos mitteret, qui blandè populum, juſſum de Eccelino benè ſperare, ad deditionem æquis fæderibus primò adhortaretur, id ſi minùs valeret, ad minas converſus, Civitati hoſtilia quæque proponeret. Eccelino per caduceatorem populi conſultò breviter reſponſum: De pace ſecum conventurum, ſi liberam Civitatem reliquiſſet, ſique ruſticos, quos ex agro Mantuano ceperat, domos ſuas abire permiſiſſet; quod ad minas attineret, nihil Eccelinum agere, cùm Populo Mantuano propoſitum ſit, malle fortiter patriam ac lares defendendò mori, quàm turpem ſervitutem pati. Eccelinus non eſſe ampliùs cunctandum ratus, de quartâ vigiliâ tanto cum ſilentio caſtra movit, ut vix ejus rei ſenſus ad oppidanos pervenerit; qui & ipſi quieti aliquamdiu, ac tandem armis ſumptis, inſcenſisque muris, quo hoſtis progrederetur, intenti exſpectabant. Demùm ubi illuxit, auditâ Patavinorum defectione, exploratóque hoſtium itinere, quos jam multum proceſſiſſe Veronam verſus intellexerant, ſumptis armis ac compoſitis ordinibus, inſidias veriti, ad diripiendum id, quod in caſtris hoſtis reliquerat, populum immittunt. Mox in Urbem redeuntes, ad ſuos quiſque, ut aves ad filios ſolent,

cibariorum aliquid lætus deferebat. Audiebantur paſſim voces gratias immortali Deo agentium, quod à manibus ſæviſſimi hoſtis Urbem, triennio jam obſeſſam & ad extremam inopiam perductam, liberâſſet, Sordello eam mentem dediſſet, quâ fœdam ac turpem deditionem impedierat. Dierum quinque ſupplicationes ſunt indictæ, ad quas celebrandas multi Cremonenſes, ſubvecto omnifariàm commeatu, pervenêre; quibus certè & obviàm itum, & non aliter gratiæ actæ, quàm ſi liberatores Urbis fuiſſent. His quinque diebus nil prætermiſſum, quod ad cultum Deorum pertineret. Convivatum eſt, etiam publicè admiſſis convenis, eâ rerum copiâ, quâ in ſummâ pace uti conſueverant. Sed illud præclarum omnibus viſum eſt, quod in tanto convivio affuêre quidam canendi ad citharam non ignari, qui eorum laudes carminibus extollerent, quorum præclarum aliquod facinus tàm gravi bello enituiſſet. Peracto ſollenni, Duumviri ſtatim creantur, qui frumentum, undique ex finitimis publicâ impensâ coemptum, ad Urbem properè ſubvehendum curarent, ne, ſi rediret hoſtis, recuperato Patavio, non eſſet, unde obſidionem deinceps tolerarent, quando vi expugnari non poterant, facto ſuperiore bello virtutis & loci tanto periculo. Eccelinus fruſtrà recuperare Patavium conatus, quòd egregiè ab Oppidanis & Venetis ac Ferrarienſibus in auxilium accitis defenderetur, interfectis varijs cruciatibus

tibus decem millibus Patavinorum, quos ſecum ſub ſpecie militiæ, ſed re verâ obſidum loco habebat, motis caſtris Veronam revertitur, ubi aliquamdiu moratus, atque animi dubius, ad obſidendam ne Mantuam rursùm rediret, an in Brixianos moveret, conſultis etiam veteranis, ſitum loci paluſtrem & inſalubrem deteſtantibus, Brixiam contendit; quâ, pulſis inde Guelſis, in fidem receptâ, validóque præſidio munitâ, auctus animo, Inſubriam bello aggreditur. Præerat tùm Mediolanenſibus Martinus, cui de Turri cognomentum fuit, Vir quidem eâ ætate belli paciſque artibus inſignis. Is, audito Eccelini adventu, admonitis ſocijs omnibus, quantum periculi cervicibus eorum immineret capto Mediolano, exercitum, quàm maximum poteſt, comparat, quem non ita multò pòſt auxêre Papienſes, Comenſes, Placentini, Cremonenſes, Mantuani, Ferrarienſes, Pallavicini, ſocij communi diſcrimine moti. Ad tres legiones peditum & ſex millia equitum in eo exercitu fuiſſe comperio, præter calones & lixas; hoſtium verò numerus paulò minor habebatur, ſed exercitatior, quippe cui aſſiduis laboribus obduruerat ad fortitudinem animus. Trajecerat priùs Eccelinus amnem Abduam ponte ad Caſſianum junctum, quàm ſociales copiæ Mediolanenſibus auxilio venirent. Quâ re permotus Martinus, accitis ad ſe properè Comenſibus ac Papienſibus, vicinis & ſocijs, hoſtem remoraturus, quo

minùs ad Urbem contenderet, longè ab eo tria millia paſſuum caſtra munitiſſimo loco poſuit. Hunc Eccelinus elicere ad prælium, antequam auxiliares copiæ ſupervenirent, conatus, quibuscum majore poſteà diſcrimine erat dimicandum, educto in ſubjectos caſtris hoſtium campos exercitu, eodémque ſub ſignis collocato, Mediolanenſium munitiones cum mille delectis equitibus obambulat, maledicto & convitijs eorum ignaviam & timiditatem increpitans, quòd prodire in certamen, cùm pares habeant copias, non audeant. Moti pudore Mediolanenſes, ad Ducem ex totis caſtris concurrunt; inſtant, orant, ut ſignum pugnæ proponatur, ne dicaciſſimus hoſtis jactatis probris impunè abeat; jurant ſe nunquam niſi victores in caſtra redituros. Placuêre hæc nimirùm Duci, quòd ſui præ ſe animos ad repellendam injuriam ferrent, illam generoſitatem animorum retinerent, adhortatus, quoad paribus cum hoſte copijs dimicare liceret; tùm demùm, cùm ab eo ſignum pugnæ proponeretur, quod propediem futurum ſperabat, reminiſcerentur jactati probri, reminiſcerentur illati ſine causâ belli, reminiſcerentur promiſſi. Idem quoque ſequenti die Eccelinus facit, cui propè jam in armis feſſo ex caſtris properè nuncij veniunt, adventare magnam vim hoſtium, nec longè à munitionibus abeſſe. Moventem retrò Martinus, qui de ſociorum adventu & conſilio per nuncios & literas certior factus

erat,

erat, dato ſuis, quos ſemper in armis continuerat, erumpendi ſigno, tamdiu hoſtem miſibilibus remoratur, quoad ſociales copias intelligit primum agmen adortas, quod clamore congredientium & trepidatione hoſtium facilè deprehenſum eſt. Tùm Eccelinus, duabus equitum alis & à tergo inſtantibus oppoſitis, ad pedites intra medium agmen ſeſe confert, & quos Mediolanenſibus, quos ſocijs eorum opponat, ſegregat non magno intervallo, atque inſtruit. Tùm illa ejus paſſim per omne agmen diſcurrentis vox exaudita eſt: Suſtinete aliqumdiù commilitones imbellis hoſtis, & numeromagis quàm virtute confiſi impetum, hoc uno prælio me Regem, & vos locupletiſſimos facitis; hinc evadere niſi victores non poteſtis, adeò ad evadendum circumſeſſi ſunt aditus. Redintegrato ab auxiliaribus clamore, à Mediolanenſibúſque identidem reddito, quod erat ſignum preſſiùs inſtandi, ſcuta ſcutis hoſtium conferunt, mucrones in ora dirigunt; ſtabant collato pede in eodem veſtigio, nec alter alteri ceſſurus videbatur; hic pudore, ne omnia belli decora, tot laboribus parta, uno momento amitteret; ille ne patriam crudeliſſimo hoſti ſervientem videret. Tùm verò Sordellus, qui auxiliaribus copijs præerat, cum Broſio Dovario Cremonenſium Duce in primam aciem, ubi Mantuani & Cremonenſes concordibus animis dimicabant, provolans, nunc militis nunc Ducis munia exſe-

que

quebatur: Hic ille eſt, dictitans, qui tibi contra jus fáſque bellum Mantua indixit, qui patriam noſtram magnis copijs triennio obſedit, qui agrum Cremonenſem ferro ac flammâ exuſſit, qui cruciatibus omnibus, qui pœnis captivos affecit; nunc, ſi viri eſtis, & ſi non omninò victoriam vobis à Deo oblatam ſpernitis, de nefando hoſte pœnas mecum ſumite. Hæc dicens, adacto calcaribus equo, in confertiſſimam hoſtium aciem ſeſe infert; ſubſequuntur reliquæ acies tanto cum impetu, ut tùm primùm referre pedem hoſtis coactus ſit. Senſerat hoc Martinus, fluctuante etiam illorum cornu, quibuſcum quatuor jam continuis horis dimicaverat. Is itaque ſuos increpitans, quorum causâ totam Provinciam arma ſumpſiſſe dicebat: Cui, inquit, miles laudem tantæ victoriæ relinquis, illine, cui vel ſumma laus eſſet etiam ſine prælio ſocia arma junxiſſe? Suntne hæc promiſſa, quæ, ſignum pugnæ efflagitantes, mihi dediſtis? vincent prius ſocij, longo itinere feſſi, in alieno agro, quàm vos, qui lares, qui tecta, qui natale ſolum cernitis? Aut ego, inquit, hodie hìc moriar, aut me victorem celebrabunt Legiones. Capit tùm ex proximo ſignifero vexillum, & in hoſtem pergens, ſecum movit totam aciem. Stabant dextrâ levâque nobiliſſimi juvenes in equis dimicantes; antecedebant pedites, nequaquàm equitibus virtute cedentes, tanta erat de patriâ benè merendi concertatio ac ſtudium. Funduntur tùm demùm

ho-

hoſtes, nullâ re ad reſiſtendum prætermiſsâ; ex quibus plures interfecti, quàm vivi capti ſunt, adeò exarſerant omnes irâ & odio in Eccelinum, qui & ipſe ſagittâ infimum crus transfixus, inter mortuorum cadavera nequicquàm ſuorum auxilium implorans, in furorem præ dolore converſus, capitur. Delatus inde Soncinum permittente Martino, haud ita multò pòſt ex vulnere mortuus, ibi ſepelitur. Diripiuntur eodem die caſtra, fruſtrà, qui in præſidio erant, renitentibus. Ex tanto exercitu pauci admodùm evasêre, præmiſſis equitibus ad occupandum pontem, quo flumen trajecerant. Martinus ſequenti die, collaudatis pro concione ſocijs, maximè verò Sordello & Azone Eſtenſi, quorum eâ pugnâ virtus præcipuè enituit, eiſdémque gratijs actis, domos ſuas quemque dimittens, Mediolanum triumphans revertitur. Mortuo Eccelino, Civitates omnes, quas partim vi partim metu occupaverat, expulſis præſidijs, non ſolùm priſtinam libertatem recuperârunt, verùm etiam Albrico illique nefandiſſimæ ſtirpi bellum indixêre; Patavini imprimis, Vicentini, Tarviſini, Azone Eſtenſi copiarum Duce. Albricus tot malis circumventus, cùm nuſquam tanto exercitui reſiſtere poſſet, in Zenonium cum ſuâ atque fratris uxore, cúmque utriuſque liberis, quod eſt munitiſſimum Tarviſini agri caſtellum, confugit, ubi aliquot menſes obſeſſus, ad deditionem tandem fame ac rerum omnium inopiâ compulſus,

petit, ut ſibi cum rebus omnibus ſuis relictis abire liceat, quod ei nequaquam conceſſum eſt, adeò exarſerant omnes irâ & odio ad tollendum de medio ſceleratum Eccelini genus. Interfectus itáque varijs cruciatibus cum ſuis, lacerandus etiam canibus obijcitur, cæteris Tyrannis exemplo futurus, ut, cùm multa eis liceant, à ſanguine tamen humano abſtineant. Agebantur ubique Deo gratiæ, quòd Provinciam multis cladibus afflictam, tandem è manibus ſæviſſimorum Tyrannorum vindicâſſet, quódque duos fratres Neroni perſimiles diutiùs in terris eſſe non ſiviſſet. Poſt tantum bellum Mantuani ſuo malo admoniti, id agri, quod medium eſt inter Mincium ac Padum, claudere foſsâ ac vallo à Curtatono ad Burgum fortem ducto inſtituerunt, ut inde hoſtem arcerent, ne ad obſidendam Urbem, quemadmodum triennio Eccelinus fecerat, propius portas caſtra hoſtes admoverent. Accolæ Seralium vocant, quod triangulari forma circumquaque triginta millibus paſſuum clauditur. Hujus agri, Mincini præſertim, tanta eſt rerum omnium ubertas, ut Civitatem, quamvis longâ obſidione preſſam, annonâ & commeatu juvare poſſit. Nondum recreata erat Ecceliniano bello Civitas, cùm Veronenſes, inteſtino bello inter ſe laborantes, Mantuanos ad arma excivêre. Duæ erant in Urbe Veronâ opibus ac clientelâ potentiſſimæ Familiæ, quarum altera Comitum, altera Montecuculorum appellabatur. Hæ inter

ſe

ſe de Principatu contendentes, cum armatâ clientum manu in foro ac in tota Urbe, ut ſors dederat, per ſæpè cum multorum nece decertaverant, direptis etiam atque incenſis eorum domibus, quos pellere loco potuerant. Dùm itaque Comites, quibus Mantuani favebant, adverſariorum multitudine opprimerentur, nuncios ſtatim Mantuam mittunt, qui, quo in diſcrimine res amicorum ſint, edoceant, quique Civitatem rogent, ut properè amicis jam propè victis auxilium ferant, ſi eos ſalvos eſſe velint. Hac re cognitâ, Mantuani amicorum diſcrimine moti, & quòd nequaquam è Republicâ eſſe arbitrarentur, Montecuculos hoſtes, pulſis ſuis, in tàm propinquâ Civitate regnare, comparato ſatis valido exercitu, Veronam contendunt, captóque Divi Zenonis ſuburbio, eodémque partim direpto, partim incenſo, ac fugatis ex Urbe adverſarijs, qui in foro aliquamdiu reſiſtere ſunt auſi, Urbem Comitibus ſocijs & amicis reliquêre. Laboratum eſt item Mantuæ non ita multò pòſt inteſtinâ diſcordiâ, duabus Familijs totam Civitatem ſtudio partium ad arma concitantibus. Caloroſi & Poltroni hi ſunt appellati. Potentiâ atque opibus neutra alteri ceſsura videbatur. In partes duas diviſa Civitas erat, dùm populus Poltronos, Optimates Caloroſos in Civitate retinere conantur. Caloroſi tandem, multis utrinque cæſis, expelluntur, ſuperabundante hoſtium multitudine; qui quidem, ut exulum

 mos

moſ eſt, in patriam redire conantes, diu ac noctu Urbem circuibant, exploraturi, ſi quâ pateret aditus. Semel accidit, ut Bartholomæus Caloroſus, cui ſorte ea provincia evenerat, cum delectâ equitum turmâ Boſſo Poltrono non longè ab Urbe obviam fieret; quem quidem, Comitibus fruſtrà juvantibus, & ad arma conclamantibus, odio partium obtruncat. Perlatus clamor in Urbem tantam excivit multitudinem, ut à portâ, quam fermè timiditate cuſtodis expugnaverat, ſubmoveretur. Magnum timorem ea res incuſſit civibus, quòd arbitrati ſunt, exules nunquam tantùm appropinquaturos Urbi, oppugnatúmque portam venturos fuiſſe, niſi intùs haberent, qui ſecum in partes ſentirent. Habitâ itáque de non nullis, quos ſuſpectos habebant, tormentis ac minis quæſtione, tantum multitudinis odium in ſe concitârunt, ut ſupervenientibus Caloroſis cum clientibus & amicis ex Urbe ipſi tertio, quàm imperare cœperunt anno, ſint fugati, everſis eorum domibus ac turri munitiſſimâ, quam quidem valido præſidio ad obtinendam Civitatem munierant. Temperatum eſt à cæde, Bartholomæo clamante, ut civibus parceretur. Quietam Civitatem armavit recens Cremonenſium meritum, qui bellum cum Mediolanenſibus gerebant, agros ſuos nullâ injuriâ ante laceſſitis vaſtantibus, quibuſcum dimicare collatis ſignis, cùm pauci eſſent, auſi nondum fuerant. Verùm acceptis mille peditibus

bus ac quingentis equitibus, caſtris hoſtium caſtra ſua ad Caſtellionum conferunt. Uterq; exercitus triduum à certamine abſtinuit. Mox ad tentandam virtutem crebra committuntur certamina, quibus Mantuani equites, fermè ſemper ſuperiores facti, ad congrediendum aperto Marte Cremonenſibus animos addunt. Mille & quingentorum paſſuum inter bina caſtra planities intercedebat, per quam, equites nullâ impediti foſsâ adigere equos liberè valebant. Curare corpora milites juſſi, de ſecundâ diei horâ armati in patentes campos prodeunt, ubi trifariàm copiæ omnes inſtructæ. Peditem medium bina equitum latera claudebant, ut incedens agmen à tranſverſa incurſione tutarentur: datum tamen negotium eſt, primoribus ordinum, ut pro tempore integros feſſis ac in primâ acie pugnantibus ſubmitterent, ne continuo labore defatigati ferendo oneri non ſufficerent. Non detrectavêre certamen Mediolanenſes, qui, viſo Cremonenſium agmine, in campum & ipſi inſtructis aciebus deſcendunt. Expectavit aliquamdiu alter alterum, ut gradum ulteriùs faceret. Tunc verò Mantuanus, diu cognito Mediolanenſium timore, circumſpectantium ſeſe mutuò cum fluctuatione, addere timorem turbatis hoſtium mentibus inſtituens, magnâ voce exclamavit, ita ut ab hoſte exaudiri poſſet: Quouſque tandem exſpectabitis Cremonenſes? Victoriámne partam veſtrâ ſocordiâ & ignaviâ omittetis?

Trepidare jam diu hoſtes video; inſtandum metu perculſis cenſeo. Hæc dicens ad ſuos converſus: Memores, inquit, virtutis veſtræ, memores officiorum Cremonenſis Populi erga nos Ecceliniano bello, me ſequimini ad certam & exploratam victoriam; bene mereri ego de ſocijs & amicis hoc prælio inſtitui. Vadentem ſubſequitur agmen eo ordine, quo conſtituerat. Injectus tùm pudor Cremonenſibus, quòd ſeipſis promptiores viderant ſocios in diſcrimine patriæ. Procurritur itáque repente magnis animis ab eorum ágmine. Idem faciunt & Mantuani, officio & æmulatione gloriæ moti. Suſtinuêre aliquamdiu impetum Mediolanenſes, mox unâ átque item alterâ perturbatâ ac disfractâ acie, fugam capeſſunt, in quâ pauci cæſi, plures vivi capti ſunt. Ditavit militem ſupra modum præda ſumpta ex direptis hoſtium caſtris, redditis etiam his, quæ paſſim eò prædabundi hoſtes convexerant, ſi Domini ad ſua quæque recognoſcenda ex edicto ad tempus convenerant. Cremonenſes, partâ victoriâ ac liberato ab hoſtibus agro, Mantuanos triduum in Urbe comiter hoſpitio ſuſceptos, ac pro concione laudatos, domum remiſêre. Mantuani partâ foris quiete, jam ad ornandam publicis ædificijs Urbem, muniendàque, ubi opus videbatur, per agros Caſtella, animos converterant, cùm ſubitò nunciatum eſt, Ferrarienſes, nullâ laceſſitos injuriâ, in eam partem agri, quæ ad eos vergit, incurſionem & quidem

gravem feciſſe. Relictis itaque, qui Burgum fortem anno ſexto decimo ſupra ducenteſimum & milleſimum in ripa Padi, eodem anno præ frigore congelati, munirent, tumultuarijs copijs paſſim collectis obviam hoſti prodeunt, ad Bondenum eundem conſecuti imparatum, & nil tale paventem nullo negocio fundunt. Capitur & Bondenum eodem die, irrumpentibus unâ cum hoſte, ſeſe in Caſtellum recipiente, militibus. Interfecti eâ expeditione multi, quòd in latrones potiùs, quàm in hoſtes ſumpſiſſe arma viderentur. Domum redeuntes onuſti prædâ ex manubijs ingentem ſtruêre Turrim cum Ædibus & Porticu faſtigiatâ eo loci, ubi nunc eſt Curia Gonzaga; quæ quidem ædificia vigeſimo ſeptimo año pòſt dirupta fuêre, ad reficienda Urbis mœnia tùm vetuſtate, tùm frequenti terræ motu, quo maximè eâ tempeſtate Italia vexata eſt, collapſa. Circuire item aggere & muro duos Portus, quos illi Anconas appellant, ad munitionem Civitatis inſtituerunt. Hos retenta ad Governolum Mincij aqua in Lacum redundans efficit. Ibi enim tunc prata fuêre, excepto Mincij alveo ac vetere Lacu non adeò magno, ubi nunc Inferiorem ac Superiorem Lacum cernimus, quem Molinorum pons, ad Portum ductus, Mincium retinens facit. Quod enim ſuburbium nunc eſt, & quidem magnum, tunc Portus, præterfluente Mincio, abeuntibus accdentibúſve habebatur, ſubductis eò navigijs importatisque mercibus.

Muni-

Munire etiam eodem anno placuit longè ab eâ Urbis parte octo paſſuum millia Caſtilionum Mantuanũ vallo ac foſsâ, quo faciliùs eam regionem Mantuani agri ab incurſionibus hoſtium tuerentur. Agebantur hæc domi intentiùs, cùm trepidi in Urbem venêre ex Gonzagâ ruſtici, nunciantes, Regienſes uſque ad Padum ferro omnia ac flammâ vaſtare, nec procul abeſſe, quin Caſtella omnia ejus Regionis expugnent, niſi confeſtim ire obviam injuriæ pergant. Tùm Magiſtratus, collecto undíque tumultuario milite, ad Burgum fortem Padum traijciunt, poſitíſque non longè à flumine caſtris, & vagum hoſtem à populationibus arcere, & reliquas copias exſpectare inſtituunt. Ducunt eò properè exercitum Regienſes, cognitâ per exploratores Mantuanorum paucitate; ad prælium ſtatim jactatis probris concitare eos tentârunt; mox, cùm id minùs valeret, ſagittis ac miſſilibus propellere à vallo, qui in ſtatione erant, tentantes. Effecêre tandem, ut prodeuntes in campum, aperto Marte ſecum decernere ſint auſi. Concurſum eſt nuſquam tantâ concitatione animorum, Mantnanis indignantibus, bellum ſibi à non laceſſitis illatum; contrà Regienſibus amiſſum ad Reverum belli decus ingenti clade recuperare conantibus. Pugnatum jam erat ad tres horas, multis utrínque cæſis, neutram adhuc in partem ſe inclinante victoriâ; cùm ſubitò provolat nuncius, clamitans, ut tàm diu ſuſtineant, quoad reliquæ

liquæ copiæ, quæ haud longè aberant, adventarent. Hoc nuncio tanta injecta eſt Mantuanis pugnandi alacritas, ut facto impetu tandem pedem referre hoſtem coëgerint. Adhortatur alter alterum, ut illatæ injuriæ, ut jactati probri reminiſcatur, útque prius vincere velit, quàm auxiliares copiæ ſuperveniant, quibuſcum poſteà prædæ ac laudis participare neceſſe ſit. Senſerat Dux hoſtium, integras copias Mantuani Populi paulo pòſt affuturas, ſed nec dirimere aciem ſine ſuo magno incommodo, nec eo loci ſtare poſſe ſine periculo videbat. Ultimos itaque experiri conatus inſtituit, ut vel Mantuanos funderet, vel loco aliquantulùm ſummotos, recipere ſuos commodiùs poſſet. Cæterùm ſupervenientibus integris cum clamore & impetu, utrumque conſilium ad irritum hoſti cecidit. Redintegratur denuò magnis animis pugna; cadunt utrinque multi, plures ſaucij è certamine ſubmoventur. Non erat ceſſura hoſtium acies armis optimè atque equis inſtructa, quippe quæ hoc bellum jam diù mente conceperat, niſi Mantuani pedites à Ducibus moniti, ſubfodere equorum latera jaculis ac lanceis cœpiſſent. Referre tùm demùm mercenarij equites cœpêre gradum, pro ſe quisque equis caventes, quorum ſalutem vel ampliſſimæ Reipublicæ anteferrent ſemper. Tamdiu enim ſuſtinent pericula & labores, quoad propoſita merces & certum præmium elucet: ſecùs verò nec timidior quiſquam nec imbe-

cillior dici poteſt, cùm fortunæ bona, non animi conſtantiam ac dignitatem reſpiciant, Quid, quòd cum his plerúmque militant ſpe rapinarum ac lucri, quos immortali odio proſequuntur? Unde fit, ut hanc noſtrorum temporum militiam tùm pedeſtrem tùm equeſtrem nequaquam Romanæ ſeveritati comparandam putem, quæ quidem tanta fuit, ut eorum caſtra juſtitiæ, continentiæ, religionis, reliquarúmque virtutum domicilium haberentur, ad quæ non niſi luſtratus ac ſacramento adactus miles proficiſcebatur. Nunc verò nemo fortis, nemo ſtrenuus ac gnavus habetur, niſi, qui furta, qui rapinas, qui incendia, qui latrocinia cum perfidiâ, dolo ac fraude à tenerâ uſque ætate exercuerit. Latrocinari enim illud eſt, non militare, cùm nec bella indicuntur, nec fides ſervatur, nec publica utilitas privatæ antefertur. Aptiſſimos eſſe in bello noſtrorum temporum milites non abnuerim; quippe cùm & equo & pede mirâ celeritate & induſtriâ decertent: eorum ego mores & vitam in tàm corruptâ militari diſciplinâ, non robur & fortitudinem carpo, cùm ita exiſtimem, ac verè quidem, omnes Gentes ac Nationes Italico milite ſubigi poſſe, ſi unum aliquem Ducem haberent, qui licentiam iſtam militarem, quæ jam aſſuetudine virtutis nomen & ſolertiæ eſt conſecuta, propoſitâ pænâ coërceret. Mantuani itaq; (ut tandem ad rem noſtram redeamus) perterritis inſtandum rati, equitem, quem à lateribus habe-

be-

bebant, in legionarios hoſtiũ jam equite nudatos properè mittunt, quorum impetum, cùm aliquamdiù ſuſtinuiſſent, ad extremum vertere terga ſunt coacti. Fugientes conſecuti equites, eorum caſtra pariter irrumpunt; quo factum eſt, ut inde effuſiore fugâ Regiolum contenderent. Cœſis eo die multis, ac captis caſtris, Mantuani ſocios domum ad curanda vulnera remittentes poſtridiè manè ſigna moventes ad Regiolum, ubi erat Regienſium præſidium, caſtra locant; quo poſt triduum expugnato ac direpto, cùm magnâ prædâ & longo captivorum ordine in patriam reverterunt. Eò ſubſecuti Regienſium legati pacem petentes, & redemptionem captivorum, inducias in annos quinque impetravêre. Verſa deinde ad exornandam Urbem Civitas, fora omnia ac vicos lateritio lapide inſtravit. Struxêre item Caſtellum in citeriore ripâ Padi, (Seravallum vocatur) longè ab Hoſtiliâ Veronenſium oppido mille paſſus, ut inde arcere hoſtem poſſent, ne in agrum Mantuanum prædabundus diſcurreret. Sequenti anno, cùm externus hoſtis timeretur, ad Ligniacum, quod eſt in Atheſis ripâ poſitum, magnus conventus ex totâ Venetiâ eſt habitus, miſſis eò ab unaquâque Civitate Legatis, qui de communi omnium provincialium concordiâ agerent. Philippum Gonzagam, Mantuanum Oratorem, cui vel ſorte vel optione primus dicendæ ſententiæ locus obvenerat, ſic locutum reperio: Quantum immi-

neat periculum Civitatibus noſtris, Clariſſimi Oratores, non attinet dicere, cùm hinc Illyrios, hinc Germanos, hinc Gallos Inſubréſque intentare cervicibus noſtris gladios videamus. Sunt hæc, ut vos etiam ſcire arbitror, Italiæ Clauſtra, unde Romani illi veteres arcere externũ hoſtem conſueverant. Retentis his locis, conſervatum Imperium arbitrabantur, quod poſteà negligenter amisêre, irrumpentibus, nullo obſtante, Vandalis, Gothis, Longobardis, qui hoc noſtrum annis propè quadringentis natale ſolum, multis priùs illatis cladibus, occupatum tenuêre. Demùm verò ſupervenientibus alijs per hæc eadem Clauſtra Gentibus, & ipſi pulſi loco Imperium amisêre. Liberi ac vectigales viciſſim fuimus; guſtatâ libertate, nil ſervitute turpius duximus.* Suſtulimus è medio Eccelinum Tyrannum cum omni ejus familiâ & clientelâ; laſcivire tùm demùm cœpimus, ſublato externo inteſtinóque hoſte. Non contenti rebus noſtris, aliorum agros ac tecta occupare, noſtros fines augere contendimus; bellum plerúmque vel ex minimâ causâ imperandi cupiditate ſumimus; cœdes, rapinas, incendia, direptiones frequentes committimus. His malis vaſtantur agri, abducuntur ruſtici, abiguntur pecora, ſolitudines in Civitatibus direptis ac exuſtis relinquuntur. Quantum odij ſit inter nos concitatum vel levibus cauſis, declarant ſimultates tùm publicæ tùm privatæ, inter vicinas Civitates crebrò repetitæ.

Intue-

Intueri non poteſt porrectâ fronte Patavinus Vicentinum, Vicentinus Veronenſem, Veronenſis Mantuanum, Mantuanus, ne meis parcam, Regienſes. Certatum eſt ab his populis inimico magis quàm hoſtili animo uſque ad internecionem; neque proprijs armis contenti, externos hoſtes, propoſitâ ſpe præmij, in Italiam ad perniciem finitimorum vocârunt. Quæ tandem ſtultitia noſtra eſt, illos in auxilium vocare, qui nos, ſi fieri poſſet, omni divinâ atque humana ope carere vellent propter inſitum Genti odium contra Italam Nationem, à qua olim multas ac maximas clades accepêre. Cogor ominari (quod Dij tamen avertant): illos aliquando in nos convertent enſes, illa arma, quæ noſtrâ causâ ſumere viſi ſunt. Quid ſibi vult, quæſo, Federici Imperatoris adventus cum tanto exercitu in Italiam? ut nos ſcilicet, quemadmodum ipſe pluribus audientibus dicere conſuevit, nimiâ licentiâ petulantes factos, armis & vi coërceat. Huic bello juſtam prætendit cauſam, quam nos etiam noſtrâ temeritate & ambitione juſtiorem facimus. Exſpectatur iſte à pleríſque Civitatibus bello afflictis tanquam ſalutare ſidus. Fecimus noſtrâ ambitione & cupiditate, ut ab hoſte etiam noſtri auxilium peterent. Malunt enim tandem uni Principi, & ei quidem externo ac barbaro, obtemperare, quàm perpetuis ſeditionibus ac bellis finitimis vexari, quibus ita obtritæ quædam Civitates ſunt, ut nil niſi vaſta ſolitudo in illis

 appa-

appareat. Reticeo Caſtella crebris in locis direpta, vicos everſos, villas incenſas, quarum fumo adhuc noſtri caligant oculi. Extinguamus, quæſo, tandem hæc noſtra odia, & ſublatis bellis tùm inteſtinis tùm externis, ita Populos noſtros regamus, ut deſiderium adventitij hoſtis omittant. Equidem ſic exiſtimo, Federicum, dominandi cupidum, hanc jam dudum exſpectatam occaſionem libenter arripuiſſe, quo ſibi honeſtior ac tutior occupandi Italiam pateret aditus. Præ ſe fert, ut ajunt, maximam in rebus omnibus modeſtiam ac juſtitiam; id agit, mihi credite, Vir crudelis, & ſimulandi ac diſſimulandi peritus, ut Populos, injectâ de ſe opinione ſingularis virtutis, ſine ullo Marte in fidem recipiat. Videor videre Barbaros paſſim Civitatibus noſtris avarè & ſuperbè imperitantes, huic vitam, illi facultates & opes crudeliter eripere, puellas & impuberes à complexibus parentum diſtrahere; juvenes, & quos vident ire obviam injuriæ poſſe, clàm & apertè necare, pecuniam per nefas collectam & ſupellectilem rerum pretioſiſſimarum ad ſuos quotidiè mittere. Quos gemitus, quæſo, dabimus? quam pœnitentiam & ſeram ſubibimus, cùm talem Rerumpublicarum noſtrarum faciem videbimus, cùm ipſæ mœſtæ ſqualidæ gementes noſtrum fruſtrà exoptabunt auxilium? Avocemus, per immortalem Deum! animos noſtros ab odio, & ſimultate ad pacem & concordiam, &, dum adhuc licet, communi libertati conſulamus,

quam

quam perfacilè tuebimur, ſi, icto inter nos fœdere, arma paribus auſpicijs, ubi opus erit, ſumpſerimus. Fecit anteà diſcordia noſtra, ut externus hoſtis dominandi cupidus arma contra nos ſumeret; faciet nunc concordia & ictum fœdus, re in Germaniam perlatâ, ut furor ille barbaricus reſideat, & exſtinguatur. Dicentis ſententiam collaudârunt omnes, & frequenti concione ad pacem conclamatum eſt. Tùm demùm de componendis rebus inter eos hac ratione agi eſt cœptum, ut amici communes duorum inter ſe altercantium Populorum lites & diſcordias cognitas atque æſtimatas in Conventum referrent, ſtaretúrque ei ſententiæ, quam ſeptem Judices ad id electi pronunciarent. Duriores aliquantulùm viſi ſunt Patavini & Tarviſini, de finibus contendentes; non benè etiam conveniebat Mantuanis cum Veronenſibus, negantibus, ſe Comitum Familiam jamdudum extorrem, expellentibus Montecuculis, in patriam recepturos, niſi ipſi quoque exulibus ſuis redeundi in Civitatem poteſtatem facerent. Venêre utrique in ſententiam Judicum, qui cenſuerant, non hos ſolùm, ſed omnes omnium civitatum exules recipiendos, ſi eorum poſtulata ad concordiam ſpectarent, ſiq; nil tale commiſiſſent, quare non patriâ modò, ſed aquâ atque igni eis interdiceretur. Hos non privatarum Civitatum, ſed publicos totius Provinciæ hoſtes pronunciare, addentes etiam, ſe hoſtium loco eos habituros, qui vel privatam

tam vel communem concordiam ſeditionibus perturbaſſent. Decretum poſtremò, ut, cognito externi hoſtis adventu, unaquæque Civitas tuendæ libertatis causâ, duo millia peditum, ac quingentos equites proprijs ſumptibus ad communem exercitum cum Duce mitteret, qui illius imperio obtemperaret, quem totus exercitus centuriatis Comitijs delegiſſet. Compoſitis ex ſententià rebus, icto fœdere, ac ſoluto Conventu, domos quiſque ſuas læti rediêre. Sed hæc concordia haud diuturna Mantuanis fuit; pulſa námque civitate eſt Advocatorum Familia potens ac nobilis, pulſi Agnelli eorum factionem ſequuti, quòd ſeditiones ſerendo perturbare ſtatum Civitatis conabantur. Idem etiam accidiſſet Comitibus Caſalodis ad arma ſpectantibus, ni in gratiam cum Caloroſis redijſſent. Sequenti anno, qui fuit quintus & trigeſimus ſupra ducenteſimum & milleſimum, Kalendis Maij, nefas ingens & piaculo dignum commiſſum eſt, interfecto apud Sanctam Andream Epiſcopo Guidotto à factione Advocatorum. Quo ſcelere excita plebs ſumptis armis, quos potuit, trucidavit, incenſis etiam atque everſis eorum domibus. Pulſæ ob tantum ſcelus Familiæ, Advocatorum factionem ſequutæ: hæ ſunt habitæ, Poltroni, Senzani, Raneſij, Caloroſi, Viſconti, Viſdomini; has ſecutæ ſunt populares ſine nomine. Hac tantâ rerum perturbatione magnum conſtat Civitatem accepiſſe detrimentum, adeò ut tertiâ

ex

ex parte vacua cultoribus relicta videretur. Conati ſunt exules perſæpè in patriam redire, nec ab incendijs & rapinis abſtinuêre manus, paſſim cedendo, quouſque adverſariarum partium obvios habuiſſent. Vagabatur hoc malum per omnes Civitates, ſpretis fœderibus ad Ligniacum ictis. Ex quâ perturbatione nec privatæ rei nec publicæ conſuli ullo modo poterat, cùm ferro ac flammâ exurerentur omnia. Non erant tuti Legati, hinc & inde ad concordiam miſſi, tantum ſibi quiſque licere, quantum poterat, arbitrabatur: non Sacerdotibus proderant Infulæ, non mulieribus & impuberibus imbecilla ætas. His tot ac tantis malis, non minùs quàm libidine dominandi, Federicus Imperator motus, cum ingenti exercitu Alpes tranſgreſſus, Veronam ſine ullo Marte in deditionem accepit. Inde celeriter movens, impoſito Arci valido præſidio, Mantuam diuturnis ſeditionibus afflictatam pervenit, poſitiſque ad portam Quadrucciam caſtris, Urbem oppugnaturus, triduo, poſtquam venerat, inde movens, Mercariam contendit; quâ non ita multò pòſt expugnatâ, munitâque valido Mantuanorum ac Cremonenſium exulum præſidio, retrò movens, repetere obſidionem Urbis omnibus viſus eſt. Varius fuit hic pavor. Trajecto enim vadibus Mincio, Veronam primò, mox Vicentiam quaternis caſtris pervenit; quam quidem diu obſeſſam, & magnis incommodis perſæpè oppugnatam, vi tandem cœpit, & captam, diripuit atque exuſſit, cæteris metum incuſ-

ſurus, quò ſine bello in fidem venirent. Hâc expugnationis famâ territi Patavini, Tarviſini, ac reliqui Veneti, Oratores properè miſêre, qui pacem ab eo quàvis conditione impetrarent. Hos Imperator comiter ac benignè ſuſcipiens, benignus etiam, à ſe datâ pace, æquis conditionibus dimiſit. Mantuani, recuperatâ Mercariâ, ac occiſo præſidio, ad propulſandam injuriam ſumpſiſſe animos videbantur, exiſtimantes, Vicentiam ac Patavium angulúmque illum Venetorum tamdiu retenturos in obſidionibus hoſtem, quoad firmari Urbs ſua commeatu, vallo, foſsâ ac fido præſidio poſſet. Verùm ubi aliter, atq; ſperaverant, evenire deprehenſum eſt, cognoſcerêntque, Federicum non diu immoraturum,quo minùs ad eos obſidendos reverteretur, Legatos de pace mittunt; quos Federicus primò acriter increpavit, quòd portas Imperatori ſuo clauſiſſent, quódque ejus mandata ſpreviſſent, qui non libidine dominandi, ſed pacandæ Provinciæ causâ, quæ bello inteſtino ac finitimo jamdudum ardebat, in Italiam armatâ manu ad poſſeſſionem ſuam venerat: irent, ac legibus ab Imperio datis uterentur,caverêntq; ne impoſterùm tale aliquid comitterent, quod noxas ſuperiorum temporum cum ſuo magno malo refricaret. Legati domũ revertentes, ſolicitam Civitatem magno metu liberârunt. Increbuerat enim rumor, Veronenſibus inimicis eundem in majus extollentibus, affuturum paulo pòſt cum magno exercitu Imperatorem àd diripiendam Urbem. Non fuêre

ta-

tamen omnino formidine vacui, donec cognitum eſt, eum in Brixianos moviſſe ſigna; quos, eorum agros vaſtando villáſque incendendo, ad deditionem coegit, impetratâ etiam ingenti pecuniâ. Inde movens, Abduam amnem ponte junctum, Mediolanenſibus fruſtrà vetantibus, cum omnibus copijs traijcit. Sequenti die ad Urbem movens, cognitâ ejus magnitudine, oppugnationem relinquens, ad expugnandas Urbes circumquaque poſitas contendit, quo faciliùs obſideri, intercepto commeatu, Mediolanum, Urbs populoſiſſima, poſſet. Dùm copias circumducit, comparandi exercitum Mediolanenſibus ſpatium dedit, quo poſteà cum Federico ad Dertonam congreſſi, cùm ipſi tyrones cum veteranis decertarent, facilè ſuperati, libertatem amisêre. Hâc victorâ contentus Imperator, quâ Venetiam atque Inſubriam in ſuam redegit poteſtatem, impetrato annuo tributo, in Germaniam ſeſe cum exercitu recepit. Sequenti anno Caloroſi exules, adjuvantibus Ferrarienſibus, Sermedũ, longè ab Urbe Mantuâ triginta millia paſſuum in ulteriori ripâ Padi conditum, dolo cepêre. Quo nuncio Mantuani permoti, quòd inde impediri eorum navigatio ad importandas exportandáſque res Vrbi neceſſarias videbatur, eò properè, quibus poſſunt, copijs contendentes, tantum terrorem exulibus incuſsêre, ut, relicto Caſtello, ſalutem fugâ quæſierint. Gravior ea proditio, quàm pro re, Mantuanis viſa, quòd exules à Ferrarienſibus, nullâ injuriâ laceſſitis, obnixè adjuvarentur. Mittere

itaque Legatos Bononiam ac Venetias placuit, qui Civitates, enarratâ Ferrarienſium levitate & ſtultitiâ, ad arma contra eos turbatores ocij & quietis ſumenda concitarent. Erant jam dudum hæ Civitates Ferrarienſibus ob eorum inſolentiam infenſæ. Facilè igitur perſuaſæ, partitâ inter ſe belli impensâ, ac pronunciatâ die, quâ quæque cum ſuis copijs adeſſet, domum ad confirmandos civium animos, & paranda tanto bello neceſſaria, reverterunt. Veneti, qui bello navali plurimùm poſſunt, comparatam claſſem per illud Padi oſtium, quod ad eos pertinet, celerrimè ſubvehunt. Clauditur enim Ferraria cum magnâ ſui parte à Pado bifariàm ingentibus alveis, ad Stellatum diviſo, ac ſeſe, magis magiſque fluendo, uſque ad mare disjungit. Veneti itaque Idibus Junijs ſiniſtrum alveum ingreſſi, omnia circumquaque populantur, villas incendunt, Caſtella diripiunt. Idem faciunt Mantuani ac Bononienſes, omnem Ferrarienſem agrum ad ſe pertinentem, ferro ac flammâ vaſtantes. Secundo etiam flumine miſſa navigia, quæ machinas bellicas, ac pedeſtrium copiarum commeatum impedimentáque deveherent, quo expeditiores in excurſionibus milites eſſent. Ferrarienſes tot ſimul malis oppreſſi, cui potiſſimùm hoſti occurrerent, non ſatis videbant; quippe cùm pares unicuique iſtarum Civitatum, indicto & bello, vix poſſent eſſe. Omiſsâ igitur agri curâ, ad firmanda Urbis mœnia, everrendáſq; foſſas, longâ vetuſtate oblimatas, animum intendunt. Deligere etiam

ex

ex totâ Vrbe milites, qui in ſtationibus ac vigilijs viciſſim diſpoſiti, Vrbem ab externâ vi nocte ac interdiu tuerentur. Maximè verò illis curæ fuit, eam Urbis partem munire ac tueri, juxta quam Padus præterfluit, quòd navibus, creſcente flumine, nudari facile propugnatoribus mœnia poſſent, imminentibus ex malis navium ſagittarijs ac funditoribus oppidanorum cervicibus. Reſcindere etiam pontem inſtituunt, quo ex Vrbe ad ulteriorem fluminis ripam commeant, ne eâ tranſire fluvium hoſtis ad oppugnandam Vrbem poſſet. Quem poſteà Mantuani, devectâ claſſe, ac comportatâ undique materiâ, refecêre, erecto deſuper validiſſimo Caſtello, unde oppidanos ſubmovere è mœnibus telis miſſilibus perfacilè poſſent. Hanc pontis inſtaurationem, factâ eruptione, Ferrarienſes vetare maximè ſunt enixi; quos Mantuani, armatis navigijs mœnibus ſuccedentes, è ripa facilè intra mœnia trudebant. Dum hæc agerentur à Mantuanis, ſupervenêre Bononienſes, ac Veneti, diutiùs cupiditate prædæ per agros vagati. Diviſa trifariàm oppugnatio fecit, ut Ferrarienſes portas omninò clauderent, injectâ erumpendi deſperatione. Conſederant Veneti ad eam portam, quâ Francolinum itur; Bononienſes ad Inferiorem; Mantuani ad Caſtrum Tealtum, partitâ per fluvium claſſe, ne aquâ quiſquam ingrederetur, néve commeatum inferret, obſervabant. Erectæ undiq; ſunt ingentes machinæ ad tantam expugnationem neceſ-

 ſariæ.

ſariæ. Oppidani in morâ ſpem ponentes, quæ, vel ſupervenienté hyeme, vel inter obſidentes, (ut fit) præcipuè variarum Civitatum, ſimultate graviſſimâ plerumq; ſolvitur, eam partem Vrbis vallo ac foſsâ maximè firmabant, quam præcipuè hoſtes oppugnaturi viderentur, exſtructis circumquaque pluteis, unde tutò in hoſtem lapides ac ſagittæ demitti poſſent. Conſumpto triduo in exſtruendis machinis, Mantuani ac ſocij quarto oppugnationem per præcones denunciant. Proponuntur primis murum inſcendentibus maxima prœmia. Illuxerat dies omnibus exſpectata, cùm dato ſigno ex totis caſtris ad muros concurritur, repletis priùs ad pervadendum foſſis. At oppidani pro mœnibus ſtantes, ſuccedentem hoſtem, quâcunque vi poterant, ſubmovebant. Suggerebant tela ſenes, ſuggerebant mulieres ſine ullo diſcrimine, nobiles aut ſecùs eſſent, adeò quemque periculum tùm publicum, tùm privatum ad ſalutem patriæ excitaverat. Non deerant ex matribus, quæ filios per dolores partûs, per ubera, ad bene de patriâ promerendum adhortarentur. Inſtabant acriùs oppugnantes, præcipuè Mantuani, memores illati belli, memores capti per proditionem Sermedi. Muros jam inſcenderant elatis ſcalis aliquot milites, cùm ſubitò caduceatorem Salinguerra, Ferrariæ Tyrannus, ad Venetos & Bononienſes mittit, oratum, ne Civitatem vicinam ob tantulam noxam peſſundatam velint; para-

paratos ſe pro injurijs ex arbitrio illorum Mantuanis ſatisfacere, non recuſaturos quodvis ſupplicium, modò abſtineretur à direptione Vrbis. Veneti miſericordiâ moti, cani receptui jubent. Idem etiam fecêre Bononienſes, Gregorio Montelongo, Apoſtolico Legato, adhortante. Tùm Mantuani, cognitâ re, indignabundi acriùs inſtabant, indignum eſſe facinus, exclamantes, prodi à ſocijs datam fidem, eripique victoriam jam partam è manibus infœliciſſimorum militum ob deprecationem imbellis & perfidi hoſtis: dolere ſe, proclamabant, adeò ut ab omnibus exaudiri poſſent, non ſuam magis, quàm militum vicem, qui in direptione opulentæ Vrbis vulnerum ac laborum ſuorum prœmia repoſuerant. His verbis concitati ſocij, fruſtrà revocantibus Ducibus, & nunc preces, nunc minas addentibus, oppugnationem repetunt. Tùm mulieres, quæ muros inſcenderant; quò hoſtem duriorem lachrymis & ejulatu ad commiſerationem moverent, ſciſſis à pectore veſtibus, dimiſſiſque crinibus, manus paſſim fundentes, veniam deprecabantur, orabántque, ut parceretur miſeræ Civitati, quamvis pœnam pro arbitrio victorum ſubituræ. Inſtant oppugnantes nihilo ſegniùs, & alter alterum ad prædam adhortatur. Tùm verò tantus utrinque clamor exortus, ut neque à Civibus intùs, neque ab hoſtibus foris, ex imperio quicquam ageretur. Concurrebat quiſque temerè, quò fors & clamor duxiſſet. Mantuani,

qui

qui murum nunquam reliquerant, quique è ſuis continuò aliquot ad ſe per ſcalas receperant, è ſuperiore loco in Vrbem, fruſtrà repugnantibus oppidanis ſeſe effundunt. Tùm verò nudata ſunt defenſoribus mœnia; cùm quiſque, omiſsâ re publicâ, ad privatam tuendam diſcurreret. Ingredi tùm facilè, non per muros modò, ſed per patentes portas, nemine repugnante, volentibus licuit. Pugnatum eſt aliquantulùm circa forum ab exulibus iſtarum Civitatum, qui, deſperatâ ſalute, extrema quæque pati malebant, quàm in manus civium ſuorum ad cruciatus & pœnas devenire. Cecidêre multi utrinque, demiſſis ex eminentibus tectis promiſcuè in dimicantium capita lapidibus ac tegulis. Nec temperatum eſt à cæde eorum, qui cum armis inventi ſunt. Reliqua multitudo capta, facilem irrumpentibus direptionem dedit. Ditati eâ prædâ milites, ſummis laudibus Mantuanos extollebant, qui eorum virtute & conſtantiâ tantam támque lætam victoriam, penè ſuorum Ducum ignaviâ amiſſam, adepti fuiſſent. Immorati per dies undecim in diripiendâ Urbe Mantuani ac ſocij, ingenti prædâ onuſti, cum magno captivorum numero ad ſuos rediêre, relictâ Vrbe Azoni Eſtenſi, inde jam anteà factionibus pulſo. Salinguerra, qui ſeſe Venetis (ratus eos mitiores fore) dederat, Venetias perductus, in carcerem conijcitur. Ægrè in diſceſſu retenti Bononienſes, vetuſto cum Ferrarienſibus odio certantes, quo minùs

Vrbem

Vrbem incenderent. Mantuani dimidium prædæ, indignantibus militibus, ac ſeditionem facturis, ſi autorem inveniſſent, in ærarium redigentes, Portam Folliſum, quam nunc Tireſiæ vocant, & murum, ab eâdem portâ ad Predellam ductum, ex manubijs ædificavêre. Sequenti anno inter Veronenſes & Mantuanos graviſſimum exoritur bellum. Innovata de finibus contentio eſt, cùm progredi uterque vellet. Cædebantur in finibus agrorum cultores, quòd in alienum veniſſe dicerentur. Crebra committebantur incendia, exuſtis paſſim villis, quas in ambiguo adhuc agro ruſtici ædificaverant. Demum verò injuriæ ultrò citróque illatæ juſtos excivêre exercitus. Ad Tervenzolum, quod eſt Caſtellum Veronenſium, caſtra caſtris conferuntur. Oppugnare Caſtellum Mantuani, contrà Veronenſes illud defendere omnibus viribus nitebantur. Frequentia quotidiè committebantur prælia, in quibus multi è Mantuanis deſiderabantur, cùm eodem tempore à fronte cum exercitu hoſtium, & à latere, cum his, qui in præſidio erant, dimicare neceſſe eſſet. Abire etiam re infectâ turpe videbatur. Semel igitur experiri fortunam inſtituunt, & collatis ſignis eodem tempore & Caſtellum oppugnare, & cum hoſte confligere. Imperatum militibus, ut corpora curarent, & in armis illuſcente ſequenti die, quo hæc edixerant, præſtò eſſent. Præmittere etiam impedimenta placuit, ut expeditiore agmine, ſi quid ſini-

ſtri accideret, abire liceret. Ferunt, eâ nocte, quam dies pugnæ inſecuta eſt, frequentes lupos diverſis locis circum caſtra ululâſſe, futuram cladem indicantes; quæ vitari certè potuiſſet, niſi Ducis pertinacia plùs valuiſſet, quàm veteranorum conſilia, qui palàm dictitabant, prælium eò loci committi nequaquam eis è Republicâ videri. Juvit etiam ſtultitiam Ducis mercenariorum quorundam diuturnæ obſidionis impatientia, qui ſe deſerturos caſtra prædicabant, niſi pugnam properè capeſſerent. Convenêre ſummo mane ad ſigna milites, quos Imperator pro caſtris ducens, ac quadrifariàm dividens, tres acies, intermixtis equitibus, exercitui hoſtium oppoſuit; quartæ, oppidanos continere, quo minùs eruptionem facerent, imperavit. Veronenſes, veniſſe tempus rati, quod diu exſpectaverant, & ipſi exercitum in patentem campum ducunt, aciémque pro vallo caſtrorum explicant. Intercedebant inter utrumque agmen quingenti paſſus, ad ſe uterque iri volebat; quo incommodiùs ab hoſte dimicaretur. Currebant nonnulli inter ſeſe, ut fit, equites, ad irritandos omnium in prælium animos. Jactabant etiam ultrò citróque crebra convicia. Steterat aliquamdiu immotis ſignis utraque acies, cùm Mantuanus Dux, iræ magis quàm conſilio obtemperans, capto vexillo in hoſtem contendit. Perventum jam erat ad teli jactum, cùm Veronenſes, præmiſſis ſtatim ſagittarijs ad ſiniſtrum Mantuanorum latus, quo

quo paluſtri foſsâ claudebantur, certamen ineunt. Vulnerabantur ex Mantuanis multi, quòd & latera tueri, cùm à fronte hoſtes inſtarent, & explicare acies in tàm anguſto loco, claudentibus hinc Caſtello, hinc foſsâ, eodem tempore nequaquam poterant. Pœnituit tùm demùm Imperatorem, eò duxiſſe exercitum, unde regredi ſine magno incommodo non licebat. Simulatâ tamen fiduciâ, ad primam aciem convolans, frequentes ſuorum ex hoſte commemorabat victorias, eos adhortatus, ut tantiſper ſuſtinerent, quoad primus eorum impetus efferveſceret, hanc eſſe leviſſimorum hominum naturam dictitans, ut in primo congreſſu omnes vires effundant; non diutius laborem paſſuros, ſi primos conatus eorum refractos viderint. Hæc dicentem hoſtis, qui non longè conſtiterat, indignabundus, concitato calcaribus equo, haſtâ invadit, quâ transfixus ſiniſtrum humerum, è prælio diſcedere ob dolorem cogitur. Senſit vulneratum Ducem exercitus, & paulatim referre pedem inſtituerat, ni hoſtes acriùs inſecuti, urgentibus lævâ ac dexterâ ſagitarijs, perturbare aciem cœpiſſent, clamante identidem milite illo, à quo Dux vulnus acceperat, interfectum à ſe Mantuanorum Ducem eſſe, quem ſui moribundum in caſtra, ſe vidente, detulerint. His vocibus incenſi Veronenſes, acriùs prælium integrant, quo tandem Mantuani, multis acceptis vulneribus, cùm ob locorum anguſtiam integros feſſis ſubmittere non poſſent,

in fugam convertuntur, ſecedente paulatim agmine, quod contra præſidium Caſtelli collocatum erat. Quæ res fugam maturavit, cùm facile intercludi poſſent, erumpentibus ad dexteram hoſtibus. Itum eſt in caſtra effusâ fugâ: unde mox, inſtantibus etiam hoſtibus, abiêre, cùm nihil ibi haberent, pro quo magnopere eſſet dimicandum, præmiſſis ad Vrbem ante pugnam impedimentis. Veronenſes tantâ victoriâ elati, præmiſſis equitibus, qui fugientes inſequerentur, dum agmine pedeſtri ſubſequuntur, eos capiendo, quos vulnera in fugâ retardaverant, ad Vrbem ſecundâ noctis vigiliâ pervenêre; ſperantes, Populum, ex accepto incommodo perterritum, facilè, ſi inſtarent & direptionem minarentur, deditionem facturum. At Magiſtratus, quibus Reipublicæ ſalus commiſſa erat, ſtationes ante portas, præſidiaque in muris diſponunt. Trepidatum eſt in Vrbe totâ nocte, augente terrorem mulierum ploratu, quæ paſſim diſcurrentes, obvium quemque militem de ſalute ſuorum interrogabant. Illuceſcente demùm aurorâ, multi, qui diverſis ac longioribus tramitibus, hoſtem vitabundi, Vrbem ingreſſi ſunt, maximam partem mœroris publici levârunt, & ſpem civibus ſuis fecerunt, non modò tolerandæ oppugnationis, verùm etiam aperto Marte ac collatis ſignis cum hoſte congrediendi. Veronenſes triduum ad Vrbem commorati, cognito incommodo, quod ſingulis diebus ex eruptione oppidanorum accipiebant,

bant, cùm omninò potiundæ Vrbis, inſtante jam hyeme, de ſpe cecidiſſent, motis caſtris in patriam redeuntes, obvia omnia populantur, & incendunt. Sequenti æſtate Mantuani, priſtinum belli decus ad Tervenzolum amiſſum recuperaturi, juſtum exercitum conſcribunt, nemine militiam retractante; tantus ardor animis omnium ſuberat vindicandæ acceptæ nuper injuriæ. Ducenti ac quadraginta duo aurati Equites inter omnem equitatum fuêre ex nobiliſſimis Familijs orti, qui conſpirationem inter ſe fecêre, adhibito juramento, locum à Duce copiarum eis deſignatum nunquam ſe deſerturos, iturósque communi periculo, quo Dux imperâſſet, nec minorem habituros de commilitone, quàm de ſe curã, etiamſi eo certamine morituros ſe compertum haberent. Vtebantur ij omnes ſagis albis; alba erant eorum ſigna, albæ equorum phaleræ ephippiáque. Hoc tanto apparatu Mantuani ab Vrbe moventes, primâ æſtate hoſtilem agrum ingreſſi, longè omnia ac latè populantur, provocaturi hoſtem in certamen, quem ſciebant, non niſi magnis acceptis incommodis in diſcrimen pugnæ deſcenſurum. Villis etiam atque ſuburbijs ignem ſubiecêre, quo clauſos mœnibus pudore ac dolore amiſſæ villæ, rei quidem cariſſimæ, deſcendere in prælium cogerent. Cùm igitur hæc irritamenta nihil valerent, ac fruſtrà abſumi tempus videretur, ad Caſtella, in agro Veronenſi ſita, ducentes, Valegium, Gazium, Vil-

lam pictam, Tervenzolum, Caſtellanis mœtu ſeſe dedentibus cepêre. Hoſtiliam deinde aggreſſi, poſt aliquot dierum oppugnationem, vi tandem diripuêre, ac direptam evertêre; ne Veronenſes recuperandæ Hoſtiliæ gratiâ bellum renovarent. His rebus unâ æſtate geſtis, onuſti prædâ ad Urbem redeuntes, ſexcentos captivos in carcerē conjiciunt. Hyeme deinde de permutandis captivis mentio facta eſt. In quâ re duriores aliquantulùm Veronenſes viſi, quòd dicerent, ſe ex Mantuanis nobiliores ac ditiores captivos habere, quanquā de ſuis ignoblibus ac ruſticis plures ſcirent eſſe captos; petere ſe, ut Caſtella, ex agro ſuo captà, in hâc permutatione redderentur. Quibus ita reſponſum: debere eos, qui fœdus perſæpè fregerint, quique præteritâ æſtate, certamen detractando, victos ſe profeſſi ſint, victorum conditiones, æquas præſertim, accipere; iniqua eſſe poſtulata, quæ eorum tantùm, qui petunt, utilitatem inſpiciant; Mantuanum populum multa millia auri & argenti centum jam annis inſumpſiſſe, dùm illatas à Veronenſibus injurias propulſant, dúmque libertatem, cui totiens illi inſidiati ſunt, accito etiam externo hoſte, enixè tuentur; nolle ſe commemorare, quot hominum millia tot prælijs ſint interfecta, quot Caſtella everſa, quot villæ incenſæ, cùm longè ac latè adhuc cernantur incendiorum cineres; irent omiſsâ ſpe recuperandi vel minimi Caſtelli, & captivos Mantuanis redderent, ſi ſuos vellent. Veronenſes, eâdem re nequicquam

quam ſæpius tentatâ, commutare captivos inſtituêre. Dimiſſi itaque utrinque ad unum omnes, nec induciarum aut pacis ulla mentio facta eſt. Bellum deinde oritur inter Mantuanos & Cremonenſes quòd utraque Civitas vindicare ſibi poſſeſſionem Padi contendebat. Comparatâ itaque fluvialium ſatis magnâ claſſe, inter Vitellianam, & Caſale majus pugna conſeritur, quâ Mantuani propter aſſuetudinem remigandi ſuperiores facti, Caſale majus, per aliquot dies obſeſſum, tandem cepêre. Unde poſteà, nemine prohibente, hoſtilem agrum longè ac latè populati, Cremonenſes ad petendam pacem perpulêre, quæ Mantuano Populo admodùm grata fuit, quòd ſingulis diebus nunciabatur, Veronenſes ingentem parare exercitum in ſuam aut Vicentinorum perniciem. Compoſitâ igitur cum Cremonenſibus pace, cùm aliquamdiu res quietæ ſtetiſſent, ſegniúſque omnia obſervarentur, Veronenſes populabundi uſque ad portam Sancti Georgij hoſtili agmine pervenêre; inde celeriter abeuntes, quòd Populum ad arma concurrere ſentiebant, Cipatâ incensâ, diverſo itinere, quàm quo venerant, rediêre, convectâ undique pecorum atque hominum ingenti prædâ. Quam rem ægrè ferentes Mantuani, conſcripto exercitu, non latronum more, ut nuper Veronenſes, ſed poſitis ad ſuburbium, ſcilicet Zenonis, caſtris, Veronenſibus graves curas injecêre. De relinquendo enim ſuburbio, quod tueri

poſſe

poſſe deſperabant, perſæpè cogitaverunt. Movere inde Mantuanis ſatiùs viſum eſt, & quòd hyems inſtabat, & majores obſidio tantæ Urbis copias requireret. Partito itaque bifariàm exercitu lævâ ac dexterâ, quicquid hoſtium erat, populantes, tantum in Urbem convexêre prædæ, ut, eâ publicè divenditâ, ex manubijs ædes illas Prætorias ædificaverint, ubi etiam ætate noſtrâ jus civibus redditur; quas quidem ædes ſuperiore biennio Ludovicus Gonzaga Princeps Illuſtris in meliorem formam, non tabulatis, ſed fornicibus, & quidem faſtigiatis, ſuâ impensâ redegit. Struxêre item eodem anno pontẽ ad Burgofortem, quo celerrimè in Regienſes ducerent, ſi quid hoſtile tentarent; quo ſtructo, cùm negligenter omnia custodirentur, ac frequentes huc atque illuc commigrarent, paulùm abfuit, quin Burgofortem Cremonenſes & Ferrarienſes exules caperent. Ad ducentos hi fuêre; quos tormentis cogere nunquam potuêre, ut conſenſu Civitatum ſuarum ſe id feciſſe faterentur. Sumptâ de exulibus pœnâ, ac cognitâ Cremonenſis Populi innocentiâ, pacem cum eo ac fœdus iniêre. Anno ſalutis ſexageſimo ſupra ducentos & milleſimum, novum genus Religionis exortum eſt, hominum quidem humilimorum, qui lineo tegmento, & eo quidem albo, totum adoperti corpus præter ſcapulas, quas vel noctu in templis, vel die in ſupplicationibus, uſque ad multum ſanguinem loramen-

tis

tis cædebant, Dei iram deprecantes. Quietâ aliquamdiu ab externo bello Civitate, adeò laſcivire rerum omnium affluentiâ animi cœpêre, ut plebs ex Optimatibus varios ſeditionis autores concitaverit; inter quos non convicijs tantùm, ſed etiam armis certatum eſt. Duæ tùm erant præpotentes familiæ in Civitate Gaſſari & de Ripâ. Alter alterum pellere ex Urbe conabatur, adjuvantibus clientibus & amicis. Grave ob hanc ſeditionem ad pontem Monticellorum prælium commiſſum eſt, in quo utrinque multi cecidêre; major etiam parabatur clades, ni prælium nox diremiſſet. Quo factum eſt, ut via aliqua Magiſtratibus ad componendas ſeditiones daretur, repreſsâ aliquantulùm interventu noctis tumultuantium irâ. Sequenti die, propoſitâ exilij pœna, imperatum omnibus ex edicto eſt, ut ab armis diſcederetur. Animadverſum deinde in eos, qui ſeditionis autores fuerant. Quâ re factum eſt, ut eo anno toto quieta civitas ſteterit. Sequenti innovata diſcordia fecit, ut Caloroſi, quondam exules, injuriarum memores, quòd factione quorundam annis aliquot patriâ caruiſſent, vindicandi tempus veniſſe rati, Saviolam & Ripam veteres familias ex Urbe ejecerint; quæ non multò poſt Suzaram, pulſo inde præſidio, adjuvantibus reliquis exulibus, occupavêre. Eò properè miſſæ cohortes cum ducentis equitibus amiſſum Caſtellum recepêre, multis exulibus interfectis, qui nocte intempeſtâ, relictâ Suza-

râ, facto cuneo erumpere tentaverant. Quinquennio pòſt, reſipiente jam Civitate, Caſalodi & Bonacolſi Zanicallos & Gaffaros potentiſſimas Familias ex Urbe eijciunt, eorúmq; bona, peſſimo exemplo, diripienda populo permiſerunt; quo quidem fomento, ad res novas populus illectus, varia ſeditionum capita diu quæſivit. Quadrifariàm diviſa Civitas, quatuor potentes ac ſeditioſas Familias ad arma excivit. Habitabant Comites Caſalodi cum factione ſuâ ad Sanctum Jacobum; Arloti, potentes ac feroces, ad Sanctum Martinum, â quo non longè pons eſt, Familiæ nomen adhuc retinens; Bonacolſi, numeroſa Familia, ad Sanctum Petrum, Zanicalli eam Urbis partem incoluêre, quæ ad ſuperiorem Lacum vergens Major appellabatur. Horum quilibet, non contentus ſuos ab injuriâ tueri, aliorum bona diripere, domos incendere. Erectæ item varijs in locis turres, unde tutò in hoſtem dimicarent. Crebra in dies committebantur prælia, cum magno civium interitu. Senſit & hanc ſævitiem muliebris ſexus, ac puerilis ætas, quam paſſim trahi ad ſupplicium vidiſſes. At verò, ſi quæ iſtarum factionum potentiâ prævaluiſſet, in eam omnes, quaſi ad communem perniciem nati, ferebantur, donec & ipſa debilitata alteriùs auxilium in potentiorem quæreret. Pulſi tandem Zanicalli & Arloti, quietem aliquam haud diu duraturam Civitati dedêre. Renovatæ námque diſcordiæ ſunt, dum Marchio E-

ſten-

ſtenſis per ſpeciem componendæ ſeditionis Roſinum Zanicallum, Virum potentem ac ſeditioſum, in patriam reducit; quem Populus, Marchione fruſtrà vociferante, quòd fidem homini dediſſet, in carcerem truſit, de eo ut de parricidâ ſequenti die ſupplicium ſumpturus. Roſinus mortem illam, ut ignominioſam, vitare cupiens, vulnus ſibi haud mortiferum gladio impegit. Quâ re Marchio permotus, adjuvantibus amicis, è carcere hominem ducens, Ferrariam miſit, Muſcâ tùm Prætore fruſtrà clamante, indignum facinus eſſe, noxium hominem, indictâ causâ, per vim à pœnâ liberari. Hanc ob rem ſequenti die, vocato ad concionem Populo, cùm potentiam & vim quorundam criminatus eſſet, oſtendiſſetque ſe impediri, quominùs officio fungeretur, Præturâ ſtatim, Populo fruſtrà reclamante Rempublicam prodi, ſe abdicavit. Tùm Marchio, veniſſe tempus occupandæ Tyrannidis ratus, cùm ſine Prætore Reſpublica eſſet, Comites ejus potentiam conſecutos occupare Prætorium adhortatur. Quo facto Zanicallos & Gaſſaros plebi infenſos non modò in patriam reduxit, verùm etiam Comitibus affinitate conjunxit, quo deinceps ejus factio potentior eſſet. Ferrariam deinde ad comparandum exercitum profecturus, amicis ſuis negotium dat, ut complures cives, propoſitâ ſpe præmij, in ſententiam ſuam trahant. Fecêre id haud gravatè Zanicalli, qui videbant Civitatem de libertate jam diu cogitantem, non

R 2 paſ-

paſſuram diutiùs, ſe quondam exules in Civitate quieſcere, niſi ab uno aliquo potenti ac pecunioſo tyrannide opprimeretur. Submiſſis itaque, qui cives pecuniâ corrumperent, traxêre in ſocietatem ſceleris Obicinum, Lombardum, Montemagnum, Stancialum, & Termaninum Vavaſorium, nobiliſſimarum Familiarum capita. Tùm Marchio literis admonitus, quid fieri oporteret, diſpoſito ad omnem caſum in finibus exercitu, Vrbem clanculùm ingreditur. Aperiri tùm res magis eſt cœptâ, adſtante inter conjurationis autore. At Comites & Caſalodi, conjuratione per indicem deprehensâ, Ludovicum ſuæ factionis Principem, Ligniacum tùm oppugnantem, de rebus omnibus certiorem reddunt, qui, motis repente caſtris, de tertiâ vigiliâ Vrbem cum armato milite ingreſſus, Populum pro libertate vindicandâ ad arma concitat, Pinamonte Bonacolſo adjuvante, qui ejus adventum cum paratâ manu exſpectabat; quâ deinceps, audito clamore, forum continuò occupavit, quo ſuis liberior poteſtas pervadendi Vrbem fieret. Tùm Marchio de obtinendâ Tyrannide deſperans, ſaluti ſuæ fugâ conſuluit, magno proditorum agmine comitante, maximè verò Gaffaris, Stancialis, Vavaſorijs, Ghecijs; quorum domus exuſtæ penitùs atque everſæ ſunt. Adeò Populus in proditores patriæ exarſerat. Et, ne Vrbs vacua cultoribus ob cives pulſos videretur, Saviolam, Ripam, atque alias Familias, quondam poten-

tentes, & pulſis omninò adverſantes, ex Plebiſcito in Vrbem reducunt. Triennio pòſt quietem Civitatis nova ſeditio perturbavit. De creando Prætore erat contentio. Guidonem Correggiam Caſalodi retinere in Præturâ conabantur; at Federicus, Marcariæ Comes, ac Pinamons, hunc pellere, atque alium, qui neutram in partem inclinaret, creare inſtituerunt. Tentata ſuffragijs primò res eſt. Mox ſumptis armis, ac duas in partes diviſâ Civitate, Federicus & Pinamons, Guidone Correggiâ per vim pulſo, Prætorium, Caſalodis id fruſtra vetare conantibus, occupârunt. Compoſitâ deinde ſeditione, poſt bimeſtre imperium, quo functi ad confirmandam Civitatem fuerant, Franciſcum Fojanum, Virum integerrimum, cum ſummâ poteſtate Prætorem creant, qui cives tamdiu in officio continuit, quoad Prætorio munere functus eſt. Quo quidem Magiſtratu abeunte, tanta ſeditio in Vrbe eſt orta, quanta nunquam anteà. Sævitum eſt enim non in eos ſolùm, qui ferre poterant arma, verùm etiã in impuberem ætatem, atque imbecilles ſenes, quibus externi quoque hoſtes parcere ob pietatem conſueverunt. Inceſtabantur præterea virgines, ſtuprabantur matronæ; nulla juſtitia, nulla religio, nulla pietas, nulla miſericordia in Vrbe tùm eſſe ſentiebatur. Incenſas faces circumferebant furibundi cives, &, quod ferro exſcindere non poterant, igne cremabant. Evertebantur fundamenta ædium, ne pulſi de-

 ſide-

deriū ullū revertendi haberent. Vidiſſes paſſim abeuntiū cœtus, relictis conjugibus ac liberis, relictis parentibus, relictis penatibus, cum tanto ploratu & gemitu, ut faciem direptæ Vrbis præ ſe ferrent. Movit tandē quoſdā ex Optimatibus, maximè verò Ottonellum, charitas patriæ, qui vocatâ ad concionem eâ Populi parte, quæ ex tot ac tantis malis ſuperfuerat, ſic eſt exorſus: Quouſque tandem, Cives mei, patiemini impiorum gladios in viſcera miſeræ ac calamitoſæ patriæ ſævire? nuſquámne vos movet mæſta ac ſqualida Civitas, quæ continuatis funeribus ad Cœlum uſque ejulatus, & lamentationes mittit? Manat adhuc per vicos ſparſus cruor; vagantur per Vrbem incendia; pulvere ex everſis ædibus caligat aër; nec quiſquam eſt, qui laceratæ patriæ opem ferat. Vnde, quæſo, petat auxilium, ſi quos genuit, quos aluit, quos erudivit, quos honoribus & emolumentis ad dignitatem evexit, viderit in calamitatibus ſuis ſurdos ac ſegnes. O miſeram patriam, & infœlicem! quæ tanto ſudore aluiſti, qui te everterent, non tuerentur; qui diriperent, non conſervarent; qui incenderent, non incendia exſtinguerent. Petétne auxilium à finitimis, qui has ſeditiones alunt, qui diſcordias ſerunt, qui Tyrannidis ſpem quibuſdam civibus proponunt? quò faciliùs poſteà occupare afflictam inteſtino malo Vrbem noſtram poſſint. Aperite, quæſo, tandem oculos veſtros, Cives mei, & quid ratio, non appetitus & am-

ambitio velit, conſiderate. Communem utilitatem privatæ anteferendam eſſe, ſapientes omnes cenſuêre. Hac ratione crevêre Civitates, quæ ampliſſimæ quondam ſunt habitæ. Certabant inter ſe cives benè de patria promereri, poſthabito privato commodo. Hinc Carthago, hinc Athenæ, hinc Lacedæmon, hinc Roma Vrbes quondam potentiſſimæ, incrementum habuêre. Verùm ubi à Brutis, Decijs, à Scipionibus, ab Æmilijs, ad Gracchos, ad Marios, ad Syllas, ad Cæſares, ut de Romanis loquar, ventum eſt, Roma, illa terrarum Domina Gentiúmque caput, breviſſimo tempore peſſimorum civium, & ſua magis, quàm publica commoda metientium, avaritiâ & libidine corruit. Quod quidem fieri neceſſe fuit, cùm in locum continentiæ libido, juſtitiæ avaritia, prudentiæ ignoratio, fortitudinis temeritas ſubierit; quibus vitijs hæc noſtra miſerrima Civitas tamdiu afflictata eſt, ut non Urbis, ſed vaſtæ cujuſdam ſolitudinis faciem habere videatur. Quæ Urbs, quæſo, ab externis hoſtibus capta & direpta tantum unqnam habuit cædis? tantum rapinæ? tantum incendiorum? quantum hæc noſtra patria pluribus annis patitur. Sævitum magis certè eſt hoc inteſtino bello, quàm ſi noſtram Urbem barbaræ Gentes, & immanes cepiſſent. Necantur ibi quovis gravi ſupplicio, qui à civibus ſuperantur; illic conſervantur, qui poſitis armis à victoribus ſupplices vitam orant. Colliduntur hìc ad parietes

rietes infantes, jugulantur impuberes, confodiuntur mulieres, lacerantur ſenes; illic imbelli ætati, & quibus arma natura ipſa negavit, parcitur. Incenduntur hîc, & uſq; ad fundamenta evertuntur ædes; illic direptæ tantùm conſervantur, ut vel civium, vel Coloniarum receptacula ſint. Hîc nullum relictum eſt commune jus, quo civis civem tolerare poſſit; illic vel jus patrium, vel acceſſorium, pro victorum arbitrio relinquitur, quo Civitas in pace regatur. Deterior igitur conditio noſtra eſt, quàm eorum, qui vim externi hoſtis experti ſunt. Adde etiam, quòd hoc æquiore animo ferimus, quàm illud. Ab his enim, quicquid damni infertur, id, quia excogitatum eſt, & ab hoſte evenire ſolet, minùs lædit; ab illis, unde omnia commoda exſpectamus, ſi quid mali accidit, id, quia contra jus fáſque eſt, graviùs exiſtimamus. Plura ſunt, Cives mei, quæ Civitates quondam parvas ad ſummum Imperij culmen evexêre, ſed omnium cauſarum potiſſima charitas patriæ eſt; quam qui habet, religionem ſtatim, fidem, gratiam, vindicationem, pietatem, juſtitiam ac probitatem omnem complectitur. Contrà verò, qui hâc privatus eſt, poſthabitâ omni virtute, fraude, cæde, perfidiâ, largitione, licentiâ uſus, quodvis etiam grande ſcelus, ob immodicam dominandi cupiditatem parvum exiſtimat. Non parcit mæſtæ ac ſqualidæ patriæ, non cognatis, non affinibus, non concivibus, non deniq; ſibi ipſi, adeò impoten-

ter

ter ad Tyrannidem effertur. Alit hic in Civitate diſcordias, res novas ſerit, quibus vel potentes in Populum, vel Optimates in plebem tamdiu concitet, quoad ſe mutuis vulneribus confecerint. Factam tùm demùm ad Tyrannidem viam exiſtimat, ubi neminem in tot ac tantis malis ſupereſſe videt, qui ejus cupiditates poſſit infringere. Plura ſunt hujuſcemodi ingenia in Civitate noſtrâ, quæ nullâ re niſi communi concordiâ exſtingui poſſunt; de quâ, ſi à vobis fieri verbum intellexerint, tanquam rabidi lupi paſſim diffugient, cùm nil ſanguinis habituri ſint, unde ſiccas fauces humectent. Moveat vos tandem charitas patriæ, Cives mei, quæ ſqualida ac gemens, paſſis crinibus, vos rogat, vos obſecrat, ut ſe à manibus impiorum civium legibus & inſtitutis liberetis, útque Magiſtratum aliquem deligatis, cui tota Civitas abſque fraude & dolo ſaluberrimè obtemperet. Dicentem tota concio ſubſecuta eſt. Duos itaque Præfectos cum ſummâ poteſtate, qui ſemeſtri imperio fungerentur, creare inſtituunt. Delecti omnium ſuffragijs, qui tùm primi in Civitate habebantur, Ottonellus Zanicallus, à quo oratio de communi concordiâ habita eſt, & Pinamons Bonacolſus, vir callidus ac potentiæ cupidus. Ij primò oblivionem injuriarum civibus propoſuêre; mox legibus & inſtitutis ita æquitatem inter cives revocârunt, ac ſi diſcordiâ nunquam anteà laboratum eſſet. Creatur eodem anno Prætor Urbis Alber-

tus Scala, Vir juſtiſſimus, à quo tantum emolumenti accepit Civitas, ut eidem in ſequentem annum Præturæ munus prorogaverint. Hyeme, quæ antecedentem æſtatem inſecuta eſt, tanta fuit vis frigoris in totâ Europâ, ut paſſim arbores diriguerint. Eodem anno redemptum eſt etiam Oppidum Marcariæ à Cinello Comite, cui ob decem millia librarum argenti in pignus ceſſerat, quod ſtatim direptum & everſum eſt, ne ampliùs receptaculum eſſet exulibus ad incurſiones in agrum Mantuanum faciendas. Quieſcente jam Civitate, quæ ob diutinas ſeditiones fatigata erat, Pinamons dominandi cupidus, veniſſe tempus occupandæ Dominationis ratus, quòd Populum, tot malis feſſum, haud animadverſurum, quid moliretur, exiſtimabat, collegam ſuum Ottonellum, quem obſtare poſſe conatibus ſuis videbat, fraude interimere conſtituit. Is tùm fortè domi cum uxore pernoctabat. Satis enim erat, ſi ex duobus Præfectis alter Prætorium obſervaret. Mittit igitur properè, qui noctu Ottonellum ad ſe vocent, quòd gravi de re ſit conſultandum. Tùm vir bonus, equum conſcendens, nullam fraudem ſubeſſe ratus, cum ſervo tantùm ad ædes Magiſtratuum contendens, inter duas portas ex equo à ſervis Pinamontis tractus jugulatur, ejúſque cadaver, unâ cum equis & ſervo, nequid unquam indicio recognoſci poſſet, in ſcrobem, ad id effoſſum, retruditur. Denuò verò, ad obtegendum facinus, ſervum

miſit,

miſit, qui Ottonellum vocaret. Cui ab uxore reſponſum: Ottonellum jam diu Collegam adijſſe. Tùm Pinamons totam curiam clamore replens, ac interceptum Collegam ſuum fraude inimicorum dictitans, Optimates ad ſe properè vocat, ſimulato ob caſum Collegæ metu. Flere tùm ille, ac lamentari amici caſum, identidem unumquemque adhortatus, ut tanti facinoris autorem perquirerent. Magno ea res terrori Civitati fuit, tanto præſertim Viro, támque Reipublicæ amantiſſimo è medio ſublato. Quæſitum diu fruſtrà eſt magno ſtudio, ſolicitatis etiam precio delatoribus, à quo potiſſimùm tantus Vir interceptus eſſet. Obliteratâ poſt aliquot dies, ut vulgò fit, tanti ſceleris memoriâ, Pinamons, ſublato eo, quem obſtare ſuis conatibus exiſtimabat, unumquemque ex Nobilitate, nunc benignè appellando, nunc prenſando, nunc comiter ad cœnam invitando, adeò ſibi benevolum reddidit, ut inito ſuffragio, nemine contradicente, tertiùm Præfectus ſit deſignatus. Quo tempore non Optimates modò, verùm etiam plebem adeò muneribus & donis delinivit, ut, exactâ Præfecturâ, Caput Populi ab omnibus ſit pronunciatus. Erat enim hic Magiſtratus ſine provocatione, & in omnes vitæ ac necis poteſtatem habebat. Imperare tùm demùm aſperè & impotenter cœpit, jactis jam magnâ ex parte tyrannicis fundamentis; non jam rogare Optimates, non Populo blandiri, cùm ex ejus arbitrio pen-

derent omnia. Venit tùm demùm tanti mali ſenſus ad omnes, cùm jam nullum ſupereſſet, amiſsâ libertate, remedium. Ad quam repetendam retardatæ ſunt nobiliſſimæ Familiæ quædam ob Præturam Joannis Bonacolſi, qui Magiſtratu apud Veronenſes tantùm valebat, ut quoquo vellet, Populum illum facilè impulſurus videretur, interfectis maximè conjuratis, à quibus Maſtinus Scala Veronenſium Dominus & Antonius Nogarola, ejus factionem ſecutus, medio foro ſunt oppreſſi. Demùm verò Arlotti, Caſalodi, Groſſolani, Agnelli, à Pinamonte tyrannicè læſi, Kalendis Novembris anno ſexto & ſeptuageſimo ſupra milleſimũ & ducenteſimũ, ſumptis armis, diſcurrentes per Vrbẽ ac identidem Populum ad libertatẽ armis vindicandã vocantes, ad pontem Leonam compoſito agmine conſtitêre. Excivit & Pinamons ſuos ad arma ſonitu ejus campanæ, quâ Populus ad arma concitatur. Compoſitis itaque pro tempore in foro aciebus, paulatim in conjuratos tendit. Commiſſum eſt utrinque magnum animis prælium, in quo plures, dum hinc pro libertate, hinc pro tyrannide obſtinatè dimicaretur, cecidêre. Stetit tandem victoria pro Pinamonte, Caſalodis, conjurationis Principibus, in fugam verſis. Capti tùm multi, & ad Pinamontem retracti, varijs cruciatibus necantur, ut cæteris exemplo eſſent, ne quid moliri in Tyrannum auderent. Firmavit tùm pedem Pinamons, incuſſo omnibus ob recentem victoriam

riam metu; delectiſque ex toto Populo ſexcentis ſatellitibus, qui cuſtodiam corporis ſui haberent. Tùm renovare cenſum in Vrbe inſtituit, rem quidem popularibus gratam, quò ditiores & Optimates, minùs benigno vultu ejus tyrannidem inſpicientes, frequenti collatione pecuniarum, aut ex Vrbe pelleret, aut ad ſummam inopiam redigeret. Miſit etiam quoſdam ex Nobilitate in exilium, eiſdémque circumſcripſit habitandi locum; quo mutato capitales repentè habebat. Confirmatâ demum poſt multos exactos dominatione, cùm neminem ampliùs ſuſpectum haberet, mitiùs ſeſe agere cœpit, juſtitiâ & æquitate in omnes utens. Converſus deinde ad recuperanda Caſtella, quæ potentes quondam occupaverant, ab oppugnatione Gonzagæ, defendentibus Caſalodis, conſtitit; quam poſteà prodeuntibus exulibus, qui cùm Caſalodis ſenſerant, pactis in patriam liberum reditum, ſine ullo marte recepit. Eodem anno Brixiani, augendæ ditionis cupidi, laceſſere Mantuanos incurſionibus contra jus fáſque ſunt auſi, nullâ causâ ſi non verâ ſaltem fictâ propoſitâ. Hâc tàm inſigni injuriâ Mantuani permoti, initâ cum Veronenſibus ſocietate, qui potentiam Brixianorum verebantur, Pinamonte Duce eo proficiſcuntur, quò hoſtem prædabundum veniſſe intellexerat. Eo non invento, quòd in intima refugerat, cognito per exploratores Mantuanorum adventu, hoſtilem ipſi agrum ingreſſi, cùm neminem

minem obvium haberent, tantum ex incenſis villis, abductiſque pecoribus terroris Brixianis incuſsêre, ut ſtatim Legatos ad Pinamontem mitterent, qui veniam, commemoratâ vetere amicitiâ, deprecarentur, quique exponerent, Brixianos paratos ſatisfacere pro illatâ injuriâ, ſi ſpem pacis ſubeſſe vidiſſent. Non deerat animus Pinamonti hoſtes graviore bello proſequi, ni eodem tempore nunciatum fuiſſet, Vicentinos ac Patavinos conjunctis copijs Coloniam Caſtellum Veronenſium obſidere. Data itaque ob eandem rem petentibus pax eſt. Motis deinde repentè caſtris, priuſquam Ligniacum perveniſſent, intelligunt, Coloniam ab hoſtibus captam ac direptam fuiſſe, circumlaturóſque inde hoſtes arma ad reliqua Caſtella, numero copiarum ſuperiores; cùm his enim Tarviſini multi ac Ferrarienſes militabant. Satiùs ergò Veronenſibus viſum eſt, pacem quâvis conditione petere, quàm fortunam belli tentare, reclamante fruſtrà Pinamonte, id nequaquam faciendum, quòd hoſtibus numero ſuperioribus robore militum pares omninò eſſe poſſent. At Vicentini ac Patavini cepiſſe Coloniam contenti, pacem Veronenſibus haud gravatè dedêre. Reverſus deinde ad Vrbem Pinamons, máximè annixus eſt, ne Civitas diluvio, quo potiſſimùm eo anno Europa vexata eſt, ſubmergeretur. Verùm plus potuit imbrium vis, quàm humana providentia. Eò enim magnitudinis Padus excrevit, ut non Vrbem modò,

dò, ſed etiam magnam partem agrorum inundaverit; tractis paſſim, ut fit, hominibus, pecoribus ac villis, exſtinctiſque ſitu ac mucore circumquaque ſatis. Quâ ex re poſteà magna annonæ caritas ſubſecuta eſt. Renovata eodem anno aliquantulùm domi ſeditio eſt, quam Pinamons facile exſtinxit, pulsâ Riparum Familiâ, à qua initium perturbandi omnia ortum erat. Hâc opportunitate Vicentini, & Patavini moti, magno comparato exercitu in Veronenſium ac Mantuanorum fines pervenerant, bellum ex eventu ſumpturi. Verùm ſedatâ præter ſpem Civitate, renovatóque cum Veronenſibus ac Mantuanis fœdere, nil hoſtile committentes, abjêre. Quieta deinde tùm à domeſticâ, tùm ab externâ vi per annos duodecim Civitas magnam jacturam ex morte Pinamontis ſenſit; à quo etſi aſperè aliquantulùm in principio dominationis imperatum eſt confirmandi imperij causâ, tamen poſtea tantâ æquitate Civitas per annos duodeviginti ab eodem gubernata eſt, ut eum omnes, maximè verò matronæ, ut patriæ Parentem luxerint. Majus etiam hominis deſiderium fecit Bardelonus, qui in demortui locum, quòd ex eâdem Familiâ eſſet, ſucceſſit. Vir erat (ut ſcriptum legi) callidiſſimi ingenij, ſed ob avaritiam & crudelitatem odio omnibus habebatur. Fratrem habuit agnomento Tainum, qui ei ſævitiâ & cupiditate nequaquam diſpar habebatur. Quinto, ex quo acceperat dominatum, anno ſummâ cum reli-

religione Sanguis ille Chriſti oſtenditur, quem ſcripſimus tempore Beatricis apud Sacellum Divi Andreæ inventum. Quo per Vrbem piè ac ſanctè delato, & multi cœci videndi vim recepêre, & claudi rectè ambulârunt, ac leucophantici liberati malâ valetudine ſunt. Additur huic loco majus, quàm credi poſſit, miraculum; ex amphorâ vini, in Templum delatâ, bibiſſe decem millia hominum, nec minus inde poſt ſolenne exhauſtum, quàm antè impoſitum fuerat. Sequenti anno Boteſella Bonacolſus, pertœſus neceſſarij ſui Bardeloni avaritiam & ignaviam; quòd id dedecus recidere in Familiam videbat, occupatâ dominatione eundem cum fratre Taino vertere ſolum coëgit. Patavij Bardelonus, Ferrariæ Tainus poſt longum exilium mortui. Nil à Boteſellâ memoriâ dignum geſtum reperio novem annis, quibus imperavit, præter ædificatam ſuo juſſu Turrim cum Ædibus, apud quam ætate noſtrâ publicè ſal venditur. Majorem eam fuiſſe haud abnuerim, quamvis nunc magnâ ex parte demolita, quarundam ædium privatarum magnificentiam non ſuperet. Mortuo Boteſellâ, Viro quidem juſto ac civibus percaro, Paſſarinus ejus frater, volente populo, Civitatis curam ſuſcepit, adjuvante Marchione Eſtenſi, cujus ſororem in uxorem duxerat. Hunc Paſſarinus haud ita multò poſt acceptum dominatum, Mantuano milite contra Legatum Eccleſiæ, à quo propter occupatam Argentam acerrimè oppugnabatur,

tur, egregiè tutatus eſt. Paſſarinus ſiquidem Vir fuit omni gradu ætatis aſpectu gratus, benignus in amicos, comis in ſodales, lenis in delinquentes. Nobilitatem plus, quàm dici poſſet, amavit ſemper. Hanc conſulebat; hanc frequenter in convivium adhibebat; cum hac Magiſtratus & Dignitates partiebatur; cognatos dilexit & affines, maximè verò Alouiſium Gonzagam, hominem quidem domi potentem ac nobilem, nec non fœlicem trium clariſſimorum liberorum prole, qui & belli & pacis artibus neminem in Civitate parem habebant. Major natu Guido, ſecundus Philippinus, Feltrinus tertius eſt habitus. Ductârunt hi perſæpè ordines ſub Paſſarino eo bello, quo Mutinam cepit, & Bononienſes ingenti clade ad Panigale ſuperavit. Fœlix prorsùs, ni filios petulantes ac ſuperbos habuiſſet. Magna erat conſuetudo Philippini Gonzagæ cum Franciſco Paſſarini filio; tertius his comes Albertus Saviola, adoleſcens egregius, perſæpè adhibebatur. Horum ſtudia, quoties à bello externo vacabant, ad venationes, ad equeſtres ludos reſpiciebant. Interdum etiam choreæ, cantui, procationi operam dabant. Hinc oritur inter Franciſcum & Philippinum ob amoris ſuſpicionem ſimultas non parva, exiſtimante Franciſco ejus uxorem à Philippino amore peti. Obtegi diutiùs non potuit odium. Rogante enim Philippino, quid cauſæ eſſet, quòd ſalutatus non reſponderet. Incenſus irâ Franciſcus, hominem

T con-

convicijs ac probris ſuperbè nimiùm primò lacerat; ſubjunxit poſtremò, ſe vi ſtupraturum ejus uxorem, ipſo etiam vidente, quandoquidem cognoſceret uxorem ſuam ab eo procatione peti. Tùm Philippinus, cognitâ Franciſci ob dominatum patris potentiâ, paucis primò innocentiam ſuam excuſavit, mox ubi id admitti non vidit, cum Alberto abiens, Deos hominesque teſtatus, ſe nunquam tale facinus, quale ei objiceretur, excogitaſſe, nedum commiſiſſe. Stomachari magis ac magis cœpit, quòd uxori ſuæ palam ob talionem minari ſtuprum ſenſiſſet. Tùm Albertus, audax ac manu promptus: Quid, inquit, Philippine moraris; me adjutore, ſi audes, hunc ſceleratum obtruncabis. Quieſcere hominem jubens, ac in aliud tempus peropportunum differre, ad fratrem Guidonem contendit, cujus conſilio in rebus omnibus utebatur. Erat enim homo non minùs ingenio ad res agendas, quàm manu ſtrenuus. Cognitâ re, etſi ſtatim commotus ob injuriam eſt, ſuppreſsâ ad tempus irâ, fratrem admonet, ut nihil ſe inſcio moliatur. Interim ſe excogitaturum pollicitus eſt, qua ratione tantam contumeliam in autorem retrudat. Philippinus fratri benè admonenti obtemperans, Alberto comite Marmirolum fundum paternum profectus, venationibus ac ludis intentus, fratris mandata exſpectabat, differens iram, quâ maximè incenſus erat, ad commodum vindictæ tempus. At Guido, qui non miùs irâ æſtuabat, ami-

amicis quibuſdam clàm ad ſe noctu vocatis, probra à Franciſco in fratrem jactata commemorat, rogitando, qualem eum futurum Dominum exiſtiment, habitâ peccandi impunitate, cùm privatus adhuc vivente patre, vitam ſe civibus ablaturum, eorúmque uxores ſtupraturum, palàm audeat dicere. Id ſi minùs credant, ejus ſuperbum inceſſum, aut trucem vultum inſpiciant, quo cunctis exitium minari videretur. Se quidem ob eam rem eos vocâſſe, ut aut his adjuvantibus, pulſo Tyranno, illatam ulciſcatur injuriam, patriámque ab imminenti peſte liberet, aut, ſi id minùs per eos liceat, in exilium voluntarium potiùs cum miſero patre ærumnoſiſque fratribus proficiſci inſtituiſſe, quàm vultum Tyranni, patriâ fruſtra ingemiſcente, inſpiciat; hujus rei eos commonefacere voluiſſe, ne ſe deſertos poſtea ab amico prædicarent. Admirati omnes tàm audax Franciſci ingenium, ſimúlque amici injuriâ moti, ſucclamârunt Paſſarinum cum ſtirpe de medio tollendum, priuſquam ejus arbor, mala præſertim, ſparſis paſſim radicibus, invaleſcat, cujus poſteà ramos, ut umbratiles & frugibus nocuos, ſi creverint, in immenſum tolerare ſit neceſſe. Collocuti inter ſe varijs ſententijs, quâ ratione pelli Tyrannus poſſet, datâ die, domos quiſque ſuas ad ſolicitandos armandóſque clientes & amicos rediêre. At Guido, tracto pollicitationibus & præmijs in ſententiam ſuam cuſtode ejus portæ, quâ nunc in ſuburbia Portûs itur, Mar-

mirolum, ſimulatâ metendi diligentiâ, (tùm enim matura jam ſeges erat) proficiſcitur. Philippino dat negotium, ut quem maximum numerum ruſticorum poteſt meſſorum nomine comparet, ne ſenſus ullus ejus rei ad Tyrannum perveniat. Ipſe interim Veronam profectus, agit cum Guilelmo Caſtelbarcho, quo cum affinitate conjunctus erat, ut Canem Scalam, Veronæ Dominum, favere, traditis militibus ſubminiſtratóque commeatu, parti ſuæ impellat; quo beneficio devinctus, perpetuò ejus mandatis ſit obtemperaturus. Non diſplicuit Cani ea res; homini ad ſe vocato, quæ petierat, ac majora alia, pollicetur. Inito inter ſe fœdere, peditibus octingentis ac trecentis equitibus acceptis, properè noctu Marmirolum revertitur, maturandum ratus, priuſquam per indicem Paſſarino res palàm fieret. Sequenti die mane, decimo ſexto Kalendas Auguſti, præmiſſo cum agreſtibus Philippino, qui patrem & amicos de ejus adventu certiores faceret, diverſis ipſe ad Vrbem tramitibus ſubſequitur, dato loco, quo quiſque ſub ſignis eodem tempore ad imperium eſſet. Portam deinde ingreſſus, admittente cuſtode, ſtructis aciebus, per Vrbem magno clamore diffunditur. Tùm Philippinus, ſumptis armis, Gonzagæ nomen identidem cum clamore repetens, forum cum ſuis occupare annixus, Paſſarino ad tumultum excito, apud Prætorium, ubi jus redditur, fit obviàm. Hunc verò Albertus Saviola inter paucos

con-

conſpicatus, addénſque magno clamore, & pro ſcelere nequiſſimi filij patrem luere pœnas debere, adactóque calcaribus equo medium enſe transfigit; arbitratus id, quod erat, Paſſarino mortuo, cæteros facilè Gonziacis ceſſuros. Acceptò tam gravi vulnere, Paſſarinus, circumacto ad Curiam equo, inſequentium ſtrepitu admodum terrefacto, tantâ vi per oſtium portæ infertur, ut illiſo capite moribundus ceciderit. Hanc ob rem etiam ætate noſtrâ hoc obſervari à Gonziacis Principibus dicunt, ut, his abeuntibus, tota pateat curiæ janua, quo ſe faciliùs, ſi quid tumultûs excitaretur, recipere ad domeſticos poſſent. Paſſarino mortuo vertêre ſtatim terga, qui ejus causâ arma ſumpſerant. Sævitum eſſet in eos maximè, qui, Bonacolſis imperantibus, plurimùm in Civitate licentiâ poterant, ni Alouiſius, clementiſſimi ingenij Vir, per Vrbem diſcurrens, parcendum civibus, ſucclamâſſet. Edicto etiam imperavit, ne quis ſuorum extra portam fugientes perſequeretur; arbitratus eâ ratione dari locum iræ, ſi tutò fugere liceret. Nulla porta erat, per quam fugientium agmen non erumperet. Trajecêre etiam multi lintribus Lacum, in agrum Veronenſem fugientes. Non tamen uſque adeò temperatum iræ eſt, quin paſſim plerique interficerentur, renovatâ memoriâ antiquarum ſimultatum. Captum Franciſcum interfici Alouiſius vetuit, quem quidem unà cum paucis ejuſdem factionis ad Caſtellare in carce-

rem retruſit. Eorum ædes, qui aufugerant, militibus diripiendæ conceſſæ ſunt, reſervatâ Alouiſio integrâ Curiâ, ne quid ab eo, quod dominatui congrueret, deſideraretur.

LIBER TERTIUS.

Pulſis tandem ob impotentiam Bonacolſis, qui annis tribus & quinquaginta variè Vrbi imperaverant, Alouiſius Gonzaga, autoritate & gratiâ apud cives ſuos plurimùm pollens, duodetrigeſimo anno ſupra trecenteſimum & milleſimum Principatum adeptus eſt. Sumptâ deinde curâ ordinandæ Reipublicæ, primùm cum finitimis pacem renovavit, ne qua externa vis recentem Civitatis ſtatum perturbaret. Magiſtratus deinde delegit, qui & jura redderent, & ſtatuta Civitatis obſervari cogerent. De annonâ, quòd inſequens annus caritatem minari videretur, maximam curam ſuſcepit, redacto in publicum horreum, quicquid frumenti emi aliunde potuit. Populo Magiſtratus ſuos ac proventus integros dimiſit. Filios, ad curam Reipublicæ ſuſceptos, abſtinentes ſemper & modeſtos eſſe voluit, dictitans illis non plus pro libidine licere, quàm cuivis uni è Populo. Liberalis erat in benè de ſe ac Republicâ meritos; benignus alloquio; in delinquentes, quantùm per æquitatem licebat, miſericordiâ movebatur. His artibus brevi effecit, ut de ejus ſalute cura ab omnibus haberetur. Filiorum ſtudia hæc fuere: Guido

major

major natu liberalis ac magnificus, prudens ſolérſque eſt habitus, laboravit tamen nimiâ in mulieres libidine. Hic tres ex legitimâ uxore ſuſcepit filios: Vgolinum, belli ac pacis artibus præclarum: Ludovicum ſimulati ante dominatum ingenij; hic poſt adeptum Principatum, quantùm animo & induſtriâ valeret, perfacilè omnibus oſtendit: tertium Franciſcum, otio & quiete contentum. At Philippinus, legitimâ ſtirpe carens, venationibus & aucupijs deditus, ſociorum & æqualium conſuetudine delectabatur. Hic, etſi ſecundus haberetur, non minoris erat apud cives autoritate, quàm Guido ipſe. Feltrinus tertius, omiſsâ imperandi ambitione, munire Vrbem foſsâ ac muro, ubi opus eſſe cernebat, annitebatur, maximè verò eam partem, quam Lacus abluit, mœnibus omninò carentem, unde lintribus ire eò, redíréque noctu ac die cuivis pro arbitrio licebat. Hâc ratione, & ab externo hoſte, & ab exulibus, qui reditum in patriam quotidiè moliebantur, Vrbem tutiorem reddidit. Soliciti inde cognomen apud ſuos adeptus eſt, quòd ſummâ curâ ac diligentiâ, quæ agenda ſuſceperat perficere conabatur. Quatuor hic habuit filios, Petrum, Guilielmum, Adoardum; hos omnes magnitudine animi & conſilio anteibat. Equeſtris Ordinis adoleſcens Guido junior. Hi ſunt, qui ex primâ uxore Alouiſij uſque ad ſecundum gradum pervenêre. Ex ſecundâ item tres habuit filios, Corradum, Albertum, Federicum.

ricum. Poſtremò aliquot pòſt annos, hâc quoque mortuâ, tertiam ex Gente Malaſpinâ, Familiâ vetuſtâ ac nobili, duxit, ex quâ Azonem, Jacobum, Joannem, filios ſuſcepit. Fœlix quidem fuit Alouiſius, prole filiorum ac nepotum: fœlicior etiam robore corporis & bonâ valetudine. Eodem enim tempore, quo tertiam duxit, Corradi filij ac Vgolini nepotis ex Guidone filio celebratæ ſunt magno apparatu nuptiæ; quorum alter Virginem Veronenſem, Maſtini Scalæ ſororem, alter Papienſem ex Gente Becariâ duxit uxorem. Ad celebrandas has nuptias magno ſumptu apparatas multi Principes ac Nobiles cum donis & muneribus undequaque venêre, maximè verò Maſtinus Scala, Marchio Eſtenſis, Mafeus Vicecomes, Jacobus Carraria, ſuarum Civitatum Domini. Enarrari vix poſſet, quot cyclades tùm ſericæ, tùm laneæ, quot argentea atque aurea vaſa, non ab his ſolùm, verùm etiam à civibus Mantuanis dono novis nuptis ſint data. Viciſſim verò nemo ex tot hoſpitibus ſine munere ab Alouiſio diſceſſit. Ad centum enim & viginti equos non ignobiles dediſſe dono fertur, ut de aureis poculis reticeam, quibus præcipuè omnium munerum magnificentiam ſuperavit. Diebus octo, quibus hæ nuptiæ magnâ impensâ celebratæ ſunt, cuivis advenienti nec cibus quidem lautus denegatus eſt. Quadringenti adfuêre, qui partim tibijs, partim tubis canerent. Adfuêre & mimi, qui riſum, ut in nuptijs fieri conſue-

ſuevit, moverent. Varij celebrati ſunt ludi, propoſitis his, qui viciſſent, ingentibus præmijs. Delecti, qui ſingulari certamine collatis haſtis concurrerent. Ludi item militares magno conatu ſunt editi. Quibus peractis, inſpiciente populo, Alouiſius & ejus filij nepotéſque in Equeſtrem Ordinem à Marchione Eſtenſi, Maſtino Scalâ, Luchino Vicecomite adſciſcuntur. Additi his Cives aliquot Philippinus Abbas, Torellus ex Gente Torellâ, Corradinus Caprianus, Petrozanus Cremaſcus, Paulus Mirandula, Viri & genere & factis clari. Celebratis nuptijs, actiſque unicuique pro meritis, qui ad eas celebrandas venerant, gratijs, Alouiſius Regium ſuæ ditionis Civitatem proficiſcitur, Philippino filio ſpontè deditum, viſurus, ut optimum Principem decet, quibus legibus, quâve æquitate inter ſe Regienſes uterentur. Immutatis deinde quibuſdam ad utilitatem Civitatis, confirmatiſque omnium animis ad ſervandam erga Mantuanos Principes fidem, ad Caſale majus, atque inde Platinam, meum natale ſolum, Caſtella tùm ejus imperio ſubjecta, proficiſcitur. Ibi dies aliquot ad confirmanda Arcium præſidia immoratus, Olium traijciens, Canetum, Aſolam, Monteclarum, Calcinatum reviſit, magnâ obviàm effusâ ubique multitudine ejus adventum gratulantium. Cognitis demùm iſtorum Opidorum ſtatutis, confirmatiſque, quæ è rebus publicis eorum confirmanda eſſe videbantur, Mantuam cum ſpecie

juſti Triumphi iter intendit. Obviàm progreſſi Cives uſque ad quintum lapidem, ut Patriæ Parentem ſalutent, ac fundatorem quietis; præſertim, cùm nec foris bellum, nec domi ſeditio ulla ampliùs ejus operâ ſentiretur. Converſus deinde ad ornandam Civitatem, ædificia publica, ac ſtrata viarum vetuſtate conſumpta reficit. Pacem redolebant omnia. Non deerat mercatori lucrum, non popularibus, unde victum lucrarentur, adeò ſplendidè ac magnificè vivebant Alouiſij filij; maximè verò Philippinus, qui eâ tempeſtate duo hominũ monſtra domi alebat, quorum alter duobus cubitis humanã excedebat magnitudinẽ; alter verò vix ſemiſſiũ quatuor habebatur. Guilielmonus Ligur giganteus ille appellabatur, cujus longitudo ſex erat cubitorum. Omnia rectè cum magnitudine congruebant membra: teretia crura, quadrata brachia, latum pectus, honeſtum caput, frontem non magis torvam quàm benignam vidiſſes; non erat blæſus in inceſſu, ut plerique magni eſſe conſuevêre, non ſuſtinentibus tantam molem cruribus. Cibi adeò capax habebatur, ut alimenta trium virorum ſolus comederet; nec immeritò, cùm ſolus perſæpè congredi cum tribus quovis certamine ſit auſus; eóſque conſtanter vicerit. Laceſſitus convicio à milite quodam in foro, hominem tantâ vi pede percuſſit, ut morienti ſimilem reddiderit; mox eundem, quod mirum videri poteſt, cingulo captum, ſuper tectum quoddam, à terra

cubitos octo diſtans, projecit. Hujus egregiâ operâ in bello Vgolinus perſæpè eſt uſus. At pumilio ille, quem ſemiſſium quatuor vix fuiſſe ſcriptum legimus, adeò brevis erat,ut propter crurum brevitatem ſedere in equo vix poſſet. Frambaldus is eſt appellatus; cantu, mimicis jocis, urbanitate, munditiâ, hero ſuo mirè gratus. Et ne ſexui muliebri prodigioſam naturam eodem tempore defuiſſe exiſtimes, addam, quod de Riziâ Mulinariâ ſcriptum apud idoneum Autorem legi. Exceſſit & illa magnitudinem muliebrem, cùm ejus altitudo qninque fermè cubitorum eſſet. Omnia correſpondebant proceritati præter caput magnum & informe; geſtabat humeris ex totâ Vrbe ad piſtrinum, filans etiam, quaſi nuſquam tanto pondere premeretur, ſextaria ſex purgati tritici. Invitata ad potum inter eundum tentandi roboris causâ, nuſquam depoſito onere, perſæpè bibebat. Eò poſteà fortitudinis crevit, ut decem ſextaria portare ſit auſa. Hæc etſi parva ſunt, tamen tanquam prodigia quædam ſcribenda putavi, quæ & admirationem pariter & voluptatem legentibus præberent. Quietâ per annos tredecim ab omni bello Civitate, Philippinus, bellicæ gloriæ cupidus, Ludovici Regis Hungariæ ad vindicandam mortem Andreæ fratris Apuliæ Regis proditione ac dolo interempti militiam ſecutus eſt. Quo in bello, adeò virtute & gratiâ enituit, ut in ſe unum copiarum omnium oculos atque ora converte-

ret. Nil enim eâ expeditione propemodũ egregiè ac prudenter factum eſt,cujus non ipſe vel excogitator,vel autor fuerit. Bello nondum perfecto, in patriam, ob bellum à finitimis illatum, à patre revocatur. Hujus belli hanc fuiſſe cauſam reperio. Iſabella, Luchini Vicecomitis uxor, amore Vgolini Gonzagæ Equitis pulcherrimi capta, dum ejus nuptiæ Mediolani celebrarentur, voviſſe ſe ſimulans ituram Venetias ad ſolemne ſacrum Aſcenſionis, impetrat à marito, ut id ſibi facere liceat. Comparato itaque egregio mulierum ac virorum comitatu, Mantuam pervenit, Alouiſio, harum rerum ignaro, obviàm officij causâ prodeunte. Suſcepta comiter ac lautè, Vgolinum noctu ad ſe in cubiculum vocat; ejus videndi gratiâ ſe illud iter ſuſcepiſſe oſtendit; rogat, ne ſe amantem ſpernat, néve in viâ ſecum comes ire recuſet. Verſare tùm animo varia Juvenis cœpit: urgebat amor, urgebant lacrymæ interdicendum ab ore mulieris obortæ; obſtabat tamen pudor, & imminens ob commiſſum facinus, ac violata hoſpitij jura, patriæ ac Parenti periculum. Pervicit tandem amor, ut & cum muliere pernoctaret, & ſe iturum, ſi per Patrem liceret, quò ipſa vellet, promitteret. Vbi illuxit, aſcito in ſocietatem Vgolino, non abnuente patre, harum rerum maximè ignaro, Venetias contendit. In itinere eodem ſemper cubiculo noctu ſunt uſi, &, ne res ob invidiam à matronis, quæ Iſabellam comitabantur, palàm fieret, eiſ-

dem

dem poteſtas facta, ut quem vellent, amatorem deligerent, quocum pro arbitrio noctu cubarent. Peracto ſolenni, poſt aliquot dies, ſimulatâ religione, quo longior mora ad explendam libidinem ſubeſſet, eodem itinere, quo profecta, Mantuam, atque inde Mediolanum, relicto non ſine lacrymis & gemitu Vgolino, tandem revertitur. Accidit tùm Luchino, ut vulgò ſolet; corruptam enim adulterio uxorem ultimus ſemper, qui reſciſcat, maritus eſt. At Maſtinus Scala, odio propè exitiali cum Gonziacis contendens, criminandi eos apud omnes occaſionem nactus, rem omnem Luchino per indicem aperit, inceditque eum, ut armis pœnas ex adultero repetat. Id, ut fieri commodiùs poſſit, iturum ſe quoque ad id bellum omni conatu oſtendit, ſolicitaturúſque Marchionem Ferrarienſem, jam pridem Mantuanis infenſum, ut ſumptis armis eodem tempore eos ab eâ parte, quâ ad Ferrarienſes vergunt, adoriatur. Scire ſe affirmat, eos paulò antè ad dominatum aſſumptos, ne momento quidem temporis tantam belli molem paſſuros, tribus maximè exercitibus, eodem tempore improviſos, & nil tale metuentes, adorientibus. Commotus ad tale nuncium Luchinus, expreſsâ re ab ancillis tormentis & cruciatu, uxorem ſtatim in carcerem conijcit; miſſiſque Oratoribus ad Maſtinum & Marchionem Ferrarienſem, eos adhortatur, ut paribus copijs, communique impensâ, bellum unà ſecum eodem tempore

 con-

contra Mantuanos, ſancti connubij perfidos violatores, ſuſcipiant; pactus, ut quidquid agri ad Veronenſes vergeret, id Veronenſium, quicquid ad Ferrarienſes, Ferrarienſium; quicquid verò ad Cremonenſes, ſi viciſſent, ſui ipſius eſſet, direpturi omninò Vrbem atq; incenſuri, ut quemadmodum Troja quondam ob adulterium deleta, ſic ſuâ ætate Mantua everſa omnibus exemplo eſſet, ne tale aliquid contra hoſpitij ac connubij jura conari auderent. Ictis inter ſe fœderibus, ac jurejurando confirmatis, diem dicunt, quâ quiſque die cum ſuis copijs adſit. Alouiſius interim, haud ſatis certus, quorſum tanti apparatus tenderent, revocato, ut diximus è Regno Philippino, conſcriptis, quos potuit, militibus, intentus eventum rei exſpectabat. Futurum bellum, & cruentum, indicare viſus eſt prodigioſus in celebritate Sancti Pauli terræmotus, quo multa paſſim tecta cum hominum ac pecorum interitu corruêre. Ad placandam Dei iram Alouiſius octo dierum ſupplicationes decrevit. Multa prætereà Divæ Mariæ vovit, ſi Rempublicam ſalvam præſtitiſſet. Ingreſſi tandem hoſtes trifariàm Mantuanum agrum nonis Aprilis, longè ac latè omnia priùs populati, Seralium à tribus lateribus terrâ ac flumine oppugnare ſunt adorti; arbitrati id, quod erat, expugnato eo, veluti Populi Mantuani horreo, Vrbem facilè ad deditionem fame compelli poſſe. Ad Burgum fortem Luchinus caſtra poſuit; appulſis etiam ad terram navibus,

quò faciliùs Caſtellum expugnaret. Ad Governolum conſederat Marchio Ferrarienſis; Maſtinus verò, qui tantam belli molem concitaverat, Curtatonum magno conatu oppugnare aggreditur. Hæ copiæ ad quindecim millia hominum fuiſſe referuntur, præter navales, quas ad quatuor millia fuiſſe crediderim, eorum maximè, qui in terram ad res agendas exponi poterant. Perculſa metu, tanto bello exorto, Civitas ad Alouiſium concurrit, precatum, ut periclitanti patriæ opem ferat. Vidiſſes paſſim agmina ruſticorum cum pecoribus in Vrbem migrantium. Ex his ſciſcitari unuſquiſque, qui belli autores, quid peterent, quâ laceſſiti injuriâ arma cepiſſent? Reſpondêre illi, ſe nil aliud certi habere, quàm quod omnia cæde, rapinis, incendijs replerentur; nemini adhuc datam facultatem colligendi ſe ex tàm ſubito repentinóque hoſtium incurſu. Excitus tanto tumultu Alouiſius, ſumptis armis, in forum ſeſe comitantibus filijs proripiens, obvium quemque ad arma capienda adhortatur. Alia deinde ſuper aliam denunciatâ incurſione, cùm trifariàm in Mantuanum agrum procurſum eſſet, cognitâque ab his, qui in præſidijs Arcium erant, hoſtium multitudine, & qui Duces, quarúmve Civitatum, tanta deſperatio repentè omnibus injecta, ut paſſim mulierum voces ſint auditæ, Reipublicæ caſum & interitum complorantium. De tuendâ patriâ nulla mentio, cùm Deorum ope à tanto bello liberari ſe vix poſſe crederent,

Tùm

Tùm Alouiſius, ægrè retentis his, quos pavor & trepidatio in forum traxerat. Enimverò, inquit, Cives, longè pejor noſtra conditio foret, quàm eorum, qui Vrbes antea incoluerunt, ſi ob recens illatum bellum, quantumvis grave, ſtatim deſtitueremur animo. Congregatos quondam homines per agros paſſim ſparſos in unam Civitatem audiviſſe me memini, ut & alter alterius commodis inſerviret, & reſiſti laceſſentibus faciliùs poſſet, omnium viribus in unum collatis. Verùm vos adeò conſternatos hâc unâ denunciatione belli video, ut & publicæ & privatæ commoditatis nil vobis in mentem veniat. Non incoleremus nunc hanc vetuſtiſſimam Civitatem, ſi Majores noſtri illata bella ob timiditatem & ignaviam non propulsâſſent. Hoc quondam voluiſſent Cremonenſes; hoc Veronenſes, qui ſæpiùs uſque ad hæc mœnia prædabundi venêre; hoc Eccelinus Romanus, qui triennio hanc Vrbem, magnis illatis acceptiſque invicem cladibus obſedit. Vaſta jam hîc eſſet ſolitudo, ubi tot Templa, tot Ædes, tot publica ac privata ædificia cernitis, ſi illi Majoribus noſtris animi fuiſſent, quos nunc vobis ineſſe video. Cum Gigantibúſne vobis eſt bellum, ſi hinc imbelles Ferrarienſes, illinc ignavi Mediolanenſes, iſtinc ſtolidi Veronenſes hoſtili animo nos invasêre? Hi ſunt, quos ſæpiùs collatis ſignis ſuperavimus; quos ad petendam pacem, datis, non acceptis conditionibus, vi impulimus; quorum Civitates cepimus ac

diri-

diripuimus. Plures eodem tempore obortos hoſtes reformidatis? Quid? nunquámne anteà auditum eſt, ſolam Civitatem ab hoſtibus multifariàm congredientibus defenſam? Suſtinuit toto decennio Troja Græcorum omnium, qui tùm belli artibus florebant, arma. Capta eſt fateor ad extremum tot malis afflicta Civitas, non vi, ſed dolo ac proditione. Bello Athenæ à totâ Peloponneſo ac Corintho petitæ, tàm diu audacter reſtitêre hoſtibus, quoad eis per triginta Tyrannos ſervitium impoſitum eſt, qui dominandi licentiã ſaluti patriæ antepoſuêre. Quoties Latini, Sabini, Volſci, Æqui, Hetruſci communi conſilio in Romanos, quorum mœnia recentia adhuc erant, inſurrexêre? domiti hi ſunt ad extremum, qui fecêre, ut toties Romæ trepidaretur. Cum tribus Populis invidiâ motis vobis eſt bellum. Sit ita; hoc vos movere debet ad ea defendenda, quæ cùm pulcherrima ſint atque optima, illis invidentiam faciunt. Nemo eſt, qui in miſerum livorem moveatur, cùm nihil in ſe habeat, quâ re præter miſericordiam cuiquam moveat. Finitimis noſtris viſi ſumus potentiores, quàm eorum licentia exigeret. Vident ſe poſſe coerceri noſtris armis, ſi quid impotenter egerint. Faciunt, ut timidi ſolent, qui eos è medio quàvis fraude tollunt, quos vident opibus, potentiâ, gloriâ ſuperiores. His ſi obviàm itum fuerit, facilè deprehendetur eorum conatus, ut leviſſimorum hominum, plus livoris, quàm

rationis & conſilij habuiſſe. Quid egimus unquam Cives mei aut cogitavimus, quod horum exiſtimationem læderet? Laceſſitos fateor nos horum rabiem armis compreſſiſſe. Icto deinde fœdere Veronenſibus auxilio fuimus, quo minùs à Vicentinis ac Patavinis hoſtibus opprimerentur. Cum Marchione Ferrarienſi inita ſunt hoſpitij jura; hominem egregiè defenſum contra Legatum Eccleſiæ, Philippinus filius in dominatu retinuit. Hunc lautè, hunc regiè iſtuc venientem ſuſcepimus; abeuntem multis ac magnis muneribus affecimus. Recens eſt meritum noſtrum in Luchinum Vicecomitem, cujus uxorem, cum tanto comitatu euntem Venetias, ac redeuntem, omni apparatu ac comitatu ſuſceptam nôrunt omnes. His pro meritis nunc demùm nobis gratiæ referuntur. Eorum enim bona diripiunt, quos in bello ſocios quos beneficos, quos hoſpites habuerunt. Pro hac ingratitudine & perfidiâ, ſi viri eſtis, pœnas vobis ac Reipublicæ veſtræ, quam nunc nullâ injuriâ laceſſiti, nullâ re repetitâ, tanquam peſſimi graſſatores, lacerare conantur. Aderit Deus ultor ac juſtus tanti ſceleris vindex; obverſabuntur illis in acie ante oculos violata fœdera, violata hoſpitij jura. Hæc pro vobis dimicabunt, hæc perfidum hoſtem ac imbellem avertent; quem toties fudiſtis, fuſum cepiſtis, captum incolumem dimiſiſtis. Hâc ratione tùm pudore tùm indignatione adeò concitati ſunt civium animi, ut poſitâ de-

ſperatione, quam præ tumultu induerant, ſpei ac audaciæ pleni, ſeſe ituros. quo Princeps imperâſſet, ſublato clamore pollicerentur. Tùm Alouiſius delecta confeſtim ex omni juventute ad tria millia robuſtiſſimorum militum, trifariàm dividens, Philippinum ad Burgumfortem, Vgolinum ad Curtatonum, Ludovicum ad Governolum, paribus datis copijs, properè miſit, cum his mandatis, ne ullo modo collatis ſignis cum hoſte congrederentur, ſatis eſſe pro tempore, dictitans, ſi, donec majores pararentur copiæ, hoſtem ab expugnatione præſidiorum ingreſſúque Seralij coërcerent. Ipſe interim, aſſumpto Guidone quaſi collegâ ad curam Reipublicæ, primò omnium arcium præſidia fidiſſimis civibus munivit, delectique ex totâ Civitate, non grandes natu modò, ſed etiam juniores, quibus & portarum, & murorum cuſtodiam committeret, reſervato ad omnem eventum milite, quem in ſupplementum ab his ſelegerat. Comparatâ deinde triginta navium claſſe, quas Galleones vocabulo patrio appellant, jam non tantùm de retrudendo hoſte, ſed etiam de eodem ſubmovendo cogitare cœpit: maximè verò, cùm intelligeret, hoſtium animos jam reſediſſe, tentatâ fruſtrà aliquamdiu oppugnatione. Nôrat etiam per transfugas de impensâ belli inter eos diſceptatum, quòd à Luchino, cujus causâ tantum bellum ſuſceperant, commeatus & pecuniæ, ſtipendij nomine promiſſæ, avarè & malignè præberentur.

 Hinc

Hinc ſegnem oppugnationem exortam putabat. Nec ambigebat, Luchino ſubmoto, omnes ſtatim domos ſuas ituros. Agenda itaque omnia conſultò ratus, adire ipſe exercitus inſtituit, & quâ vi, quâque ratione res ex ſententiâ geri poſſet, inſpicere. Curtatonum primò cum equitibus quingentis contendens, tentatâ aliquot levibus prælijs hoſtium vi & diligentiâ, inde propere ad Burgum fortem adequitat, ubi biduum commoratus, productis pro vallo copijs, hoſtibus fruſtrà pugnandi poteſtatem bis fecit; quippe qui nunquam in ſubjectum Caſtello campum deſcendere ſint auſi, opinione majorum copiarum perterriti, quàm quas ſecum Alouiſius conduxerat. Crevit tùm mirum in modum Mantuanis animus, & unâ omnium voce petitum, ut ſignum ad invadenda hoſtium caſtra daretur. Placuit Duci militum alacritas, &, ut talem animum ad tempus retinerent, adhortatus eſt; dictitans, ſe haud ita multò poſt cogniturum, quo quiſque animo in Rempublicam eſſet. Mantuam poſt triduum reverſus, omiſsâ ad Governolum profectione, quòd hoſtes procul ab oppido tria millia paſſuum caſtra poſuiſſe intellexerat, naveſque è Mincio devexiſſe, inſtructam claſſem remige peritiſſimo ac cive fortiſſimo per Mincium Governolum, atque inde ad Burgum fortem ſubvehi jubet, ſubmoturus Luchini claſſem, quâ maximè Seralium infeſtabat, atque etiam, ſi occaſio daretur, terrâ ac flumine eodem tem-

tempore cum hoſte decertaturus. Ipſe interim milites illos, quos diximus in ſupplementum conſcriptos, qui quidem ad duo millia fuêre, noctu clanculum ad Burgum fortem in caſtra præmittit, ſubſecuturus cum equitatu, ubi claſſem haud longè à caſtris ſubvectam intellexiſſet. Non longè aberant pedites, cùm celer nuncius à Philippino venit, adventu claſſis hoſtes adeò trepidâſſe, ut paſſim collecta ſint impedimenta; ægrè Luchinum ſuos retinuiſſe, quò minùs in fugam præ timore verterentur; maturandum eſſe, ne hoſtis perterritus, & ad fugam reſpiciens, è manibus aufugeret. Tùm Alouiſius, relicto ad Vrbem Guidone, cum ſexcentis equitibus peditatum in viâ conſecutus, de quintâ vigiliâ in caſtra magno cum ſilentio pervenit. Sed nec fallere hoſtem potuit, ſolicitum præſertim, & qui ex ſtrepitu equorum novas copias adventâſſe, præſenſerat. Tumultus itaque inter eos ortus, cùm alij abeundum noctu dicerent, alij exſpectandum diem, & videndum, à quibus pelli deberent, coëgit Alouiſium mutare belli gerendi conſilium. Exſpectare enim diem inſtituerat, tùm ut ſuos labore itineris & continuâ vigiliâ fatigatos, quiete reficeret, tùm ut luce palàm, quid agendum in tantâ re eſſet, cerni poſſet. Nam & deligere locum aciebus accommodatum, & ſubvenire laborantibus, & circumvenire pro tempore hoſtium agmen, & adhortari dimicantes, eoſdémque ad benè de Republicâ promerendum præ-

 ſen-

ſentiâ ſuâ urgere, lux Duci, non nox percommoda eſt. Maturandum itaque ratus, & inſtandum perculſis, Philippinum conſcendere claſſem jubet, eámque, quo propiùs poteſt hoſtibus, quàm primùm ſubvehere, nec detrectare certamen, ſi hoſtes navali prælio velle decertare viderentur. Ipſe interim è caſtris copias ducens, præmittit equites centum ac totidem pedites ſcutatos omnes, qui calonibus ac fabris auxilio eſſent, adæquare foſſas, & refringere vallum conantibus, quo faciliùs reliquo agmini pervadere in hoſtium caſtra liceret. Ibi tùm atrox committitur certamen, Mantuanis irrumpere conantibus; contra verò defendentibus acri animo Mediolanenſibus. Nec adoriri eodem tempore pluribus locis caſtra licebat; quippe quæ lævâ palude, dexterâ Pado amne clauderentur. Lucebat ita tùm Luna, ut, quid eſſet agendum, facillimè cerni poſſet. Animadvertit Alouiſius, verum eſſe, quod anteà per exploratores cognoverat, deſiccatam paludem æſtivis caloribus acceſſum ad caſtra quibuſdam in locis daturam. Ad ducentos igitur levis armaturæ pedites mittit, qui hoſtem, nil tale metuentem, à latere adorirentur. Hi per æſtuaria gnaros locorum ſecuti, nudata defenſoribus caſtra magno cum clamore irrumpunt. Tùm verò hoſtes relictâ fronte caſtrorum, ubi acriter ad duas horas pugnatum fuerat, eos eſſe plures rati, qui per paludem in caſtra venerant, inſtantibus cedentes, fugam capeſſunt. Irrumpunt tùm

pedi-

pedites, &, refracto vallo, equiti viam ſaciunt, qui totum novissimum agmen ad flumen & paludes compulit. Inſecuti tùm pedites, cæſis quibuſdam, multos vivos cepere. Fefellit ad flumen confugientes ſpes evadendi per claſſem, quæ eodem tempore à Philippino disjecta ac fugata fuerat, tribus navibus ſubmerſis ac duodecim captis. Converſi tùm ad victores hinc terrâ, hinc flumine, vitã orantes, poſitis armis, in deditionem fermè omnes acceperunt, præter paucos, qui tranare flumen conati, gurgitibus abſumpti ſunt. Illuceſcente jam die ab inſequendis hoſtibus Mantuani redeuntes, multos in paludibus uſque ad mentum ſubmerſos in caſtra retraxêre; quibus properè direptis, atque incenſis, relictis tantùm ſaucijs, & qui captivos cuſtodirent, in unâ celeritate ſpem ponentes, bifariàm diviſi, eodem fermè tempore in Veronenſes & Ferrarienſes ſigna movent. At ij, cognitâ per exploratores Mediolanenſium clade, antequam à victore exercitu opprimerentur, relictis caſtris, cum magnâ impedimentorum parte fugam capeſſunt. Non deſtitit tamen Philippinus claſſe tàm diu Ferrarienſes inſequi, quoad octo eorum naves in fuga cepit. Tantâ victoriâ Mantuani ubique partâ læti, ad Vrbem undique redeuntes, Alouiſium & Gonziacos omnes ad cœlum laudibus ferebant. Convivatum publicè triduò eſt, & Deo ſupplicationibus ob rem bene geſtam gratiæ actæ. Longè alia erat Mediolanenſium ac ſociorum

rum fortuna, qui ob acceptam in bello cladem in mœrore diu ac luctu fuêre. Non deſtitit tamen totâ hyeme Luchinus renovandi belli cum ſocijs inire conſilia; ad quod Mediolanenſes, vocato ſæpè ad concionem Populo, mirum in modum concitaverat. Verùm vana omnia & irrita mors fecit, quâ Luchinus in tantâ concitatione animorum interceptus eſt. Huic in imperium ſucceſſit Joannes frater, Archiepiſcopus Mediolanenſis, quocum magna Alouiſio intercedebat amicitia. Ad quem viſendum Philippinum filium ſtatim mittit, homini mirè gratum, quocum primo ſtatim congreſſu pertinaciam Luchini Archiepiſcopus damnavit, quòd bellum ſe invito Mantuano Populo intuliſſet. Mox pace compoſitâ, ac renovatis inter eos fœderibus, utrinque publicâ cum lætitiâ captivi domum remittuntur. Sequenti anno, ne ulla requies miſeris mortalibus daretur, adeò peſtis per totam Provinciam vagata eſt, ut duas partes hominum biennio abſumpſerit. Ad quinquaginta millia in Vrbe Mantuâ ejúſque agro perijſſe conſtat. Vidiſſes in agris marceſcentes ſegetes, fraceſcentes uvas, pecora ſine ullo cuſtode paſſim vagantia; patebant domus, patebant villæ, nec erat, qui privatæ aut publicæ rei curam ullam haberet, tantus terror ex Deorum irâ mentes omnium invaſerat. Erant, qui dicerent, in fatalibus libris lectum eſſe, eo anno, mortale genus interiturum. Quam quidem peſtem eò vagatam latiùs per Europam

ropam arbitror, quòd Jubileo aperto, & Chriſtianis nationibus undique in Italiam confluentibus, contagione, quæ nullo modo in diverſorijs & frequentiâ hominum vitari poteſt, omnia infecit. Mortuo & Maſtino Scalâ, Veronenſi Tyranno, qui Vicecomites in bellum contra Mantuanos ſolicitabat pollicitatione auxiliorum, magno metu Civitas, pænè habitatoribus vacua, liberata eſt. Biennio pòſt, partâ jam cum Dijs & hominibus pace, Aloiſius circumdare muro eam partem Vrbis veteris præſertim, quæ Lacum attingit, inſtituit. Habebantur enim tùm pro mœnibus domus illæ, quæ ad Lacum vergebant. Et ne materia lateritia tanto operi deeſſet, duæ turres duarun quondam potentium familiarum, Cremenſium videlicet & Aſſandrorum uſq; ad fundamenta demolitæ: everſum & Palatium quoddam cum turri eſt, cujus adhuc veſtigia quædam ex fundamentis in foro Sancti Petri cernuntur. At Philippinus per aliquot annos cœlibatu contentus, fratrum & amicorum precibus victus, Varrenam tandem virginem præclaram duxit uxorem. Ad celebrandas has nuptias multi ex totâ Provinciâ Principes ac Nobiles convenêre, qui ludis omnifariàm & muneribus celeberrimas reddidêre nuptias. Affuit & Fregnanus Scala, Vgolini ſororius, quem in ſecretum adducens: Quid, inquit, Fregnane, tepeſcis? cur tibi dominatum patriæ tuæ non vindicas, qui verè non tibi minùs, quàm Cani grandiori debetur? me adiutore, ſi

Y voles,

voles, imperium apud tuos, pulſo Cane, obtinebis. Tùm Fregnanus. Hoc, inquit, Vgoline, tacitus optabam, & id fieri perfacilè poſſe videbam, ſi abs te fuiſſem adjutus; verebar enim hâc de re tecum loqui. Nunc verò, ubi & hoc animo tuo ſedere intellexi, demùm ad ſolicitandos amicorum animos revertar. Factu hoc mihi haud difficile videtur. Iturus enim Canis in Germaniam propediem eſt ad viſendos affines. Eo abſente, facilè dominatum occupabo, & occupatum retinebo, ſi tu opportunè cum militibus tuis aderis. Pollicetur Vgolinus ſe id facturum, ſi & quid actum, quidve eſſet agendum, celerrimè ſcitum foret. Iret bono animo, & largitionibus & pollicitatione, quàm multos Civium poſſet, in ſententiam ſuam traheret; habiturum ſe milites ſuos in armis ad omnem occaſionem bene gerendæ rei. Vgolinus, abeunte Fregnano, rem omnem parti Guidoni ac Feltrino patruo aperit, clam Philippino, cujus ingenium ut liberum ac ferox metuebat; utrumque in ſententiam facilè trahit, propoſitâ utilitate, quam Fregnano, Populi Mantuani amico, in propinquâ Civitate imperante, ſint habituri. Citantur itaque, quàm occultiſſimè fieri poteſt, ad nomina milites octingẽti ex lectâ juventute, ac equites ducenti; quibus imperatum ſtatim eſt, ut non ſecùs in armis eſſent, acſi dimicandi ſignum exſpectaretur. At Fregnanus, abeunte tandem Cane, Vgolino cum præſidio ad ſe vocato, dominatum occupat,

cupat, paucis civium interfectis, qui quo minùs id fieret, prohibere ſunt auſi. Indignante deinde Populo, atque ægrè ferente, Canem Optimates quidam ab itinere domum revocant, admonitum Fregnani fratris perfidiâ; qui ad Carrarienſes & Patavinos confugiens Principes, accepto ſatis juſto exercitu, Veronam rediens, Vrbem primo quoque tempore, adjuvantibus Civibus, recepit. Pugnatum eſt aliquamdiu acriter ad forum, quod Mantuani occupaverant, Fregnanum in patriã retinere conati. Verùm dum is incautiùs pugnans cadit, cujus causâ tantum bellum erat exortum, Mantuani acriter reſiſtentes, diu pugnam ſuſtinuuêre. Tandem verò ſuperveniente undique Populo, cùm telis obruerentur, Canis fidei, poſitis armis, ſeſe committunt, ducentis in pugnâ cœſis; reliqui tùm ſaucij, tùm integri cum Feltrino Duce in carcerem truduntur. Luctus tùm ingens Mantuæ exortus, cognitâ multorum captivitate & cæde. Ægrè tùm Alouiſius & Philippinus retenti, quo minùs Vgolinum tanti mali autorem capitali ſupplicio afficerent. At verò poſt dies quinquaginta Veronenſes, Venetorum precibus fatigati, qui tùm utrique Civitati amiciſſimi habebantur, Mantuanos incolumes ſine præmio redemptionis domum remisêre. Eodem anno Boemiæ Rex Romam ad accipiendam Imperij Coronam profecturus, Mantuam veniens, ſolenni die Sancti Martini, magnificè ac ſplendidè ab Alouiſio

 hoſpi-

hoſpitio ſuſcipitur. Vnde Calendis Decembribus Mediolanum abiens, Coronam ferream de more adeptus, inde Romam contendit; ubi dies aliquot immoratus, habitâ tandem Imperij Dignitate, in patriam revertitur. Quieta biennio Civitas poſt celebratas Ludovici nuptias, qui Marchionis Ferrarienſis filiam in uxorem magno ſumptu duxerat, in graviſſimum luctum Philippini morte incidit, qui adeò omnibus carus erat, ut nemo unus è populo aut ex Optimatibus inventus ſit, cui non ſecùs præ dolore exciderent lacrymæ, acſi patrem efferri vidiſſent. Is enim, patre Alouiſio propter ſenectam minùs bellè publica munera ſufferente, Civitatem tantâ æquitate & gratiâ gubernabat, ut nil in eo, quod ad optimum Principem pertineret, deſideraretur. Poſt hunc verò ſumma rerum ad Guidonem & Feltrinum conſenſu omnium defertur. Inter quos haud ita multò pòſt magna diſſenſio eſt exorta. Ægrè eos Alouiſius primò continuit, quo minùs manum conſererent, dictitans, ſe utrumque, niſi concordi animo viverent, Principatu emancipaturum. Ex utriuſque filijs hoc malum exoriebatur, qui ad dominatum ambitioſiſſimè ferebantur. Eò tandem hâc ſeditione ventum eſt, ut Feltrini filij, patre inſcio, Guidonem atque ejus natos, maximè verò Vgolinum, inſidijs opprimere ſint conati; quibus per indicem patefactis, Veronam exulatum abeuntes, à Cane, tanti ſceleris concitatore, hoſpitio ſuſcipiuntur. Redijt

tamen

tamen in gratiam Feltrinus cum Guidone, relatâ præteritarum injuriarum oblivione. Anno ſeptimo & quinquageſimo ſupra trecentos & mille, Bernabos Vicecomes, comparato clanculum magno exercitu, inſtructâque viginti navium claſſe, Mantuanos nil tale metuentes agreſſus, totum Seralium partim dolo, partim vi cepit, adjuvante Guidone Torello, Guaſtallæ Domino, ob contractam cum Mantuanis levem offenſam. Magnus tùm in Vrbe pavor, magna trepidatio eſt orta, nec unquam anteà magis, quàm tùm de ſummâ rerum trepidatum eſt, capto præſertim horreo, captis ſuburbijs Populi Mantuani, ſine ullo hoſtium incommodo. Concurſum tùm quidem eſt ex totâ Vrbe, raptim ſumptis armis, ad aulam Principum, petitum, ſucclamantibus omnibus, ut periclitanti patriæ ſubveniretur. Tùm Guido in publicum prodiens: Quod, inquit, petitis, Cives mei, id mihi ac fratribus nunc cordi erat. Conſulebamus patrem, quid potiſſimùm in tanta perturbatione rerum agendum cenſeret. Ejus hæc ſententia eſt, portas priùs ac muros firmiſſimis præſidijs firmandos, deligendóſque milites, qui hoſtem à populationibus coërceant, mittendúmque properè Vgolinum ad Patavinos, Ferrarienſes, Bononienſes, Florentinos, Populi Mantuani ſocios & amicos, qui eos edoceat, quo in diſcrimine verſemur, quique, acceptis ex fœdere ab unoquoque militibus, hoſtem hinc ſubmoveat. Hæc eſt ſententia Pa-

tris, quam quidem ſalubrem & neceſſariam confirmaturos vos arbitror. Succlamatum ab omnibus tùm eſt: Iret & ageret, quod è Republicâ eſſe cenſeret. Tùm ille: Benè, inquit, res ſeſe habet, quandoquidem ſaluberrima Patris conſilia non aſpernamini. Edico nunc ego, pro arbitrio à vobis ſuſcepto, adſint poſt meridiem omnes, qui arma ferre poſſunt. Converſus deinde ad Vgolinum, qui haud longè aberat: Tu verò Fili, properè equum conſcendito, & cum Socijs & amicis, quod te patriâque dignum eſt, agito. Vadentem per Vrbem circumſtant cives; orant, obſecrant, obteſtantur, ut, accepto à Socijs exercitu, properè ad tutelam patriæ pœnè ab hoſtibus oppreſſæ revertatur. Is ſecundo, quàm ab Vrbe diſceſſerat, die Ferrariam perveniens, Sociorum omnium Legatos, novitate rei & periculo Mantuanorũ motos, eò perveniſſe comperit, conſultaturos inter ſe, quâ ratione opitulari Mantuanis poſſent. Hos igitur, nullo anteà præmiſſo nuncio, de improviſo adiens, datâ acceptâque ſalute: Habendæ, inquit, primùm Vobis gratiæ ſunt, & quidem ingentes, ô Socij, quòd de propulſandâ injuriâ nobis illatâ, nondum rogati, ſponte cogitatis. Beneficia enim ſponte collata gratioſiora nimirùm eſſe ſolent, quàm, quæ precibus impetrantur. In his enim perſolutum precibus neſcio quid exiſtimamus; in illis verò, quicquid eſt, totum ad gratiam & beneficentiam confertur. Veniebam ego ad Vos ſpei plenus, quòd, quo animo

in

in meam Rempublicam eſſetis, optimè nôram; verùm hæc ſolicitudo, quâ in unum conventum Vos ſponte ex tàm diverſis Vrbibus conveniſſe video, adeò mihi ſpem conceptam auxit, ut non de propulſando tantùm, verùm etiam de inferendo hoſtibus bello cogitaverim. Feciſtis Socij, quod Vos maximè facere decebat. Ardente enim, ut ajunt, vicini pariete, de re noſtrâ agitur; ad exſtinguendum incendium undique concurritur, ſerpente ſuâ naturâ per domos flammâ. Hoſtem fateor habemus, commeatu, pecuniâ, numero copiarum potentiſſimum; Bernabovem, inquam, Vicecomitem habemus hoſtem, potentiæ & gloriæ imperijque cupidum, & qui non unius tantùm Mantuæ, verùm totius Italiæ cervicibus imminet. Regnum, mihi credite, mente & animo concepit; oculorum aciem præ cupiditate etiam hucuſque dirigit. Opprimit paulatim, quos obſtare conatibus ſuis videt. Serpet deinde hoc malum (utinam falſus ſim vates) ad Vos. Quid enim aliud hominem ipſum juvenem ac potentiæ cupidum cogitare exiſtimatis? qui, ruptis fœderibus, nullâ à nobis injuriâ laceſſitus, comparato clàm exercitu, Mantuanos nil tale metuentes agreſſus, eiſdem nil propè, præter nuda Vrbis mœnia, reliquit; quæ quidem paulò pòſt direpturus eſt, niſi à Vobis fuerimus adjuti. Apparantur ad oppugnandam Vrbem omnium machinamentorum inſtrumenta. Eâ captâ, huc, tanquam retentum flumen, in Vos dilabetur.

betur. Quid enim aliud hominem cogitare creditis, quàm occupatâ per vim Mantuâ, quæ ejus conatibus obſtat, terrâ Vos ac flumine, comparatâ ingenti claſſe, adoriri? Illinc Socij, illinc, mihi credite, diffundetur in Vos craſſa illa & obſcura belli nebula, quæ oculis veſtris non caliginem ſolùm, objiciet, verùm etiam multas & perennes lacrymas, niſi enſes illos in nos ſtrictos, noſtróque ſanguine tinctos, in violatores fœderum, in perfidos hoſtes ac crudeles, confeſtim retruſeritis. Arbitramini, quæſo, dum Mantua obſidetur, præſidium quoddam veſtrum oppugnari; quo capto, pro muris ſtantes cum acie congredi non licebit. Viſuri primò eſtis paſſim incendi agros, diripi tecta, ruſticos ac pecora abigi, mox ſagittis ac tormentis cives confoſſos, dum patriam tuentur, dum hoſtem ferocem ſucceſſu propulſant, ad ſepulchrum, lacrymante Civitate, efferri. Hæc certè, quæ eventura ſunt, niſi obviàm itum injuriæ fuerit, ſat ſcio vos, Socij, movebunt, etiamſi, quod minimè quidem arbitror, in diſcrimine Sociorum, ad Vos manus tendentium, veſtram fidem implorantium, negligentes & ocioſi fueritis. Neque vos, quæſo, deterreat impenſa bellica, cùm ſatiùs ſit, longè à domo pugnare, quàm ſub ipſis mœnibus. Hìc tuos ſpontè, & hoſtes coactè, paſcas neceſſe eſt. Omitto incendia, rapinas, cædes, quæ mala in tuum recidunt caput: omitto etiam deſertores Socios, qui metu perterriti ad propria defendenda dilabuntur. Illic

hoſtem

hoſtem de ſuo ſolicitum ab oppugnatione aliorum removes; militem, ditatum prædâ, minore impensâ ſuſtines; vectigalia & commeatus, in bello neceſſarios, hoſtibus imminuis; Civitatibus & ſocijs & vectigalibus, ſuperbiam hoſtium atque avaritiam ægrè ferentibus, ad defectionem tuâ potentiâ das animum. Quantum autoritatis & potentiæ hoſti detrahis, tantum tibi applicas. Hæc ego accepto à Vobis exercitu, niſi brevi effecero, non recuſo quodvis etiã grave ſupplicium. Bernabovi illi profectò, qui mœnia Vrbis Mantuæ nunc pulſat, plus pavoris aperto Marte, ſi vivo, &, ſi à Vobis adjutus fuero, incutiam, quàm ipſe fraude & dolo patriæ meæ, veſtram opem roganti, injecit. Suſcipite quæſo, & quamprimùm, ne in morâ ſit periculum, hoc bellum, illatum patriæ meæ, illatum Vobis, illatum immortali Deo, quem ruptorum fæderum vindicem habituri ſumus; & comparato exercitu decernite, à quo Duce potiſſimùm tantam rem geri velitis. Moti hâc oratione Socij, ſecedente paululùm Vgolino, bellum communi omnium conſenſu ſuſcipiunt, Ducémque ad id Vgolinum deligunt. Comparatis itaque brevi omnibus copijs in unum collectis, Vgolinus iter ingreſſus, non Mantuam ad liberandam obſidione patriam, quò eum iturum omnes arbitrabantur, ſed Parmam primò, mox à Papienſibus adjutus, qui nondum Vicecomitibus parebant, non longè à Placentiâ Padum traijciens,

Mediolanenſium ac Laudenſium agrum cædibus, rapinis, incendijs adeò infeſtum reddidit, ut brevi partim vi, partim metu, multa Caſtella ad defectionem compulerit. Tùm verò Galeatius, quem ad tutelam Vrbis Bernabos reliquerat, veritus, ne aliqua ſeditio ob vaſtationem agrorum inter cives oriretur, paſſim jam dictitantes, ſtultum eſſe, cùm tua defendere non poſſis, aliena oppugnare, nuncios properè mittit, qui fratrem de rebus omnibus certiorem redderent. Anceps tùm cura Bernabovem invaſit; nam & aliena oppugnare, & ſua tueri eodem tempore voluiſſet. Deligit itaque ex toto exercitu mille & ſexcentos equites peditéſque trecentos, quos ad fratrem properè miſit, eundem admonens, ut alias copias conſcriberet, hoſtéſque à populationibus, quoad fieri poſſet, arceret, nec uſquam collatis ſignis cum Vgolino congrederetur; ſe interim Mantuam oppugnaturum, & ſperare brevi, captâ Vrbe, ad ſubmovendum ex agro Mediolanenſi hoſtem, ferocem magis quàm potentem, perventurum. Galeatius mandata fratris diligenter obſervans, ab Vgolino nuſquam flectebat oculos, poſitis ſemper in munitiori loco caſtris. Hunc Vgolinus elicere ad certamen perſæpè tentabat, nunc ante ejus oculos vineas atque arbores ſuccidens, nunc villas incendens, nunc opprobria, ut in timidos & ignavos jactans. Quibus ex rebus adeò incenſi ſunt Mediolanenſium animi, ut certamen, fruſtrà reclamante

Duce

Duce, injerint. Non eſt certatum ſub ſignis ex ordine, ſed, raptis armis, eò properè itum eſt, quò quemque ira pertraxit. Quare brevi factum eſt, cùm nulla ſubeſſet ratio, ut eâ temeritate fugam capeſſerent, quâ pugnam injerant. Pauci eo prælio interfecti, plures vivi capti ſunt. Tùm demùm effundi latiùs Vgolinus cœpit, nemine obſtante; obequitare etiam Mediolani mœnia perſæpè auſus, tantum pavoris Civitati incuſſit, ut paulùm à ſeditione abfuerit. Erant, qui palàm Bernabovis pertinaciam accuſarent, quòd, dum cupidè nimis Mantuam oppugnat, ſuos agros, ſua Caſtella, patriam denique diripi ſineret: paſſuros ſe æquo animo tot incommoda, quoad per ſalutem Reipublicæ licuerit; tùm demùm verò, ſi ad perniciem res ſpectare videbitur, quæſituros tot malis, ac propè infinitis, aliqua remedia, ne, dum obſequi Regni cupidis ſtudent, ipſi & vitam & libertatem amittant. Bernabos his de rebus litteris ac nuncijs certior factus, non eſſe amplius cunctandum ratus, munito fortiſſimis præſidijs Seralio, quo obſideretur, ſi oppugnari non poſſet Mantua, motis repentè caſtris, Mediolanum contendit, dum Vgolinus, liberatâ, quod maximè cupiebat, ab oppugnatione Patriâ, inſtante etiam hyeme, trajecto ratibus amne Abduâ, in agrum Brixianum ſeſe recepit, inde in Mantuanum deſcenſurus. Eò Bernabos, conſcriptis aliquot novis cohortibus, fugere hominem arbitratus, citato gradu ſubſecutus, conferre tamen

caſtra caſtris non eſt auſus, quòd Ludovicum ac Franciſcum Gonziacos veniſſe fratri auxilio intellexerat; obſervare potiùs, ſi ad iniquum certamen producere Mantuanum poſſet. Tandem verò Vgolinus factâ perſæpè hoſtibus pugnandi copiâ, cùm eos detractare pugnam videret, ita, ut inſtructus ad dimicandum erat, ad Cheſium amnem, vado trajecturus, non longè à Monteclaro contendit. Tùm Bernabos, cognito hoſtium conſilio, celeriter Galeatium cum expeditâ Legione præmittit, qui tranſitum occupet; ipſe non longè ſubſecutus, noviſſimum ſemper agmen attingens. Adoriri à tergo hoſtem, à fronte impeditum, tùm pugnâ, tùm tranſitu, inſtituerat. Pervenientibus eodem tempore Mantuanis ac Mediolanenſibus ad flumen, cùm uterq; occupare vadũ contenderet, acre committitur præliũ. Tùm Vgolinus, bipartitò copias dividens, relicto circa impedimenta firmiſſimo præſidio, eodem tempore, & inſtantes, & qui ad flumen ex tranſverſo pervenerant, magno conatu aggreditur, paucis pro tempore ſuos priùs adhortatus, ne hoſtem perfidum, & qui exuſtis agris, incenſiſque paſſim villis, menſibus ſex patriam vexaſſet, impunem, Deo ipſo nunc occaſionem ultionis offerente, è manibus evadere ſinerent. Reminiſcerentur capti dolo ac proditione Seralij: remineſcerentur cœſorum tàm diuturno bello civium; reminiſcetentur oppugnatæ patriæ; diem illum dictitans, ſi per virtutem eorum lice-

liceret, & laborũ & periculorũ finem allaturum. Ad fratres deinde converſus: Veſtra, inquit, provincia erit, illos ſubmovere, qui nobis ſeſe obijciunt, quo minùs flumen tranſeamus; ego in Bernabovem converſus, adjuvantibus fideliſſimis ac fortiſſimis Socijs, quorum virtutẽ varijs caſibus jam menſibus ſex ſum expertus, dabo operam, ne noſtri patriam aut ſocios pœniteat. His dictis, inchoatum prælium redintegrans, ferociùs inſtantes aliquantulùm repreſſit. Mox ſuſcepto inter alas equitum peditatu, quod in tantâ planitie facere neceſſe fuit, hoſte maximè equitatu abundante, ita obſtinatè aliquot continuis horis eſt pugnatum, ut neuter alteri ceſſurus videretur. Tùm Vgolinus pedites adhortatus, ut quàm plurimos hoſtium equos haſtis confoderent, tantam ſtragem cataphractorum edidit, ut mercenarios, qui plurimi in exercitu Bernabovis erant, equis caventes, in fugam compulerit. Hos & reliquum agmen haud ita multo pòſt ſubſequitur, Bernabove nunc precibus, nunc minis, fruſtra perterritos revocante. Ex his pauci præter impedimenta capti, Vgolino receptui canente, nondum ſuperato Galeatio, qui fortiter ad flumen cum ſuis dimicabat. Eò itaque victrices copias dirigens, identidémque ſe viciſſe Bernabovem clamitans, tantum animi ſuis adjecit, ut, facto impetu, hoſtes, jam longâ dimicatione fatigatos, in flumen compulerint, unde in inſtantes procurrere acclivitate ripæ nullo modo poterant.

Facile enim erat, è ſuperiori loco lapidibus & telis conglobatos opprimere, &, quia nonnulli abjectis armis traijcere nando cœperant, præmiſit Vgolinus Ludovicum fratrem cum trecentis equitibus, qui in ripâ è regione fugientes comprehenderet. Tùm hoſtes coronâ acierum circumvallati, cùm fruſtrà erumpere aliquandiu magno impetu tentâſſent, manibus & clamore ſignificant, ſe poſitis armis futuros in Vgolini poteſtate, ſi vitam captis condonâſſet, aliter verò, ſe uſque ad extremum vitæ ſpiritum cum magno hoſtium interitu dimicaturos. Tùm Vgolinus incruentam omninò victoriam reportaturus, ſuis per præcones imperat, ut inermibus parcant. Ita duo millia & ſeptingenti ex hoſtibus capti. Hæc dum inter ſe paciſcerentur, diffugiſſe Galeatium cum equitibus ſexaginta nunciatur: quam rem adeò moleſtè Vgolinus tulit, quippe qui victoriam ſuam mancam putabat, tanto præſertim Duce è manibus ſuorum negligentiâ evadente, ut ægrè retentus ſit, ne cohortes Galeatio oppoſitas gravi ſupplicio afficeret. Partâ victoriâ, Vgolinus anceps, fugientéſne inſequeretur, an ad expugnanda hoſtium Caſtella exercitum duceret, ab utrâque ſententiâ ſupervenientibus imbribus diſtrahitur, maximè verò propemodùm tumultuantibus Socijs, qui palàm dictitabant, ſe nolle ſub tentorijs & pellibus hyemem æſtati continuare; ſatis eſſe Mantuanis debere, quòd hoſtem à viſceribus patriæ abſtraxerint,

rint, dum agrum Mediolanenſium infeſtant, dum Vrbem obſident, dum eos ſemel ante mœnia, iterum ad Cheſium magnis illatis cladibus fundunt, fugántque; velle redire domum, hyeme præſertim, ad lares proprios, ubi & parentes & uxores & filios ac cives ſuos inviſant; redituros ſe poſtea vere novo, ſi Mantuani eorum operâ indigerent. Tùm Vgolinus, nil contra voluntatem Sociorũ agendum ratus, motis caſtris, Mantuam cum magnâ militũ alacritate contendit, ducturus paulo pòſt Mantuanos milites ad recuperandum Seralium ab hoſtibus captum, & firmiſſimis præſidijs munitum. Verùm tanta vis nivium & frigoris ſupervenit, ut ægrè ſub tectis hyems & ad ignes toleraretur. Vrbem ingredienti, ut Optimo Duci, ut Liberatori ac Parenti ab omnibus gratiæ actæ. At Galeatius Bernabovem, ob acceptam cladem mœſtum ac ſolicitum, conſolatus, ad renovandum ſequenti æſtate bellum, continuò adhortatur, dictitans illatam ignominiam in autorem retrudendam, nec priùs deſiſtendum, quàm ab hoſtibus victoriam expreſſerint. Verùm longè alia erat Bernabovis ſententia, cui de pace magis, quàm de bello conveniebat; quippe qui videbat totam Italiam in ſe concitari, redintegrato bello. Accerſiri itaque Vgolinum per nuncios ad ſe placuit, datâ fide, hominem incolumem ad ſuos rediturum, quocum de pace ageret. Qui conſulto priùs Avo & Patre, quibus maximè conditionibus pacem è Republi-

cà

eà faciendam cenſerent; Mediolanum iter ingreditur. Eunti ad Meſignianum Bernabos honoris gratiâ cum egregio comitatu fit obviàm. Ibi multa ultrò citróque primo congreſſu perbenignè dicta. Mox iter capeſſentibus, & Vrbi appropinquantibus, tantus ab urbanâ multitudine in vias publicas concurſus eſt factus, videndi Vgolini causâ, quem hoſtem, & quidem acerrimum, ſuperiore æſtate ſenſerant, ut præ turbâ vix pervadere Vrbem liceret. Hic ne ille eſt, cum admiratione dicebant plebei, qui populationibus & incendijs agrum noſtrum vaſtavit? qui nos fugatos intra mœnia compulit? qui patriam ſuam, noſtram populando, ab obſidione noſtrorum exercituum liberavit? qui noſtros, eum retinere conantes, quo minùs in patriam rediret, ad Cheſium fudit ac fugavit? Sequenti die inter eos de pace agi eſt cœptum, aſſerente Bernabove, ſe nullius Principis aut Populi pluris amicitiam & neceſſitudinem facere, quàm Mantuani, cùm ob vetuſtatem Vrbis, tùm etiam ob nobilitatem Familiæ Gonziacæ; eſſe ſibi in animo, ſi inter eos de pace conveniat, eandem affinitatem confirmare, traditâ ei in matrimonium nepte, Galeatij fratris gnatâ; petere tantùm, ut reddito Mantuanis Seralio, aut Regium Mediolanenſibus dedant, aut honeſtum vectigal, quotannis pendant; id autem fore accipitrem, & canes duos venaticos, ut intelligeret, ſe pro gloriâ potiùs, quàm emolumenti gratiâ bellum cum Mantuano Populo

geſſiſſe. Tùm Vgolinus: Quòd, inquit, Bernabos amicitiam & affinitatem noſtram appetis, tibi multum pro hâc egregiâ voluntate debemus, maximè verò, cùm illa polliceris, quæ à nobis precibus erant expoſcenda. Quòd verò aut Regium tibi dedi, aut tributum, & parvum quidem, quotannis tibi pendi efflagitas, ſic habeto, Mantuanos, ut ego arbitror, ad hanc conditionem pacis, iniquam præſertim, nunquam deſcenſuros. Peteret honeſta ſi pacem optaret. Tandem verò, cùm multa utrinque in medium dicta eſſent, nec alter alteri ceſſurus videretur: Sic ſtat, inquit Bernabos, ſententia; utrum malitis, eligite. Tùm Vgolinus, iturum ſe in patriam, reſpondet, relaturúmque brevi ſententiam Patris. Conſcenſo itaque ſequenti die equo, irâ incenſus, de renovando bello, ſi à Socijs eſſet adjutus, inter eundum conſilia agitabat. Ad Patrem biduo perveniens, hominem facilè in ſententiam pertraxerat; verùm, cognitâ Sociorũ negligentiâ & avaritiâ per Legatos, quos clanculùm ad unamquamque Civitatem ſeorſum miſerat, cùm videret ſolum Mantuanum Populum tanto oneri non ſuffecturum, de dedendo Regio conſilia inijt, adverſante Feltrino, qui ſatius eſſe dicebat, tantulum tributum pendi, quàm Civitatem vetuſtam & nobilem dedi. Jam dudum enim, occupatâ à Guidone Mantuâ, illius Civitatis dominatum appetierat; quâ quidem Vicecomitibus ex fœdere traditâ, videbat ſe omninò Principatu cariturum.

Pervicit tandem Guidonis ſententia, qui patriam omninò liberam cupiebat. Imperatum itaque Vgolino eſt, ut Mediolanum confeſtim ad Bernabovem rediret, pacémque ex utilitate Reipublicæ componeret. Feltrinus interim præoccupaturus fratris conſilia, venatum ſe iturum ſimulans, accerſitiſque ab exilio filijs, Regium occupat; militem conſcribit; arces omnes novis ac firmiſſimis præſidijs munit, propulſaturus injuriam, ſi qui vim facere conarentur. Mediolanum Vgolinus jam applicuerat, pacémque cùm Bernabove, Regium ex fœdere dediturus, componebat, cùm trepidi ſupervenêre nuncij, Regium à Feltrino occupatum affirmantes. Tùm Vgolinus, cùm aliquandiu novitate rei attonitus ſtetiſſet, veritus, ne Bernabos fraudem ſubeſſe crederet: Non erit, inquit, melius Feltrino, ſi vivo, me ac Patrem deluſiſſe. Tributum, quandoquidem ita Dij volunt, tibi offero, ne per me ſtetiſſe dicas, quo minùs initum fœdus tranſigatur. Ferebat id quidem moleſtè Bernabos; verùm perſpectâ Vgolini integritate, pacem hâc conditione firmat, ut omnium captivi liberè dimitterentur, & Caſtella utrinque capta, deductis præſidijs, in poteſtate eorum, à quibus ante id bellum poſſeſſa fuerant, relinquerentur, utque Mantuanus Populus, accepto Seralio, Bernabovi quotannis accipitrem & canes duos venaticos tributi nomine penderet, teneretúrque alter alterum pro facultatibus juvare, ſicunde bellum oriretur. Conſcri-

ptis

ptis hâc ratione fœderibus, neptem Bernabos Vgolino in matrimonium pollicetur. Is tùm pace, tùm tantâ affinitate lætus, ad ſuos revertitur, facilè, quæ egerat, omnia approbantes. Ad apparatum deinde nuptiarum converſi, haud ita multo pòſt puellam accerſivêre, fœlicem tanto Viro, & omnium totius Provinciæ Nobilium comitatu. Celebrati ſunt continuis aliquot diebus ludi tùm civilesq́, tùm militares. Mox Vgolinus, acceptæ à Feltrino injuriæ non immemor, à nuptijs ad bellum converſus, comparatis celerrimè, quas poterat copijs, Regium contendit. Eò & properè ſubſequuntur auxiliares Bernabovis cohortes. Irritus tamen ille conatus eſt habitus, firmatis jam à Feltrino, non ignaro, quid in ſe pararetur, valido præſidio portis, diſpoſitiſque in muro armatis militibus. Igitur Vgolinus, poſſe potiri Vrbe ſine longâ oppugnatione gravique impensâ deſperans, in agros converſus, omnia longè ac latè populatur. Recuperatis deinde aliquot Caſtellis, quæ Mantuanæ ditionis quondam fuerant, in patriam revertitur, nullâ poſthac vel pacis cum Feltrino, vel belli mentione factâ. In hoc ſtatu rerum Alouiſius, annos tres & nonaginta natus, fœlix novem filiorum prole, fœlix multitudine nepotum, & ſtabilito in Familiâ Vrbis Mantuæ Principatu, moritur; cujus funus ſummâ impensâ celebratum eſt, nullo genere honoris, quod hominibus tribui poteſt, non adhibito. Anno deinde ſexageſimo ſecundo poſt tre-

centeſimum & milleſimum, adeò peſtilentia Provinciam omnem vexavit, ut multi ritu pecorum, nullâ ope humanâ adjuvante, morerentur. Diffugerant multi paſſim ex Civitatibus in agros vitandæ peſtis causâ. Placuit itaque Guidoni, qui ocio contentus procul omni ambitione vivebat, Vgolino, filio majori natu, Vrbis propè derelictæ adminiſtrationem committere. Indignati tùm Guidonis fratres ejúſque filij, quòd uni tantùm Vgolino, ſpretis alijs, Reipublicæ cura demandaretur. Serere tùm, ut fit, alius apud alium diſcordiarum ſemina, quibus eò ſeditionis ventum eſt, ut Ludovicus & Franciſcus interficiendi fratris conſilia inierint. Vitandæ peſtis gratiâ Caſtilionem Mantuanum pervenerant; ibi venationibus & aucupijs dediti, ſecretò inter ſe hâc de re ſæpiùs loquebantur. Tandem verò compoſitis rebus omnibus, peſte jam miteſcente, VI Nonas Octobris in Vrbem redeunt, Vgolinúmque, ſalutandi hominis causâ, ne ſubeſſe fraudem ſuſpicaretur, adeunt. Ægrè is Ludovicum ſecum in cœnâ retinet, Franciſco valetudinem excuſante. Nondum planè cœnatum erat, cùm Franciſcus ſatellitibus quibuſdam comitantibus aulam irrumpit, ſtrictóque enſe Vgolini pectus, nil tale metuentis, traijcit. Conantem inſurgere ac vim propulſare, Ludovicus uno atque item altero ictu obtruncat. Minaciter truces in unumquemque tumultum concitare tentantem. Tulit hoc iniquò animo Pater, tulit & Populus;

lus; verùm occupatis firmo præſidio portis, armatiſque in foro poſitis, tantum pavoris Civitati incuſsêre, ut nemo unus repertus ſit, qui liberam vocem emittere auderet. Ferunt Bernabovem, auditâ Vgolini nece, illacrymaſſe, dixiſséque, ex Familiâ Gonziacâ nobiliorem ac fortiorem fraude ſuorum concidiſſe, neque dilaturum ſe diu vindictæ tempus. Miſit etiam properè, qui neptem ſuam Vgolini uxorem Mantuâ ad ſe perduceret, ne puellæ vis ulla inferretur. Verſi deinde ij duo fratres ad placandos plebis animos, omni popularitate ſunt uſi, mirâ indulgentiâ Civitatem gubernantes. Nullum genus ludi prætermiſſum, quo populus delectari ſolet; maximè verò Franciſco uxorem ducente, Lætam nomine, Guidonis Polentæ, Principis Ravennatis, filiam. Eodem fermè tempore maximo apparatu & nobiliſſimorum Principum conventu Mediolani Galeatius Vicecomes filiam Leonello Regis Angliæ Gnato in uxorem ſpopondit. Sequenti anno, quo & Franciſcus ex Ludovico & Aldâ Eſtenſi naſcitur, jacta ſunt ſemina magnæ ſeditionis inter eum & fratres, cùm alter alteri parere, animum nullo modo poſſet inducere. Exulabat tùm Veronæ Corradinus Gonziacus, Cani Principi mirè gratus. Is nepotem habebat Antonium, Franciſco ſodalem, qui hominem, pulſo Ludovico, occupare dominatum quotidiè inſtigabat, pollicebatúrque ad eam rem Canis auxilia, Corradino ipſo, cui maximam fi-

 dem

dem is præſtabat, inſtante. At Franciſcus cautè agendum ratus, cùm nec recuſaret, nec planè annueret, rem totam in arbitrio Antonij relinquit. Defertur res per Corradinum ad Canem, qui diu ſecum meditatus, quantum mali agitaretur, factâ homini auxiliorum ſpe, ſeorſum litteris Ludovico rem omnem aperit. Vocat is fratrem ad ſe, literas oſtendit, quæritur de ejus perfidiâ; paulùm abfuit, quin eum trucidari juberet. Negat Franciſcus, id à ſe quæſitum; ſciſcitaretur Antonium, quem Canis ad Corradinum de eâ re ſcripſiſſe affirmabat. Vocatus Franciſcus negat, id à ſe factum, & Corradinum protinùs, ut proditorem & ſatorem diſcordiarum, ad ſingulare certamen provocat, appariturum tùm affirmans, uter eorum proditor eſſet. Patavium ad id deligitur; eò armati ambo conveniunt. Fuêre, qui ſeorſum utrinque adhortarentur, ne ſe tanto periculo exponerent ob levem cauſam; id cupere Canem, qui Gonziacis naturaliter ſit hoſtis; Corradino nil defuturum, ſi cum Antonio in gratiam rediens, Mantuam proficiſcatur. Tùm Corradinus, petente Antonio, ac quibuſdam præclaris Viris, qui fidem facerent, jurejurando affirmat, Antonium nil eorum, quæ objicerentur, conatum, ſe uſque adhuc mentitum, & quicquid finxerit de proditione Franciſci, Canis gratiâ feciſſe, qui diſcordiam inter fratres ſerere moliebatur. His dictis, equum conſcendens, Mantuam cum Antonio proficiſcitur. Tùm

Fran-

Franciſcus criminandi Canem occaſionem nactus, ad Imperatorem, ad Reges & Principes ſcribit, Canem omnium hominum, quos unquam viderint, nequiſſimum; quippe qui fratres committere diſcordias ſerendo tentaverit. Stomachari tùm Canis atque indignari, quòd, dum boni Viri officio fungitur Ludovicum admonendo, ut ſibi à fratre caveat, ſeditioſi ac perfidi crimen ſubjerit. Mittit itaque propere, qui Bernabovem ad bellum contra Gonziacos impellat, commemorando vetuſtum cum Gente odium, & Vgolini mortem, qui dolo ſuorum perierat; paratum ſe oſtendit exercitum conſcribere, quantis maximè poſſet copijs, commeatúmque ſubminiſtrare, quòd vicina Mantuanis Caſtella poſſideat; tollendos eſſe de medio Gonziacos, qui libidine dominandi ſuos, nedum alienos fraude & vi opprimant; graſſaturos eos in finitimos, ubi domi, in quod ſæviant defuerit; occurrendum morbo, priuſquam totum corpus inficiat. His dictis incenſus Bernabos dat fidem ſe eâ lege bellum ſumpturum, ut non prius deſiſtat, quàm, captâ Vrbe Mantuâ, Gonziacam Familiam omninò de medio tollat. Admonet Canem, ut clanculùm omnia ad tantum bellum neceſſaria comparet, útque XII Kalendis Aprilis Mantuanos adoriatur. Idem ſe facturum eodem die terrâ ac Pado pollicetur. Venerat dies, quâ Mantuanos, nil tale metuentes, adoriri inſtituerant. Tantus impetus à Bernabove terrâ ac Pado adhibitus eſt, ut totum

Sera-

Seralium unâ incurſione diripuerit, maximámque inde prædam hominum pecorúmque abegerit. Poſitis deinde caſtris ad Burgum fortem, Caſtellum expugnaturus, partem claſſis Hoſtiliam præmittit, quæ omnia circumquaque popularetur, quæque vetaret, ne Mantuanis commeatus & auxiliares copiæ ſubmitterentur. At Canis nihilo ſegniùs rem agens, Mantuanum agrum longè ac latè populatus, ad Portum conſederat, Suburbium illud expugnaturus, quo faciliùs capi Vrbs poſſet. Invexerat etiam in Lacum armatas naviculas, quibus obſeſſos fame ac rerũ omnium inopiâ ad deditionem urgeret. Trepidatum in Vrbe tùm eſt deſperatione, quòd nuſquam à finitimis exſpectarent auxilia, neglectis Majorum amicis ac veteribus Socijs. Multus ubique fletus, graviſque ululatus mulierum ac puerorum, per Vrbem non ſecùs diſcurrentium, acſi mœnia capta eſſent, exaudiebatur, tot ſimul hoſtibus undique de improviſo obortis. Augebant etiam pavorem ruſtici in Vrbem, raptis paſſim, quas poterant, rebus, confugientes, ac omnia, ut fit, in majus extollentes. Tùm Ludovicus, ne intrepidis rebus ſibi ac Reipublicæ ſuæ deeſſet, qui arma ferre poſſent, confeſtim ad nomina citat. Majoribus natu annis quinquaginta, & minoribus viginti, portarum ac murorum præſidia committit, adhibitis ex Nobilitate Centurionibus, quorum mandatis obtemperaturi eſſent. Reliquos milites in or-

dines

dines redigit, quibus & hoſtem à populationibus arceret; & eundem, ſiqua occaſio benè gerendæ rei daretur, fugaret. Sumptâ deinde curâ conſervandi commeatûs, quo durante, videbat, Vrbem, naturâ loci & opere munitam, nullo modo vi capi poſſe, quantum panis viritim in dies distribueretur, inſtituit. Confirmatis deinde animis Civium propoſitâ ſpe magnorum auxiliorum, Legionem unam extra portas ſub occaſum Solis educit, noctéque intempeſtâ ad Burgum fortem perveniens, navales hoſtium copias, quæ in littore caſtra poſuerant, primo impetu fudit, in navesque compulit, fruſtrà, qui extra Seralium conſederant, opitulari conantibus, cùm amne & Palude intercluderentur. Firmato deinde militibus & commeatu Caſtelli præſidio, totum Seralium percurrens, in Vrbem convehit, quicquid hominibus uſui eſſe poteſt. Supervenientibus deinde alijs ſuper alias ab hoſte copijs; adeò crebræ uſque ad portas undique fiebant excurſiones, ut nulla circumſeſſæ Civitati quies daretur. Dimicatum eſt ſæpiùs ante portas atrociter, cum magno Civium atque hoſtium interitu; Mantuanis hoſtem ſubmovere; contrà hoſtibus Mantuanos retrudere in Vrbem conantibus. Major tùm cura inceſſit Ludovicum petendi externa auxilia, quòd hoſtium copias in dies augeri cernebat. Properè igitur ad Pontificem, ad Carolum Imperatorem, ad Joannam Apuliæ Reginam, ad Florentinum Populum, Legatos

tos mittit, qui quanto in periculo Mantuani verſentur, tot ſimul urgentibus hoſtibus, admoneant; quique rogent, ut feſſis diutinâ oppugnatione opem confeſtim ferant. Tùm Imperator, in tanto Gonziacorum periculo non eſſe cunctandum ratus, quòd Bernabovem affectare Regnum; atque inde Imperium Italiæ, ſi Mantuam cepiſſet, prudenter videbat, coacto raptim exercitu in Italiam venit. Ejus militiam ſecuti, Auſtriæ, Bavariæ, Saxonum Duces bello egregij. Convenêre eodem fermè tempore ad ſigna Imperatoris apud Hoſtiliam Sociorum & auxiliarium copiæ. Quibus auctus Imperator (ad quadraginta enim equorum millia fuiſſe reperio) Seralium ingreſſus, adeò perterruit hoſtes, ut primo quoque tempore Bernabovem Ducem, Regium oppugnantem, in caſtra accerſierint. Crebra in dies committebantur prælia; quibus perſæpè Imperator ſuperior erat, quòd equitatu, & quidem optimo, abundabat. At Bernabos relictâ eâ parte caſtrorum, quæ intra Seralium, ſuperiora, inter paludem & amnem poſita, adeò munijt, diſpoſitâ circa ripam amnis claſſe, ut lædi ab hoſte nullo modo poſſent. Tùm verò Imperator, cognito Bernabovis conſilio, cujus maximè intererat bellum contra collectitias copias, nec diù ſub eiſdem ſignis manſuras, protrahere, relictis ad Burgum fortem equitum quinq; millibus cum Legione Mantuanâ, qui & hoſtem à populationibus arcerent, & eundem

dem oppugnatione Caſtelli prohiberent, cum reliquo exercitu Curtatonum pervenit. Inde in Brixianum & Veronenſem agrum digreſſus, diviſis biſariàm copijs, tantum terroris omnibus injecit, ut paſſim nuncij ad Canem & Bernabovem mitterentur, qui rogarent, ut ſolutâ obſidione, ad ſua tuenda, quæ ferro ac flammâ vaſtarentur, confeſtim redirent, ne ſi diutiùs immorarentur, cùm vellent, ipſis poſteà non liceret. Solutâ itaque obſidione, ad propria revertuntur. Non deſtitit tamen Imperator, liberatâ obſidione Mantuâ, tamdiu hoſtes inſectari, eorum oppida & Caſtella diripiendo, quoad, malis propè infinitis domiti, pacem petierint. Neque tùm quidem eos in gratiam recepiſſet, quos omninò dominatu privare inſtituerat, quòd ab armis diſcedere juſſi, ejus Imperium contempſerant, niſi majus & honeſtius mente bellum agitaſſet. Hyeme enim, quæ antecedentem æſtatem inſecuta eſt, Rex Cypri Mantuam ad Imperatorem venerat, affirmans ſe recuperaturum brevi Chriſti Sepulcrum, ſi ab eo, ac reliquis Principibus Chriſtianis adjutus eſſet. Tùm Imperator honeſtate rei motus, compoſitâ priùs inter Ludovicum & Bernabovem ac Canem pace, id reliquum pecuniarum, quod ſecum in Italiam ad bellicam impenſam detulerat, Regi aſſignat. Idem fecêre & reliqui Duces, qui ſub eo militabant. Redijt deinde haud ita multo pòſt in Germaniam, pacatam relinquens Italiam. At Rex, ac-

ceptâ etiam à Principibus Galliæ & Britanniæ ingenti pecuniâ, in Cyprum rediens, comparatâ centum navium claſſe, Alexandriam contendens, Civitatem vi cepit, ac captam diripuit, quam poſteà reliquit, Soldano, Ægypti ac Aſſyriæ Principe, cum ingenti exercitu ſuperveniente. Retineri enim tàm vaſta Civitas contra numeroſum exercitum nullo modo potuiſſet, populo præſertim adverſante. Rex igitur inde ſolvens, onuſtus prædâ in Cyprum rediJt. Quieta biennio Civitas, in gravem deinde incidit luctum, continuatis propè duorum Principum funeribus. Moritur enim poſt Franciſcum Guido Pater, quem Populus ut Patriæ Parentem diu luxit. Tùm Ludovicus liberum dominatum adeptus, ad ornandam muniendamq́ue Vrbem convertitur. Anno enim ſeptuageſimo ſupra trecenteſimum & milleſimum, & Curiam in eam formam, auguſtam quidem & amplam, ǽdificavit, quam adhuc cernimus, & duo Suburbia, Divi ſcilicet Georgij & Portûs, duobus continuis annis muro circumdedit. Dum hæc intentiùs agerentur, Antonius & Nicolaus, Gonzagâ Familia orti, libidine dominandi concitati, de interficiendo Ludovico conſilia ineunt. Plures in hanc conjurationem traxerant, maximè verò Aichardinum Caputuacam, Patavinum Civē, Joannem Bucca majorem, Andream Gedium, Jacominum Alexandrinum, Zangarinum virum robuſtiſſimum. Hos omnes, ſceleris convictos,

victos, ut paricidas Ludovicus ſuſpendi juſſit. Varia deinde mala quatuor continuis annis oborta ſunt. Nam & tanta vis locuſtarum apparuit, ut omnia ferè ſata conſumpſerint, & quod reliquum fuerat, Idibus Maji, dum ſegetes floreſcunt, atra nebula, ut uliginoſa, penitùs abſtulit. Tanta deinde caritas annonæ non in Italiâ modò, ſed in tota Europâ ſuborta, ut multi mortales fame paſſim perierint. Fuêre plerique, qui filios filiàsve, & nubiles quidem, darent venum, emendi cibi gratiâ; unde tùm quidem, maximè proſtrata pudicitia fuiſſe dicitur. Terræ motu poſtremò, ne ullum genus mali ſupereſſet, ita quaſſata ſunt omnia, ut multæ paſſim corruerent domus, cum hominum ac pecorum interitu. Hoc eodem anno Bernabos veritus, ne prodigia iſta vim aliquam adnunciarent, firmaturus imperij ſui fines, Franciſco Ludovici filio impuberi Agnetem filiam parvam adhuc deſpondet uxorem; quam biennio poſt bellum Genuenſe, quo Veneti, Carolo Zenone Duce, ſuperiores fuerant, cum magno apparatu ac pompâ Mantuam perduxit. Celebratæ ſunt nuptiæ tanto ſumptu, quanto nunquam anteà. Verùm ne diu læti tantâ affinitate Mantuani & Mediolanenſes eſſent, mulierem in adulterio deprehenſam pœna capitali affecit. Ludovicum & Aldam Franciſci parentes novennio ante perijſſe conſtat; horum funera annus interceſſit. Sepulcrum Aldæ Eſtenſis marmoreum adhuc exſtat,

quatuor columnis impoſitum, in ſacello Gonziacorum, quod in Sancto Franciſco adhuc viſitur, cujus titulus nomen mulieris ac Familiæ, unde originem duxerat, legenti indicat. Ludovici mortem non minùs Optimates, quàm Populus luxêre, quòd hunc Ordinem ſummo ſemper in honore habuerat. Annis natus viginti ſeptem Franciſcus dominatum adeptus eſt, anno octogeſimo ſecundo poſt trecenteſimum & milleſimum. Hic etſi adoleſcens erat, nihil tamen prætermiſit, quod ad optimum Principem pertineret. Utebatur Nobilium conſilio, maximè verò ſeniorum, tùm bello tùm pace. Munificus & liberalis in eos erat, quos aliqua inſigni virtute præditos norat. Cives ad mercaturam aptos pecunijs juvabat., nullâ utilitatis mentione habitâ; de ſummâ tantùm ſatiſdatione cavebat. Comitate & gratiâ tantum ſibi benevolentiæ apud omnes comparavit, ut multi tàm conſtanti famâ ex finitimis Civitatibus cum uxoribus & liberis Mantuam commigraverint, Civitatemque adhibitâ immunitate impetraverint. Nullum genus ludi, quo Populus delectatur, prætermittebat. Juvenes quoſdam ex Nobilitate comites ſibi delegerat, cum his equeſtrem pugnam perſæpè exercebat; ſumptibus nullo modo parcens, quòd peringentem pecuniæ vim ex teſtamento à Patre acceperat. His artibus brevi effecerat, ut Mantua populoſior, quàm nunquam anteà haberetur. Verùm ne hæc Civitas minùs ſubjecta icti-

ictibus fortunæ, quàm reliquæ, videretur, tantâ per annum peſte laboratum eſt, ut tertia pars mortalium interierit. Biennio poſt Bernabos Vicecomes à Joanne Galeatio, Galeatij fratris gnato, capitur, in arcémque Modoeciæ retruditur. Quo facto omnes Civitates Bernabovis in deditionem ſtatim accepit. Paulo enim antè bifariàm diviſo Imperio, Galeatio Papia, Vercellæ, Novaria, Dertona, & cætera, quæ in Apenninum Alpéſque verſa, Bernabovi Placentia, Cremona, Parma, Lauda, Brixia, Bergomum Civitates ſorte obtigerant. Mediolanum, Caput Imperij, pari regebatur poteſtate. Auctus itaque tanto Imperio Joannes Galeatius, adoleſcens, vultu, vitâ, indole Regium animum præ ſe ferens, de occupandâ Italiâ cogitare cœpit. Id, quò facilius fieret, Mantuanum Principem, Marino ejus nutricio id perſuadente, in amicitiam ſui pertraxit. Hinc ex fœdere Joanni Acuto, cum magno exercitu Bernabovi auxilio à Florentinis ſocijſque miſſo, trajectum Padi in agrum Mantuanum vetare coactus eſt. Quâ ex re Virtutum Comes (hoc enim cognomentum Joanni Galeatio poſteà inditum eſt) de ſuo minimè ſolicitus, cum exercitu Veronam contendit; quam quidem Vrbem, adjuvante Franciſco Seniore, Carrarienſi Principe, qui cum Antonio Scaligero graviſſima bella antè geſſerat, paucorum menſium obſidione cepit. Veronæ deditionem ſecuta Vicentia eſt. Comperio deinde, Antonium,

nium, recuperare Patriam conantem, veneno interceptum fuiſſe. Hinc ſecurior de Veronenſi ditione Comes viſus, eo præſertim ſublato, cujus Majores, & cives quidem, Vrbi aliquot annis præfuerant. Dum hæc ad Veronam agerentur, Carolus Malateſta, totius ferè Flaminiæ Princeps, Iſabetam Franciſci ſororem in uxorem duxit, tantã affinitatẽ Comite nequaquã approbante, quòd hos ſimul junctos obſtare poſſe conatibus ſuis videbat. Diſſimulare tamẽ tamdiu inſtituit, quoad Franciſcum Seniorem Patavio pelleret, ſuadentibus Venetis, auxiliúmque ad id pollicentibus; his tamen fœderibus, ut Comes Patavio potiretur, ipſi Tarviſio, quod ditionis Venetæ ante bellum Genuenſe fuerat. Fieri id poſſe perfacilè oſtendebant, exhauſto Franciſco pecunijs & commeatu, eo præſertim bello, quod cum Veronenſibus geſſerat. Comes itaque, comparato ingenti exercitu, in quo & Franciſcus Gonziacus ordines ductabat, Tarviſium primò proficiſcitur, Venetis rem gratam facturus, qui eâ Vrbe potiri cupiebant. Tarviſini autem, qui Patavinorum Imperium ægrè ferebant, non diu oppugnationem paſſi, ad arma concurrunt, Franciſcum Carrarium cum præſidio pellunt, Vrbem Venetis tradunt; qui quidem haud ita multo pòſt Feltrum quoque & Civitale in fidem recepêre. Itum eſt inde cum omnibus copijs Patavium, quo Franciſcus confugerat: quæ Civitas præſentiâ Domini aliquamdiu oppugnationem ſuſtinuit; ad

extre-

extremum verò bello ac fame feſſa ſeſe Comiti tradit. Eâ deditione Franciſcus Senior captus, Modoeciam perducitur, ubi carcere aſſervatus eſt. Supererat Arcis expugnatio, quam Franciſcus Junior acerrimè defendebat. Tandem verò urgente jam fame, noctu cum præſidio eruptione factâ, in Germaniam confugit. Potitus Arce atque Vrbe Patavinâ, Comes majora mente concipiens, Regem Gallorum ſibi affinitate conciliat, traditâ in matrimonium ejus filiâ Orlienſi Duci, Regis fratri. Puellam ad maritum Pariſios multi Proceres comitati ſunt, inter quos Franciſcus Gonziacus animi dotibus primus eſt habitus. In hunc Galli omnes conjecerant oculos, conſpicuum etiam varietate ac magnificentiâ veſtiū equorúmq;. Militaribus ludis nunc provocans, nunc provocatus, egregiè certavit. Peractâ nuptiarū pompâ, ad Comitem, multis ac præclaris muneribus à Rege donatus, revertitur. Immoratus aliquandiu Papiæ, dum Comiti morem gerere ſtudet, ſuorum precibus fatigatus, qui ejus deſiderio tenebantur, in Patriam tandem rediens, omnium concurſu viſitur. Non defuêre multi in Vrbe, qui pro ejus reditu vota ſuſciperent, adeò æquè omnibus carus fuit. Sequenti anno quietem Provinciæ duarum Civitatum eodem fermè tempore defectio perturbavit. Nam & Franciſcus Carrarius Junior, adjuvante eum magnis copijs Bajovariæ Duce, Patavium, Arce tantummodò exceptâ, recuperavit, & Veronenſes, ve-

niſſe tempus excutiendi jugũ rati, à Comite deſecêre, præſidio ejus magnâ ex parte interfecto. Quâ re permotus Vgolottus Blancardus, qui in agro Cremonenſi inter Platinam & Olium flumen copias Comitis conciverat, recuperandi Patavij gratiâ, motis repente ſignis, Veronam infeſto agmine contendit, acceptis in itinere cohortibus aliquot auxiliaribus à Franciſco Gonziaco. At Veronenſes, maximè verò ij, qui eam defectionem improbaverant, lenituri aliquâ ex parte Vgolotti iram, nullis priùs initis fœderibus, hoſti armato & irâ pleno, portas aperiunt, à quo & Vrbs opulentiſſima direpta, & multi cives cæſi ac capti ſunt. Sævitum certè atrociùs fuiſſet, ni & Franciſcus Gonziacus, Mantuam confugientes, tutos à perſequentibus præſtitiſſet, & uxor Comitis, Matrona ingenij mitiſſimi, virum exorâſſet, ne vexari diutiùs Veronenſes pateretur. Militibus tùm poſt triduum imperatum eſt, ut omnes Cives Veronenſes ſine redemptione liberos dimitterent, neque Vrbem direptione ampliùs vexarent, utque & tecta & agros eorum eſſe ſinerent, quorum ante captam Vrbem fuerant. Moventem inde ad recuperandum Patavium Vgolottum, Comes properè in Inſubriam revocat, audito Armeniacorum tranſitu per Taurinos in Italiam cum expeditiſſimis viginti millibus equitum, veritus, ne Alexandriam & vicina Alpibus Caſtella primo adventu, nemine præſertim obſtante, occuparent. Indignari

ri tùm ſecum Comes, quòd intellexerat, Bajovariæ Ducem, Florentinorum ſtipendio in Italiam accitum, Franciſco Juniori auxilio eſſe, quo Patavinam Arcem, pulſo ejus præſidio, recuperaret. Cogitare nunc etiam, conſulto Barbavarâ, cui plurimùm credebat, quânam ratione Florentinorum ſuperbiam (ut ipſe dicebat) opprimeret. Inferre Bononienſibus bellum, Florentinorum ſocijs, primò cogitabat; quibus ſuperatis, videbat Florentinam Vrbem facilè obſideri poſſe. Hâc in re tantâ præſertim obſtare poſſe conatibus ſuis Ferrarienſem & Mantuanum videbat; de Ferrarienſi tamen minùs ſolicitus, quòd Franciſco Gonziaco in ejus ſententiam pertracto, rem omnem ex ſententiâ perfici etiam ſine Ferrarienſi poſſe videbat. Hunc igitur Comes ad celebrandum ſecum Natale Domini invitat; eundem comiter & magnificè hoſpitio ſuſcipit; nullum genus indulgentiæ prætermittit, quo ſibi hominem devinciat. Tandem verò peracto ſolenni, cùm jam abeundi tempus eſſet, hominem ſecretò alloquitur, rogátque, ut belli ac pacis ſocietatem ſecum ineat. Negavit Franciſcus ſe id facturum, quandoquidem ob eam rem videret bellum cervicibus ſuis imminere; cupere ſe cum omnibus pacem, ne ſi unius partes ſequeretur, alterius iram in ſe ex offensâ concitaret. Tulit id periniquo animo Comes, etſi tùm vultu ac verbis animi ſententiam occultaret. Abeunte deinde Franciſco, Comes non eſſe ampliùs differendum

ratus, exercitum in Bononienſes mittit, qui à Florentinis adjuti, Comitem diutinâ impenſâ feſſum ad pacem facilè perpulêre. Ea Genuæ compoſita eſt, miſſis eò partium Legatis. Dum fœdera agitarentur, Comes ex commento profeſſus eſt, Franciſcum Gonziacum ſuarum partium eſſe. Quam rem adeò ægrè tulit Franciſcus, ut Papiam properè contendens, his verbis ad Comitem ſit uſus: Hactenus te Parentis loco, Comes, habui, nec quicquam unquam cogitavi, aut feci, in quo non haberetur tuæ dignitatis ratio. Commemorare, quæ tuâ gratiâ egerim, nequaquam mihi honeſtum videtur, præſertim cùm exiſtimem, beneficia mea apud te benè locata eſſe. Illud tamen miror, te in fœdere, quod nuper ictum cum Bononienſibus eſt, me tuarum eſſe partium, aſſeruiſſe, cùm liberè anteà tibi hoc coràm poſtulanti negaverim. Dixi enim tùm, quod nunc quoque affirmo, me, niſi laceſſitum, neutram in partem declinaturum, cùm nihil antiquius pace & quiete exiſtimem. Totùm hoc meum conſilium perturbâſti, hâc unâ & mendaci quidem (pace tuâ loquar) ſocietatis aſſertione. Hâc ratione mihi infenſos reddidiſti Ferrarienſes, Bononienſes, Florentinos, qui te, quòd Regnum Italiæ appetas, has ſocietates inire arbitrantur. Libera me, quæſo, hâc ſuſpicione, & quid ſentiam, non quod tu cuperes, in vulgus efferto. Tùm Comes, diſſimulatâ irâ, quam ex liberrimis Franciſci verbis conceperat: Parentum,

tum, inquit, mos eſt, non ignaris modò filijs, verùm etiam eiſdem plerúmque nolentibus, pro eâ libertate, quæ naturâ parentum in filios eſt, affirmare & refellere, quæ ad ſuos pertinere exiſtimaverint. Excludi te hoc fœdere, qui adoleſcens es, ægrè ferebam, cùm nondum planè imperandi artem benè propter ætatem nôris. Tueri ego ditionem tuam inſtitueram; quam objectam fluctibus & procellis bellorum, ut navim ſine Gubernatore ac remige, dolebam. Difficile eſt, quod habes, adjuvantibus amicis ac ſocijs tueri: id ita eſſe tùm deprehendes, cùm, nemine opem ferente, hi te oppugnabunt, quorum gratiâ noſtram ſocietatem renuis. Facis tu aliter, ac reliqui ſolent. De pace, ſi quando agitur, quo quis plures ac potentiores habet ſocios, eo tutior ac potentior ſibi videtur, non modò ad ſua tuenda, verùm etiam, ſi opus fuerit, ad aliena oppugnanda. Niſi fortè, ſpretâ amicitiâ noſtrâ, horum ſocietatem appetis, quos tibi hoſtes fieri meâ causâ vereri dicis. Iturum te Romam jam pridem intellexi, ſimulatâ religione, & voto. Quorſum hæc tendant, ſatis ſcio. Alloquuturus es Florentinos in itinere, viſurúſque, quâ te illis ratione conjungas. Dij faxint, ut tibi benè conſulas. Non patiar ego, donec vita ſupererit, mihi injuriam fieri, quæ quidèm magna erit, ſi, ſpretâ amicitiâ noſtrâ, qui tibi finitimi ſumus, ad alienam inclinaveris. Nolo affinitatem commemorare, quam, Patruele mea crudeliter necatâ, obiecto ſtu-

ſtupro, ſprevîſtis. Franciſcum, partim laudare, partim refellere, quæ dixerat, incipientem, Comes indignabundus, cubiculo egreſſus, deſtituit; qui ægrè à Beltrando Rubeo retentus eſt, quo minùs Franciſcum comprehendi, & captum in vincula conijci juberet. At Franciſcus, cognito periculo, mutatâ veſte, aſſumptóque unico tantùm comite Galeatio Mantuano, viro fortiſſimo & manu prompto, in patriam, continuatis diu ac noctu itineribus, revertitur. Hic eſt ille Galeatius, qui ſingulari certamine, tùm equeſtri tùm pedeſtri, victor toties evaſit, non in Italiâ modò, ſed etiam in Galliâ, in quâ mos ille provocandi uſque ad noſtra tempora remanſit. Tùm Comes, auditâ Franciſci fugâ, veriùs quâm diſceſſu, nuncios confeſtim mittit, qui enumeratâ pecuniâ Caſtella, jam dudum ob inopiam ærarij in pignus Franciſco tradita, recipiant. Quâ ex re deprehenſum eſt, Comitem belli ſemina quærere, arbitratum Franciſcum non redditurum ſine Marte Caſtella opulenta & munitiſſima; cui certè longè aliter accidit, quàm cogitaverat. Id enim votis Franciſcus optabat, quod Comes ſponte requiſivit, uſurus eâ pecuniâ in bello, ſicunde eſſet illatum. Acceptâ igitur pecuniâ, redditiſque Caſtellis, Franciſcus Romam cum egregio comitatu contendit. In itinere Bononienſes & Florentini ad fœdus ſecum ex ſocietate ineundum hominem adhortantur, in reditum ſuum omnia reijcientem. Perſoluto voto, eo itinere, quo profectus

fectus erat, redire inſtituerat. Verùm deprehenſis inſidijs, quas ſibi à Comite parari in ea parte Hetruriæ, quam Patrimonium vocant, intellexerat, corrupto ingenti pecuniâ quodam ejus Provinciæ Tyranno, Româ, maritimam Hetruriæ legens, Piſas annavigat. Inde citato equo Florentiam contendens, omnium earum Civitatum Legatos cum ſummâ poteſtate ad ſe properè vocat, à quibus anteà pro communi ſocietate ineundâ requiſitus fuerat. Proficiſcuntur eò properè Bononienſium, Carrarienſis, Eſtenſis, Malateſtæ, Principum Legati, quibus potentia Comitis mirum in modum ſuſpecta erat. Hos in unum coactos ita allocutus fertur: Benè nobiſcum, Florentini, Vóſque, Nobiliſſimi Oratores, actum eſt, quandoquidem ſalutem ac libertatem communem Vobis, ut par eſt, cordi eſſe video. Verebar enim, ne hujus mali, quod cervicibus noſtris imminet, minùs ſenſus ad Vos perveniret, quòd remotiores aliquantulum eſſetis, quódque aliorum calamitate admoniti, dum finitimorum pulſarentur mœnia, rebus Veſtris publicis cavere poſſetis. Feciſtis, ut ſapientes viros decet, qui non tantummodò, quæ ante oculos ſunt, quæque ſenſibus noſtris obijciuntur, vident, verùm etiam acriùs ad futura, utpote plus ingenij indigentia, intendunt animum; hoc nociturum, illud profuturum prudenter & acutè deprehendunt. Tùm, ut boni ruſtici ſolent, qui aggeres inundaturo flumini obijciunt, ne ſuperveniente illuvie

vie aquarum, ſata & annui labores undis in præceps defe-rantur, venienti malo benè conſulendo, ac fortiter agen-do, occurrunt. Id ſi per ſe agere non licet, aliorum judicia & auxilia, maximè verò eorum, ad quos de eâ re pertine-re arbitrantur, requirunt. Hoc eſt, quod ego à Deo po-tiſſimùm optabam; veritus, ne eadem nebula (pace ve-ſtrâ loquar) veſtris oculis objiceretur, quæ quondam mul-tis ac potentiſſimis Populis; quâ obcœcati, priùs pænè in-teriêre, quàm ſe perituros comprehenderent. Verùm, pœniteat me hujus opinionis meæ, ac ſecùs, non ſatis vi-deo. De prudentibus ac fortiſſimis viris perversè aliquid cogitare, turpe mihi (ne mentiar) videtur, quanquam huic errato lenis ſatisfactio mederi poteſt. Confidentiâ autem & ſocordiâ in tàm propinquo ac communi omnium periculo uti, alienum mihi ab officio boni viri atque opti-mi amici videtur. Bellum, quantum nunquam anteà, maximum cervicibus noſtris imminet. Id molitur, id pa-rat Virtutum Comes, qui Regnum Italiæ appetens, tan-quam magnam comprehenſurus feram, retia per ſaltus & convalles omnes diſpoſuit. Ad hanc venationem plures invitat, eiſdem prædæ partem pollicendo. Quos videt dolos & fraudem vereri, eoſdem inſidijs intercipere ſtu-det. Id ita eſſe comprehendi ego non ſine meo magno di-ſcrimine. Pernicioſam hominis ſocietatem ſprevi, ad quam me pollicitationibus primò, mox minis pertrahere

ten-

tentavit. Poſtremò verò, dum ad Vos terreſtri itinere redire inſtituo, mihi parat inſidias, ne ejus conſilium aperiam, néve Principes ac Populos libertate gaudentes, ad arma communi conſilio ſumenda concitem. Exiſtimabit fortaſſe quiſpiam, me acriùs ad bellum ſumendum, ſi laceſſiti fuerimus, inſtare, quòd propior periculo ſim, (neque id quidem ego negaverim,) cùm Civitas mea propè in faucibus famelici lupi ſit poſita; ſed dicatis, quem finem rerum ſuarum exſpectet, me tanquam obice ſublato. Inde enim huc recenti victoriâ ferox, tanquam exundans flumen, dilabetur; ferro omnia ac flammâ vaſtabit; Civitates direptas gravi tributo afficiet; nomen libertatis omninò auferet. Hæc ne accidant, nobis providendum eſt, ex unaquâque Civitate militem quàm optimum legendo, qui in armis continuò ſit, impenſam bellicam pro facultatibus Civitatum partiendo; Ducem belli non ignarum deligendo, qui communibus auſpicijs rem gerat. Hæc ſi à nobis citò ac diligenter proviſa intelliget, ſententiam (ni fallor) mutabit; quibus nunc ferox, nemine obſtante, exitium minatur, eorum haud ita multo pòſt pacem ultrò precibus expoſcet. Non enim parum momenti iu ſe habet, quòd tot ſimul Principes, tot Populi in unum conſpirent. Noſtram autoritatem multi ſequentur, qui nunc timidi majores motus exſpectant. Civitates aliquot habet ad defectionem ſpectantes propter acerbiſſimam exactionem

tributi, quæ nos, non ut hoſtes, ſed liberatores exſpectant. Hác expeditione multùm nobis debebit Italia, quam video propediem in ſervitutem unius venturam, niſi arma properè ſumpſerimus, non dico ad inferendam, ſed ad propulſandam injuriam. Nam, qui arma parat; qui ſocietatem belli init, qui largitione ac pollicitationibus finitimos Populos ac Principes in partes ſuas allicere conatur, is (mihi credite) non de pace, ſed de bello cogitat. Ab armis diſcedat neceſſe eſt, qui pacem ſe cupere oſtendit. Obſervanda ſunt quàm diligentiſſimè Comitis conſilia, & inde belli ac pacis ſumenda indicia. Interim verò, ne imparatos nos & ocioſos offendat, initâ belli ſocietate, quantum quiſque militum, quantum pecuniarum, quantum commeatûs in medium conferat, cavendum pacto & ſcripto cenſeo, deligendúmque Ducem optimum, cui ſumma bellicæ rei committatur. Hæc dicentem collaudârunt omnes. Verſi deinde ad componendum fœdus, tantam cuique Civitati militum ac pecuniarum vim imperârunt, quantam maximè pro facultatibus conferre poſſent, propoſito edicto, ut omnes infra dies quindecim eò ſuas mitterent copias, quo hoſtem perveniſſe, intellexiſſent, parerentque Franciſco, cui bellica cura communi omnium conſenſu erat demandata. Rebus ita compoſitis, Franciſcus Bononiam, atque deinde Mantuam contendens, à Civibus ſuis lætis admodum, quòd, vitatis Comitis inſidijs, incolumis

mis redijſſet, ſuſcipitur. Converſus deinde ad confirmanda properis præſidijs Caſtella atque Arces, foſſas eliminat, muros firmat, fidiſſimis Civibus præſidia committit. Ponte deinde jungere inſtituit duas Arces, quæ in utrâque ripâ Padi ad Burgum fortem ſunt, ne hoſtibus ingredi Seraglium claſſe liceret. Ductus pons eſt firmiſſimis trabibus munitus, ad ſuſtinendum impetum creſcentis Padi tantum infra Arces, ut qui eum reſcindere tentaſſent, bombardis, utpote in medio duarum Arcium conſtituti, facilè opprimerentur. Hoc genus inſtrumenti paulo antè bello Genuenſi excogitatum fuerat. Infixi deinde valli ſunt ingentis magnitudinis, continuato ab unâ ripâ ad alteram ordine, qui æquè inter ſe pedibus ſeptem diſtabant, ne incendi pons, immiſsâ ſecundo amne ab hoſtibus materiâ, ullo modo poſſet. Erectæ inſuper ſtabant turres contabulatis etiam pontis lateribus pinnaculorum in morem, ne defenſores ſagittis & miſſilibus hoſtium ex malis aut caſtellis navium pontem oppugnantium confoderentur. Confecto ponte, eodémque firmiſſimo præſidio munito, Mantuam rediens, perſuadentibus amicis tùm ad prolem, quâ carebat, tùm ad confirmandam tantâ affinitate ditionem, Margaritam Malateſtam, Mulierem inſignem, anno nonageſimo tertio ſupra trecenteſimum & milleſimum duxit uxorem. Dum nuptiæ magnificentiſſimo apparatu celebrarentur, nullum genus ludi & à Principe, & à Populo,

læto admodùm ob tantam affinitatem, prætermiſſum. Concurſum eſt à fortiſſimis viris, maximè verò à Galeatio Mantuano infeſtis haſtis diebus quinque, propoſito ei, qui viciſſet, nobiliſſimo præmio. Pugnæ etiam ſimulacra ſunt edita, indicia certè futuri belli, in quibus populares quidam fortiſſimè & conſtantiſſimè dimicârunt. Hæc Mulier tantæ integritatis & modeſtiæ fuit, ut ab omnibus pro Deâ fermè ſit habita. Hanc Optimates, hanc plebei, hanc pauperes adibant, ſi quid à Principe impetrare voluiſſent; ab hac nemo mæſtus diſcedebat, ſi modò rem honeſtam petijſſet. Sequenti anno Joannes Galeatius, ex Comite Mediolani Dux ab Imperatore creatus, magnos in honorem tantæ dignitatis ludos edidit, ad quos fermè omnes Italiæ Principes, præter Franciſcum Gonziacum, invitat, quòd, ſpretâ ejus amicitiâ, ſocietatem & fœdus cum Florentinis inijſſet. Tùm Franciſcus, ne quâ in re ſibi convenire cum Duce oſtenderet, abraſâ viperâ, Vicecomitum inſigni, ex Gentilitio Gonziacorum Domûs ſigno, duos Leones albos appingi fecit, Imperatore annuente, ad quem ſignis honeſtare Familias pertinet. Pingi tùm hoc inſigne, illo abraſo, paſſim per Vrbem eſt cœptum: quâ ex re tantum iræ Dux concepit, ut paulùm abfuerit, quin primo quoque tempore bellum Mantuanis indiceret. Subſtitit tamen, veritus eorum potentiam, qui cum Franciſco ſocietatem injerant. Indè odijs acerbiùs certatum eſt, cùm

neuter alteri cedere animum induceret. Subtrahere Socios invicem ſtudebant pollicitationibus ac præmijs. Dum hæc occultè magis quàm palàm agerentur, Franciſcus in Civitate veteri Arcem illam profundâ foſsâ & lateritio muro communijt, in quâ ætate noſtrâ Ludovicus nepos ædes ſumptuoſiſſimas ſtruxit. Naſcitur eodem anno Joannes Franciſcus Margaritæ & Franciſci filius, de cujus ortu non immeritò populus lætatus eſt, cùm omnium Principum ſuæ ætatis optimus, atque pro facultate liberaliſſimus, poſteà exſtiterit. At Dux oppugnare Mantuam inſtituens, Mincium, nondum inchoato bello, à ſolito alveo, perfracto monte ſupra Vallegium, divertere in planitiem Veronenſium inſtituit. Hoc flumen ex Benaco per Veronenſes in Mantuanum agrum deſcendens, retentum ad Vrbem aggeribus & ponte, Lacum ſuperiorem ſex millia paſſuum in longitudinem, in latitudinem verò mille per plana diffuſum efficit; inde in inferiorem Lacum pluribus alveis deſcendens, Suburbia Portûs claudit, piſtrina ponti inſerta efficit, quæ Molinos vulgus appellat; mediam Vrbem ad commoditatem & voluptatem illabitur; ad meridiem mœnia præterfluens paludem facit; excipit deinde tot aquas undique cadentes inferior Lacus, ſuperiore ferè dimidio minor longitudine, latitudine verò par. Hoc ab Oriente & Septentrione Mantua clauditur, omnium Vrbium Italicarum naturâ loci & manu munitiſſima, cùm

nec

nec vadò, quippe profundo ac cœnoſo Lacu vetante, nec claſſe adiri ejus mœnia poſſint, herbis & cannis paluſtribus navigationem impedientibus. Dux igitur, ut Vrbem tot ſimul opportunitatibus, retento flumine, privaret, quo facto eâdem potiri poſſe per vim credebat, aggerem trabibus circumquaque munitum ſupra Vallegium, qui totam convallẽ clauderet, ducere inſtituit, quo retentus Mincius per exciſum collẽ faciliùs in plana dilaberetur. Ad tantum opus convenêre mandato Ducis ex totâ Provinciâ architectorum, calonum, ruſticorum, tantus numerus, ut brevi moles ſit facta. Retinebatur jam flumen, nec tamen Lacus deſiccari omninò poterat, ſcaturientibus undique fontibus. Motus Franciſcus, quòd, quâ mente id à Duce fieret, optimè nôrat, Legatos properè ad Florentinos & Socios mittit, qui eos de rebus omnibus certiores factos, ad bellum primo quoque tempore decernendum adhortentur, ne, ſi diutiùs diſtulerint, expugnatam propè priùs Civitatem ſuam intelligant, quàm bellum inchoatum: Ducem Mediolanenſem id moliri, id clanculùm parare, nullâ belli mentione habitâ, ut uno conatu, nemine adjuvante, ſe ac Cives ſuos opprimat; ſatis tamen apertè bellum indici, ſi rem intueri velint, cùm, averſo flumine, quod jam tot millia annorum per ea loca illabitur, molituram, navigationem, irrigationem, atque alia fermè innumerabilia commoda, Vrbi ſuæ auferat; reticere, quâ mente

id

id à Duce fieret, cùm facilè deprehendi poſſet, illum ſe hoſtem non unius Civitatis & Provinciæ, ſed humani generis profiteri, qui vetare alteri elementa conatur; rogare Florentinos & Socios, ut dum licet, & dum aliquid adhuc ſpiritûs ſupereſt, opem paulo pòſt perituro afferant. Legatis reſponſum: Florentinorum hanc ſemper fuiſſe conſuetudinem, , ut nemini, niſi laceſſiti, bellum inferant; paraturos ſe citò ex lege Societatis pecunias & copias, ſi vim Socijs illatam audierint. Sinerent Ducem avertere flumina, moles quantumvis graves in ditione ſuâ cum magnâ impensâ ſtruere, cùm natura tandem proſtratis, aggeribus ac vallis, ad proprium curſum flumen violenter derivatum deductura ſit; arbitrari ſe, averſionem fluminis, tantâ impensâ quæſitam, majori detrimento Duci futuram, quàm Mantuano Populo, cùm habeant compertum per homines architecturæ peritiſſimos, neque exſcindi montem, quo ducturi ſunt flumen, poſſe, neque aggerem ad tantam vim aquæ diu ſuffecturum; irent bono animo, & obſervarent diligenter, ſi à Duce milites conſcriberenrur; ſi arma pararenrur; Deum ſinerent reliqua componere; tùm demùm ſi opportunè ſcitum foret, collecturos ſe copias, quæ in hibernis eſſent; ituros ſe properè Socijs auxilio. Abeuntes Legati, & quidem mæſti, re præſertim, ob quam miſſi fuerant, infectâ, ex itinere intelligunt, Mincium aggerem & trabes ſupra Vallegium diſcidiſſe, tantò-

que

que impetu Lacum mantuanum ingreſſum, ut & Vrbem totam fermè inundaverit, & medium pontem, quo ex Vrbe in Suburbium Portûs itur, diruiſſe. Læti tanto nuncio (plus enim boni quàm mali nunciabatur) ad Franciſcum pervenêre, non minùs quàm anteà de bello ſolicitum; quippe qui intellexerat, Joannem Galeatium, convocatis ad ſe omnium copiarum ſuarum Ducibus, bellum apertè Mantuanis terrâ ac Pado flumine illaturum, quandoquidem deſiccari Lacus non poſſent. Remiſſis itaque iterùm eiſdem Legatis, qui de rebus omnibus Florentinos certiores facerent, ad religionem converſus, ſi qua Dei ira in ſe aut in Mantuanum Populum ob delicta eſſet concitata, & Divo Anſelmo, Vrbis Patrono, in Eccleſiâ majori Sacellum condidit, & Eccleſiam ac Monaſterium Servorum in honorem Beatæ Virginis inchoavit. Converſus deinde ad curam rei bellicæ, ex agro Mantuano Populóque militem idoneum conſcribit; quos videt propter ætatem minùs ſtrenuè laboribus ſuffecturos caſtrenſibus, eoſdem in præſidijs Caſtellorum, Arcium, portarum collocat, ſagittis, tormentis, commeatu, miſſilibus telis eò miſſis, quo hoſtem perventurum credebat. Ex Nobilitate ducentos equites legit, qui ſe extra Vrbem equitantem comitarentur. Senioribus Reipublicæ curam demandat, ſi ei ad bellum proficiſci contigiſſet. Triumviros conſtituit, qui & aliunde in Vrbem, quantum annonæ poſſent, inveherent, &

inve-

invectam omni curâ conſervarent. Bartholomæum Gonziacum, bellicis laudibus inſignem, atque illâ ætate clariſſimum, collegam ſibi in bello cooptat. Dum hæc intentiùs agerentur, ſupervenêre Legati, nunciantes, Socios in armis habere parata ad imperium Franciſci equitum electiſſimorum ſex millia, peditum decem; his copijs hos præeſſe Duces, & quidem ſtrenuos, Joannem Barbianum, Comitem Carrarium, Hugum Elemanum, Malateſtam Ariminenſem, Franciſcum Cantianum, Antonium Obitium. Audito tanto apparatu, Dux Conſilium ad ſe vocat; rogátque, ut, quid ſentiat de bello, quod Mantuanis illaturus erat, ediſſerat. Variæ tùm obortæ ſententiæ. Qui pacem cupiebant, quiq; verebantur, ne quid inauditi mali ex concitatâ ad bellum Italiâ oriretur, ab armis diſcedendum arbitrabantur, maximè verò, quòd intelligerent, Romanos, Florentinos, Bononienſes, Flaminiam, Ferrarienſes, Patavinos, opem Mantuanis laturos, ſi bello vexarentur; vereri ſe dicebant, ne dum aliena oppugnare contendit, propria in diſcrimen adducat, tot ſimul Populis, in ſe unum, quaſi conjuratione factâ, arma ſumentibus; ſatius eſſe, dum adhuc integra res haberetur, poſitis armis, honeſtam pacem periculoſo bello anteferre, commemorantes, quæ incommoda victis ſoleant accidere. Contrà verò, qui ſumenda arma cenſebant, Ducem ad bellum adhortabantur, propoſitâ gloriâ, quæ maxima ex aucto Imperio ob

res fœliciſſimè geſtas comparari ſolet. Alexandrum, Pyrrhum, Cæſarem, Hannibalem, magno apud omnes in pretio eſſe dicebant, quòd bello multas Gentes, & Nationes ſuperaſſent; hinc factum, ut Macedonum, Epirotarum, Romanorum, Carthaginenſium fama celebris apud poſteros remaneret, quorum nomina nuſquam fortaſſe exſtarent, niſi rem militarem ſummo ſtudio coluiſſent. Sumendum omninò bellum affirmabant, dum copias, tùm equeſtres, tùm pedeſtres, dum arma, dum pecunias, & commeatus paratiſſimos ad rem benè gerendam haberet; facturum citò magnam portam ad totius Italiæ Regnum, captâ Mantuâ, quæ ſola, & temerè quidem, in faucibus Provinciæ ejus conatibus obſtaret; neque timendas eſſe collectitias auxiliarium copias, quæ facillimè ſuperantur, cùm non pro laribus ſuis, ſed pro alienis, non ſub uno Duce, ſed ſub diverſis ac varia ſentientibus, dimicaturi veniant; ſuas omnes copias, cùm unius Provinciæ ſint, non ſolùm pro gloriâ Ducis, ſed pro laribus, pro liberis, pro fortunis, conſtanter ac fortiter dimicaturas. In hanc ſententiam Dux, augendi Imperij & gloriæ cupidus, facilè veniens, Præfectos cohortium, qui in hibernis erant, admonet, ut milites non ſecùs armatos atque inſtructos ſub ſignis habeant, ac ſi paulo pòſt pugnandi ſignum accepturi eſſent. Claſſem deinde tacitus parat, quâ etiam flumine Mantuanos adoriatur.

LIBER QVARTVS.

COnſumptâ tot apparatibus hyeme, apparente jam vere, anno ſeptimo & nonageſimo ſupra trecenteſimum & milleſimum, pridie Kalendas Aprilis, Joannes Galeatius, Mediolani Dux, eodem tempore Mantuanos duobus exercitibus aggreditur, Vgolotto Veronæ ac Vicentiæ præfecto, eam partem agri Mantuani hoſtiliter cum magnâ equitum ac peditum manu de quartâ horâ noctis invadente, quæ ad Veronenſes vergit, ſubſequentibus calonibus & ruſticorum multitudine, qui carris rates & naviculas ad traijciendum Mincium ac Lacũ pervehebant. Magnæ calamitati ea incurſio Mantuanis fuit, ruſticis, utpote nil tale metuentibus, paſſim aut captis aut interfectis, pecoribúſque abactis. Furtim enim & non indicto bello Mantuanos adoriebantur. Quâ ex re factum eſt, ut priùs, propè illuceſcente jam Sole, hoſtis ſupra Lacum ad Valdarium (id ei loco nomen eſt) ſit viſus, quàm hoſtile quicquam nunciaretur, diffugientibus intempeſtâ nocte ruſticis quovis potiùs, quàm ad Vrbem, quàm certè hoſtem ire oppugnatum cernebant; diverſis tamen itineribus, ubi hoſtem paululùm ad inferiora declinâſſe, intellexerunt, per Suburbia Portûs, ab hoſte maximè averſa, pavidi & interitum ac captivitatem ſuorum complorantes, Civitatem mæſtam & trepidam ingrediuntur, rogantibus

fruſtrà Civibus, quantum copiarum hoſtis invexiſſet, quóve iturum arbitrarentur. Tùm Franciſcus non ignarus earum rerum, quæ acciderant, accuſatâ tantùm Vgolotti perfidiâ, quòd bellum de more non indixiſſet, in forum multis comitantibus provolans: Bella, inquit, Cives mei, his graviora videri debent, qui nunquam ſtrictos enſes vidêre; non autem his, qui in armis ab adoleſcentiâ educati, perferre bellicos ſtrepitus & clamores conſueverunt. Deſijt jam diu tubarum clangor noſtris auribus peregrinus videri, cùm noſtrûm major pars, aut dum obſidetur Vrbs, aut dum bellum procul à patriâ geritur, ſit genita. Pluribus bellis, & quidem gravioribus, Majores noſtri ſexcentis jam annis, non ab externo modò, ſed etiam à finitimo hoſte ſunt vexati. Obſedit hanc Vrbem triennio Eccelinus, quam Majores noſtri ita acriter defendêre, ut pluribus acceptis, quàm illatis cladibus, ſolvere obſidionem hoſtis ſit coactus. Non dico, quibus artibus ad occupandam Vrbem ſit uſus, cùm poſtremò omni genere crudelitatis & ſævitiæ uteretur, quando precibus & pollicitationibus nihil ageret. De Civitate noſtrâ actum erat, civili clade ad interitum fermè perductâ; ni boni Cives charitate patriæ moti, ſumptis armis, Tyrannos ac paricidas Vrbe expuliſſent. Quos animos, Dij immortales! Civitas noſtra habuit, à tribus maximis exercitibus, Luchino Viceconite, Maſtino Scalâ, Marchione Ferrarienſi, Ducibus non

igna-

ignaris, eodem tempore oppugnata? Hos ſumptis armis, Proavo meo Alouiſio Duce, ex agro Mantuano cum maximo eorum dedecore ac detrimento ſubmovit. Horum nepotes Bernabovem & Canem, bella renovantes, ac capto Seralio noſtram hanc Vrbem continuis incurſionibus infeſtantes, Patruus meus Vgolinus, illato obſidentibus bello, movere caſtra ad propria defendenda compulit. Idem Bernabos cum Galeatio fratre ad Montem-clarum, à noſtris poſteà fugatus, æquas pacis conditiones nequaquam aſpernatus eſt. Quòd ſi illi noſtri Majores ad primum ſtatim nuncium adventantis hoſtis concidiſſent animis, nullam profectò hodie hanc Vrbem cerneretis; tot ſimul hoſtibus diverſis temporibus Vrbem Mantuam adorientibus. Concurrebant illi ad arma, & locatâ omni ſpe in fortitudine, imperia Ducum diligenter obſervabant. Idem etiam hoc tempore faciendum eſt, ne & vos degeneràſſe à Majoribus veſtris videamini, & mihi minùs tribuere, quàm illi Patri, Patruo, Avo & Proavo meo, graviſſimis temporibus, ac maximis bellis vexati, tribuêre. Dabo ego operam, ſi à vobis adjutus fuero, ut neque peritiorem me Ducem, neque meliorem Civem, dum vixero, Patria mea deſideret. Reformidarem ego, fateor, ingenuè tantos bellorum motus, niſi ſcirem, quo cum hoſte nobis futurum certamen eſſet. Illorum hi nepotes ſunt, quorum Parentes, Avos, Atavos, noſtri quondam magnis cladibus

ſuperârunt. Tales igitur nos præſtare debemus, quales paterna avitáque gloria deſiderat, ne fortitudinis & gloriæ fundamenta, optimè ab illis jacta, à nobis ſocordiâ & ignaviâ derelicta videantur. Hoc à vobis expetunt lares noſtri, hoc uxores, hoc liberi, hoc denique tota urbana multitudo, quæ ſibi captivitatem & ſervitutem propoſitam videt, ſi paulùm de virtute veſtrâ remiſeritis. Tantus hâc oratione omnibus injectus eſt pudor, ut non citati, nomina etiam ſponte darent, pollicerentúrque ſe ituros quocunque imperaſſet, etiamſi certam mortem adituros ſe cernerent. Tùm Franciſcus, collaudatâ eorum egregiâ voluntate: Quod bonum, inquit, fauſtúmque Civitati noſtræ ſit, edico, ùt primo quoque tempore quiſque armatus ſub ſignis ſit, útque ij ad murorum & portarum cuſtodias proficiſcantur, quibus jam anteâ ea cura demandata eſt. Diviſis deinde bifariàm copijs, Bartholomæum Gonziacum cum parte exercitûs ad Burgum fortem, quò hoſtem venturum credebat, confeſtim mittit; ipſe verò, reliquo exercitu ſubſequente, cum ducentis equitibus Pleſulas contendens, eminùs cernit hoſtes, qui ad Valdarium caſtra poſuerant, pluribus naviculis Lacum traijcere. Datum tùm ſignum biremibus ſuis, quas ad cuſtodiam Lacus armaverat. Eò celeriter itaque cum clamore & impetu annavigantes Mantuani, tantum terroris hoſtibus incuſsêre, ut, priuſquam veniretur ad jactum ſagittæ, in fugam ad

ſuos,

ſuos, unde ſolverant, converterentur. Effugere non omnes potuêre, impeditæ, credo, tùm timore, tùm navigandi deſuetudine. Ad ſeptem enim captæ cum his, qui occupaturi citeriorem ripam Lacûs erant, & ad Franciſcum pertractæ, ſubmerſis duabus, quæ noſtris reſiſtere ſunt conatæ. Tùm verò Vgolottus, parùm fœliciter tentato per Lacum tranſitu, motis caſtris, ad Guaroldam contendit, trajecturus Mincium cum his navibus, quæ ſuperfuerant. Movit & eò, præſertim è regione Franciſcus, etſi ſciebat, quaſdam cohortes ibi in præſidio collocatas, quo minùs hoſtis traijceret, admonito Præfecto biremiũ, ut hoſtium navibus, quàm maximè poſſet, appropinquaret, ne ponte ratibúſve Vgolottus in Seralium tranſmitteret. Primò utriuſque exercitûs adventu, baliſtis ac catapultis cum exprobratione vernaculi vitij (ut fit) pugnatum eſt; quâ velitatione ex Mantuanis plures vulnera accepêre, quòd minus armati eſſent, utpote ad tumultum paſſim raptis armis, nec præcaventes, nondum poſitis primis tyrocinij rudimentis. Erant etiam hoſtes fermè dimidio plures, nec ullâ re magis inſtructi, quàm miſſilibus & ſagittis. Sequenti die Vgolottus, diſpoſitis in ripâ ſagittarijs, qui Mantuanos ſubmoverent, pontem ſuper naves conjunctas invicem ex tranſverſo, alligatis quoque ſimul ferreis manicis proris in Lacum verſis, unde flumen venit, ſtruere parat. Retinebantur naves tùm ancoris, tùm vallis ad

id

id infixis clavâ & ariete. Vt verò pons firmiùs & minore ſuorum detrimento perficeretur, duas naves primò contignatione & tabulatis jungebant fronte, ſiniſtrâque vallo objecto ad propulſandos noſtrorum ictus, qui eos terrâ ac flumine continuò inceſſebant, quo minùs pontem ſtruerent. Caſtella inſuper crebra erigebant, unde lapides & tela ſupernè in noſtros, qui vel in ripâ eminentiores ſtantes, vel navibus ponti ſuccedentes, opus impedire conabantur. Structo jam ex parte dimidiâ ponte, Franciſcus non ampliùs cunctandum ratus, diſpoſitis circa ripam ſagittarijs, Præfectis biremiũ imperat, ut ponti, quàm maximè poſſunt, ſuccedant, diſtineántq; telis miſſilibus, & qui in ripâ, & qui in ponte hoſtium erant; quatuor deinde ſubmittit naviculas undique coopertas, quas Gattos incolæ vocant, relictis tantùm ab uno latere feneſtris quibuſdam, unde tutò ſecuribus ac dolabris exſcindere pontem liceret. Tùm atrox utrinque coortum eſt certamen, pontem Mantuanis reſcindere conantibus; contrà verò Mediolanenſibus acriter & conſtanter defendentibus. Vterque Dux ſuos adhortabatur, non minùs præſentiâ quàm verbis, quâ maximè urgentur ad benè de Duce & patriâ promerendum milites, cùm vident operæ à ſe navatæ laudem penes unum eſſe, & non in vulgus militum efferri. Proponebat hic libertatem patriæ, ſalutem parentum, conjugum ac filiorum, ſi hâc unâ pugnâ ſuperiores fuiſſent; ille

præ-

prædam ingentem ac direptionem tàm vetuſtæ ac opulentæ Vrbis, præterea finem laborum, ſi, retento ponte, Seralium, opulentiſſimam partem agri Mantuani, ingreſſi fuiſſent. His adhortationibus adeò acriter hinc Mediolanenſes, hinc Mantuani perciti ſunt, ut multi utrinque, nullâ ſalutis ratione habitâ, caderent vulnerarentúrque, non ceſſante tamen prælio, quòd integri feſſis ac ſaucijs continuò ſubmitterentur. Dimicatum jam ad horas quinque erat, nec quicquam de ponte adhuc erat diminutum, præter paucos vallos ſupra pontem in ordinem ductos, ne aut incendi, aut propelli pons poſſet. Contis enim ac ingentibus ſaxis, omnique telórum genere in grandinis modum, Mantuanæ triremes propellebantur, ex quibus duæ ictu bombardæ jam diffractæ erant; nec Gattis ſuccedere licebat, ſuccisis ac diffractis undique remis, dum pugnæ magis, quàm navigationi intenti, per vallos & feſtucas arctè fluctibus deferuntur. At urbana multitudo, inito ſtatim prælio, quod non auribus tantùm, utpote audito clamore ac ſtrepitu dimicantium, verùm etiam fulgore armorum è mœnibus ac turribus deprehenderant, (aberat enim hic locus ab Vrbe circiter quatuor millia paſſuum) navem unam, egregiè tabulatis ac eminenti turre exſtructam, militibúſque munitam, ſuis auxilio mittit, quæ quidem, quia tardior ob magnitudinem & pondus erat, remulco propè pontem tracta eſt. Trepidare tùm hoſtes, &, qui modò

paucis biremibus reſiſtere vix poterant, tantam machinam ſuſtinere poſſe, nullo modo confidunt. Redintegratur utrinque cum clamore prælium, adhortantibus hinc & inde Ducibus. Animadvertit tùm Franciſcus, impeditis tàm acri pugnâ hoſtibus, Gattos ponti ſuccedere poſſe, catenáſque ac feſtucas excindere. Conclamans itaque ab ripâ, quid maximè fieri vellet, & nutu & voce ſuis indicat. Ii mandata Ducis impigrè obeuntes, catenas ac funes dolabris perfringunt. Solvi tùm pons cum fragore, utpote cadentibus ſuper tabulata Caſtellis, eſt cœptus. Exaudiri tùm paſſim variæ voces, hinc exultantium victoriâ, hinc verò interitum ſuorum commiſerantium, qui ruinâ pontis obtriti, undis poſtremò, ſi quid animæ ſuperſuerat, obruebantur. Ad trecentos ea pugnâ ex hoſtibus cecidiſſe, apud idoneos Autores reperio. Hoc incommodo accepto, Vgolottus, omiſsâ traijciendi fluminis ſpe, ad populationem agrorum converſus, minus incommodi Mantuanis attulit, quòd eo intervallo, quo pontem ſtruit, confugientes ad Vrbem ruſtici cariſſima quæque ſecum detulerant. Accidit peropportunè hæc victoria Franciſco. Vix enim caſtra ad Curtatonum iturus moverat, quo Vgolottum, circumacto exercitu, perventurum ſuſpicabatur, cùm celer nuncius à Bartholomæo Gonziaco venit, indicans Jacobum Vermem, copiarum Galeatij Ducem, cum ingenti exercitu ac claſſe non parvâ ſupra Arcem, quæ e regione

Burgi fortis ultra Padum eſt, conſediſſe; vereri ſe, ne eodem tempore, & Arcem oppugnet, & pontem aut diruat, aut incendat; videri ſibi ex uſu fore, ut eò properè cum exercitu contendat. Motus hoc nuncio Franciſcus, de viâ flectens, paucis horis ad Burgum fortem pervenit. Sequenti die, recognitis & pontis & Arcis præſidijs, Saviolam circiter duo millia paſſuum infra Burgum fortem, quò è regione perveniſſe hoſtem cognoverat, caſtra movit. Convexerant & eò materiam omnem ad ædificandum pontem hoſtes, paſſim everſis villis, ſubvectis undique navigijs, circa ripam comprehenſis, maximè vero baſibus molinorum, quos temerè circa ripam offenderant; ablatis inde molis, omnique eâ materiâ, quæ patentem tranſitum impedire poſſet. Pontis forma eadem fermè erat, quæ ejus, qui modò ad Guaroldam fuerat exciſus, niſi quòd majores turres & crebriores erigebant, ſuſtinentibus tantam molem carinis molinorum. Impedire hoſtem, quo minùs id faceret, præſertim ſine claſſe, Franciſcus nequaquam poterat. Mittit igitur celerrimè, qui & biremes, & omne genus navigij, ad prælium accommodati, ex Mincio ad ſe per Padum ſubvehant; qui quatriduum immorati, & quòd reficiendæ quædam naves bello quaſſatæ, & quòd per adverſum flumen, tùm quidem præaltum, ſubvehendæ erant, optati tandem ad Franciſcum pervenêre. Is delecto confeſtim ex toto exercitu robore militum, quos na-

vibus imponeret, ſagittarijſque, qui ex caſtellis navium, tùm ex ripâ, tùm ex ponte ſubmoverent, dum ſui pontem everterent, invadendi ſignum ſtatim proponit, admonitis prius, qui navibus præerant, quid maximè agendum cenſeret. At verò Mediolanenſes, poſitis in ripâ ſagittarijs, munitóque ponte, tueri inchoatum opus inſtituunt. Bombardis primò ita acriter eſt certatum, ut multi utrinque obtriti lapidibus conciderent, diffractis tabulatis ac pluteis fermè omnibus, quibus obtegi corpora dimicantium ſolent. Mox ſuccedentibus ponti Mantuanis, duabus horis adeò conſtanter dimicatum eſt, ut, utram in partem inclinaret victoria, non ſatis cerneretur. Demùm verò ſupervenientibus tribus Galeonibus, quos ad præſidium pontis ad Burgum fortè ſtructi retinere conſueverant, nudatus præ timore defenſoribus pons excinditur, ad citeriorémque ripam ad uſum claſſis pertrahitur. Vulnerati ſunt eo prælio tùm ex noſtris, tùm ex hoſtibus multi; maximè verò Corradus Comes, egregius hoſtilium copiarum Dux. Accepto hoc incommodo hoſtes, cùm neque Mincio, neque Pado traijcere in Seralium poſſent, ad prædam & populationes verſi, paſſim, nullo prohibente, per agros Tranſpadanos vagantes, Suzariam pervenêre, Caſtellum naturâ & operè ſatis munitum. Hujus potiundi per vim ſpe Corradus amiſsâ, ad corrumpendos pecuniâ, qui in præſidio erant, vertit animum. Ii nequaquam ſpretâ conditio-

ditione (quippe qui mercenarij milites erant,) quo liberiùs proditionem facerent, cuſtodem ingentis turris, & munitiſſimæ quidem, in partes ſuas largitione trahunt. Quo factum eſt, ut Corradus ſtatim ſine ullâ oppugnatione Suzariâ potiretur. Inde movens Luzariam, quod tria millia paſſuum ab eo loco diſtat, pervenit. Verùm; tentatâ per aliquot dies, & fruſtrà, cum magno ſuorum detrimento ejus Caſtelli oppugnatione, ſuccifis paſſim arboribus vineiſque, Quiſtellum verſus copias movet, præmiſſis, qui ſecum militabant Regienſibus ac Mirandulenſibus militibus, locorum propter vicinitatem gnaris, qui incurſione factâ, quantam hominum & pecorum vim poſſent, abigerent, arbitratus, eâ ratione faciliùs, aut deditione factâ ſpe reddendi captivos, aut expugnatione, captis defenſoribus, Caſtellum redigi in poteſtatem ſuam poſſe. Verùm aliter, ac cogitaverat, accidit. Prædam illi, & opulentam quidem, primâ incurſione factam jam abigebant, cùm ſubitò Caſtellani, ſumptis armis, per tramites obviam prædatoribus facti, non ſolùm pecora & captivos recuperârunt, verùm etiam ex hoſtibus ad triginta cæſis, totidémque captis, arma ipſi & equos ac ſpolia eorum ſecum victores retulêre, quos anteà primo impetu reformidaverant. Accepto tàm triſti nuncio Corradus, qui ſuis opportunè adeſſe errore viæ non potuerat, ſuſpenſo ad arborem itineris duce, à quo deceptum ſe exiſtima-

 bat,

bat, accelerare agmē jubet, ſi quo modo mederi accepto incommodo poſſet. At ruſtici, cognito per captivos Corradi advētu, ſe ac ſua omnia jā intra Caſtellū receperant, portas munierant, murū inſcenderant, parati extrema quæq; pro Civitate ſuâ pati. Eò itaq; celeriter tendens Corradus, cùm jam hoſtes recepiſſe ſe intra mœnia vidiſſet, tentandam eſſe oppugnationem ratus, caſtris circumquaque poſitis, parare ſe ad oppugnationem in ſequentem diem milites jubet. Ij noctu fabricatis ſcalis, ſarmentiſque ad complendas foſſas undique collectis, armati primâ luce ſignum expoſcentes, extrema quæque Caſtellanis minabantur, ni properè deditionem facerent. Coorti undique mandato Ducis, ægrè poſt duas horas ſuperatis foſſis ad muros pervenêre. Ibi cum nunc ſuccederent, nunc propellerentur, multi & interfecti & vulnerati ſunt. Tandem verò Corradus, non ſuccedente oppugnatione, receptui canens, re infectâ, motis caſtris, Suzariam revertitur, inde ad oppugnandam Luzariam propediem iturus, ni ei aliud eſſet à Duce imperatum. Dum hæc in Tranſpadanis regionibus agerentur, Mantuani ex Rothingio, Caſtellucio, Marcariâ collectis cohortibus, quæ in præſidijs erant, agrum Cremonenſem ingredientes, omnia longè ac latè populati, tantum prædæ unâ incurſione invexêre, quantum hoſtes tot ſimul exercitibus ex agro ſuo cæperant. Imparatos enim, & nil tale metuentes, in villis paſſim cum conju-

gibus

gibus & liberis, omnique ſupellectile ruſticos offenderant. Neque enim veriſimile fiebat, Mantuanos tot exercitibus preſſos, in alienâ prædatum ituros, maximè verò cùm tantum hoſtium à tergo relinquerent. Moti hoc ſucceſſu rerum Guido & Galeatius Torelli, qui ad præſidium Vrbis relicti fuerant, cum ducentis equitibus ac peditibus centum, caſtra Vgolotti, non longè à Caſtellare poſita, noctu lucente lunâ aggreſſi, tantam ſtragem edidêre, ut vix conclamante undique Vgolotto retineri hoſtes, quo minùs in fugam verterentur, potuerint. Capti eâ pugnâ ex hoſtibus equites centum, inter quos tres ex Nobilitate Veronenſium fuêre. Irritatus hoc accepto incommodo Vgolottus (erat enim iræ impatiens) naves undique partim vehi, partim trahi ad Mincium jubet. Conjungere enim amnem duobus pontibus inſtituerat, quo Mantuanos frequentibus populationibus vexatos, maximè verò in Seralio, quod eorum horreum eſſe dictitabant, acriùs obſideret. Fabricati magnâ ex parte pontes, eâ ratione, quâ & reliqui reſcinduntur, majore aliquantò incommodo hoſtium, quòd & graviore ſumptu, & pluribus interfectis ac vulneratis, ij quàm ſuperiores ſunt diffracti. Captæ eodem die ad triginta naves ſunt, & Mantuam ad ædificandam claſſem pertractæ, Populo admodum tantâ victoriâ læto, quòd in ſpeciem navalis Triumphi ante mœnia Vrbis pertraherentur. Hanc victoriam minùs lætam fe-

cêre

cêre quorundam Civium funera, qui ſagittis veneno delibutis vulnera per ſe haud gravia acceperant. Ægre eo die Populus à Franciſco retentus eſt, quin omnes ex hoſtibus captos trucidaret; tanta indignatio ex deſuetudine rei & crudelitate hoſtium omnium animos inceſſerat. Mittere itaque ob eam rem Legatos ad Vgolottum, qui ſe ad Caſtelletum cum exercitu receperat, Franciſco placuit, quos in tentorium receptos, ita Ducem hoſtium allocutos accepimus: Bellum inter mortales, Vgolotte, ex eo tempore ortum, apud Hiſtoricos legimus, ex quo, quæ publica anteà erant, privata vel poſſeſſione vetere vel vi eſſe cœperunt. Hinc arma ob cupiditatem & ambitionem ſumpta, ad domandos eos, qui alieni imperij jugum detrectarent, quique veteribus bonis non niſi vi ceſſuri viderentur. Horum hoc fuit conſilium, quàm minimâ cæde Civitates captas conſervare, quò & majus inde vectigal, & majorem gloriam ſuperſtitibus civibus ac conſervatâ Civitate conſequerentur Nec immeritò. Quid enim emolumenti evenire poteſt Principi aut Populo imperium quærenti ex direptis ac everſis hoſtiliter Vrbibus? Sedantur, fateor, aliquantulùm deſideria militum, qui prædæ continuò inhiant, quanquam nec eo quidem modo factum eis ſatis videri poteſt, cùm citò, quæ talibus artibus acquiruntur, neſcio, quo fato dilabantur, & pereant. At verò vectigal quotannis penſum totius Reipublicæ membra irre-

irrepit, ac percommodè nutrit. Incultus ager & dereli-ctus nil niſi vepres domino producit; cultus voluptatem cum jucunditate affert. Hinc eſt, quòd Romani illi veteres, qui rerum imperio potiri cupiebant, jura etiam ſua adverſus hoſtem obſervabant. Indicebant illis bellum, à quibus petitæ res, nec redditæ fuiſſent, cauſas ſemper, quare id fieret, afferentes. Hoc à vobis prætermiſſum eſt: quippe, qui nec veriſimilem, nedum veram ullam belli inferendi cauſam habuiſtis. Captos ruſticos incurſionibus (ut fit) illi in vitâ retinebant, vos paſſim trucidatis; Oppida illi, Caſtella, villas, ni magna aliqua cauſa ſubeſſet, conſervabant, vos ferro ac flammâ omnia conſumitis; ferro illi dimicare, atque hoſtem virtute ſuperare contendebant, vos ferrum, tanquam minùs per ſe nocens, veneno etiam armatis, quod ab omni certè humanitate eſt procul. Barbarorum hic quidem mos eſt, non eorum, qui in Italia nati atque enutriti ſunt. Immanes Barbaros dicimus, quod omni genere crudelitatis pro libidine animi utantur. Liberate, quæſo, Italiam hâc notâ & ignominiâ ſempiternâ. Exemplum veſtrum nos vel invitos ſequi cogetis. Eiſdem enim artibus refellere injuriam licet, quibus quiſque petitus eſt. Parùm abfuit, quin hâc veſtrâ crudelitâte ex vobis captis perversè conſuleretis. Retineri enim Mantuanus Populus vix potuit, cognitâ hâc inſuetâ dimicandi crudelitate, quin omnes captivos veſtros trucidaret, etſi

optimè nôrat, idem ſuos apud vos fatum manere. Apertè dimicandum eſt, & gladijs, non veneno decernendum, quem noſtrûm velit regnare fortuna. His artibus imperium faciliùs comparabitis, quàm veneno & crudelitate. Mavult enim quiſque à naturâ benè inſtitutus fortiter mori, quàm Tyrannum viſceribus ſuorum inhærentem inſpicere. Humanitate & gratiâ Reges perexiguos ac tenues, Populos potentes & magnos factos, audiviſſe me memini, cùm Ciuitates pleræque, nondum bello vexatæ, auditâ hoſtis juſtitiâ & pietate, ejus ſe fidei commiſerint; contrà verò, Dijs ita volentibus, de magno & excelſo dignitatis gradu cecidêre ij, qui crudelitate & ſævitiâ Imperium ſibi peperêre. Nihil eſt à Principe noſtro commiſſum, quare tantoperè in Mantuanos ſævire Joannes Galeatius debeat; nec ullam aliam ob cauſam nobis illatum bellum cernimus, quàm quòd Franciſcus non amicitiam Ducis veſtri, quam ſemper optavit, ſed belli ſocietatẽ ſprevit. Æquo enim fœdere cum omnibus finitimis ſemper vivere concupivit. Hoc indignatus Dux veſter bellum nobis intulit. Sit ſanè bellum, ut eſſe debet; interfectos in prælio cum honore & gloriâ ſepeliamus; captis, ſi meruerunt, ignoſcamus, viciſſitudinis rerum humanarum memores. Ferire hoſtem, & cum quovis genere armorum è medio tollere, dum dimicatur, licet; hoc virorum fortium proprium eſt; veneno autem utuntur parricidæ, latrones, adulteri, graſſato-

ſatores, hæredipetæ, qui nil ingenuè, nil apertè conari audent. Ad hæc Vgolottus breviter reſpondet: Bella ex libidine eorum geri, à quibus inferuntur, non autem ex eorum arbitrio, quibus illata ſunt; neque enim bella dici poſſe, ſi quæſita eſſent hoſtium commoda; diripere Vrbes, eaſdémque evertere, villas incendere, arbores ſuccidere, agreſtes occidere, & quicquid ad manus hoſtium venit, obterere, bellantium propriè morem eſſe, quò facilius ad deditionem cogantur hoſtes; morem illum veterem indicendi belli jam diu exoleviſſe; bella ideò ſuſcipi, ut, quâcunque ratione poſſent, victores victis leges imponant; irent, & exſpectarent his longè pejora à ſe & ab alijs exercitibus, ni properè deditionem facerent; veneno ſe, & quâcunque vi poſſet, graſſaturum in hoſtes, quando ita Duci ſuo placeret. Accepto tàm ſuperbo reſponſo, Legati domum redeuntes, expoſitâ in concione, Franciſco audiente, Vgolotti ſententiâ, ad ſuſtinendum bellum indignitate rei omnes concitârunt. Certatum eſt deinde cum exercitu, cui Vgolottus præerat, inimico magis quàm hoſtili animo. Is item, ne qua pars Mantuani agri belli immunis eſſet, Hoſtilianis, è regione Reveri in agro Veronenſi poſitis longè ab Vrbe Mantuâ paſſuum viginti millia, imperat, ut armatis, quàm plurimis poſſent, navibus Reverenſes continuo bello vexarent, qui à ſe Pado tantùm flumine dirimuntur. Mandata illi facientes, duodecim

cim actuarijs navibus ita omnia trans & citra Padum infeſta reddidêre, ut Mantuani precibus ſuorum fatigati, eò mittere partem claſſis ſint coacti. Crebra tùm inter eos committi certamina, nec alter alteri cædibus & rapinis cedere. Prodire extra navalia Hoſtiliani, & aperto marte cum Reverenſibus decernere, nequaquam tamen ſunt auſi, quòd eos magnitudine navium & robore militum ſuperiores futuros videbant. Navalia utrumque Oppidum in ripâ Padi è regione poſita habuit, munita grandioribus vallis & ligneis caſtellis. Accidit tùm noctu, præſertim dum alter alterum obſervaret, ut ex turri Hoſtilianâ baliſtarius quidam ad tentandam fortunam ferventes fuſiles, pice & bitumine illitos, in Reverenſium naves, minùs tùm diligenter cuſtoditas, mitteret. Quibus factum eſt, cùm paulatim ignis non obſervatus (quippe dormientibus vigilijs) in pulverem ſulphureum ad uſum bombardæ reconditum ſerperet, ut uno fermè momento tota claſſis incenderetur. Diffugere pauci conati, dum ſe in flumen obſcurâ nocte proijciunt, rapidis vorticibus obruuntur. Sunt, qui ſcribant, Mantuanos hoc incommodum non ab hoſtibus, ſed à ſuis accepiſſe, minùs diligenter aſſervato igne, qui ex tabulato ſuperiore per rimulas in pulverem cadens, nulli ſpatium, aut ad extinguendum incendium, aut ad fugiendum dedit. In hanc opinionem, ut magis inclinem, facit diſtantia turris, unde ſupernè in na-

ves

ves immiſſum ignem diximus, & quòd vix eò nuda ſagittâ mitti poteſt, & quòd non ſine ſplendore & fragore, quibus cerni & audiri fuſiles ad præcavendum immitti ſoleant. Vtcunque tamen ſit, hoc incendium magno detrimento Mantuanis fuit,tot ſimul exuſtis & navibus & viris. At verò, qui ad Luzariam caſtra poſuerant, diuturnâ oppugnatione feſſi, cùm nihil vi acturos ſe tandem viderent; quippe Oppidanis acriter defendentibus, ad dolos converſi, tentatâ nequicquam pollicitationibus cuſtodis Arcis fide, ejus filium longè paternis moribus diſſimilem corrumpere ad prodendam Arcem pecuniâ tentant. Erat autem hic adoleſcens ſui prodigus, alieni avidus, luſtris, ventri & aleæ deditus; quibus ex vitijs ad unumquodque ſcelus pecuniarum causâ, quæ omnium libidinum inſtrumenta ſunt, facilè propellebatur. Ad hunc noctu gregarius quidam, qui ante bellum in præſidio ejus Arcis cum adoleſcente familiariter vixerat, trajectâ foſsâ, quâ maximè breviora vada eſſe ſciebat, clàm profectus, arcis proditionem mille & quingentis aureis numis paciſcitur. Differre rem in alienam noctem fuit neceſſe, illuceſcente tùm propemodum aurorâ. Sequenti die adoleſcens, pluribus cuſtodum largitione in ſententiam ſuam pertractis, appetente jam nocte patrem capit, captum in vincula conijcit; reliquos cuſtodes, quos in ſententiam trahere nequiverat, obtruncat. Arcem de tertiâ horâ noctis, apertâ portâ,

quæ in caſtra vergebat, hoſtibus prodit. Sequenti die manè Oppidani cernentes, hoſtem in Arce eſſe, & jam oppugnationem undique parari, non ſuffecturi ad tantos impetus, ſe ac ſua hoſtibus dedunt. At Reverenſes, acceptâ iterùm à Mantuanis ſatis juſtâ claſſe, emendare acceptum incommodum cupidi, Hoſtilianas naves, Padum pro arbitrio tanquam victrices die ac nocte navigantes, magno impetu quatuor millia paſſuum intra Hoſtiliam aggrediuntur, quæ ad ripam ſuam delatæ, catenisque invicem connexæ, quò noſtris acriter oppugnantibus commodiùs reſiſterent, ad unam omnes incenſæ & exuſtæ ſunt; conjecto ex malis noſtrarum navium, quæ eminentiores erant, in inferiores & prælio occupatas igne. Non contenti hâc victoriâ Reverenſes ſucceſſu rerum læti, tres reliquas naves ad præſidium octo molinorum, qui ſub ipsâ ripâ Hoſtilianorum propugnaculis muniti erant, cum ipſis etiam molinis incendunt, fruſtrà defendentibus Oppidanis, qui eam cladem maximo omnibus detrimento futuram cernebant, tot ſimul exuſtis viris, piſtriniſque, unde panis conficitur, incenſis. Tùm Reverenſes, ſublatis hoſtium navibus, pro arbitrio longè ac latè vagati, magnam quotidiè ex hoſtibus prædam convehebant. Quâ re permotus Vgolottus, Hoſtiliam movens, intelligit ab Oppidanis, adventare in auxilium Mantuanorum magnam Venetorum claſſem; eſſe ex ſuo & Ducis uſu, antequam tanta claſſis ſubveheretur,

retur, Mellariam, quæ ab Hoſtiliâ ſecundo amne tria millia paſſuum diſtat, oppugnare, & captam firmiſſimo præſidio munire, ne amplius receptaculū ſit hoſtibus ad invadenda loca circumquaque vicina. Eò itaque Vgolottus properè ducens, Caſtellum brevi expugnat. Ardebat undique bellum, quo Mantuanis tot ſimul hoſtibus erat reſiſtendum. Nam & Veronenſes à ponte Poſſero Caſtellare infeſto agmine venientes, tantam inde prædam avexêre, quantam unquam anteà hoc bello; & Cremonenſes Olium amnem traijcientes, adeò rapinis & incendijs eam regionem infeſtabant, quæ inter Marcariam & Caprianam eſt, ut Caſtellucianos ad deditionem deſperatione fermè compulerint, his conditionibus, ut, receptis captivis, Caſtellum hoſtibus traderent. Verùm Franciſcus, eò cum equitibus quingentis ac peditibus centum celerrimè contendens, captis his, qui deditionem facturi erant, Caſtelloque præſidio centum equitum totidémque peditum munito, Mantuam, proditores in vincula trahens, redijt. Capitur eodem fermè tempore & ab hoſtibus tranſpadanis Butifredum incuriâ illorum, qui in præſidio erant. At fortiùs & conſtantiùs defenſus Marcariæ pons, quem, ne Mantuanis tranſitus in agros ſuos daretur, Cremonenſes diruere & incendere parabant, devectis ad id ratibus, lignis atque omni ad incendium faciendum materiâ onuſtis. Certatum eſt ibi continuo biduo cum magno utriuſq;

par-

partis interitu; ex Cremonenſibus tamen plures vulnerati & interfecti, quòd tùm ex Arce, unde pons ducitur, tùm ex caſtellis & tabulatis in ponte erectis, plurimi hoſtium & terrâ & flumine incautè ſuccedentium facilè opprimebantur. Cremonenſes itaque re infectâ abeuntes, nunquam ampliùs eam oppugnationem tentare ſunt auſi, primâ haud ſatis proſperè ſuccedente. Cùm hæc agerentur, Carolus Malateſta, cui maximum eâ tempeſtate in re militari nomen erat, cum mille & quingentis equitibus Mantuanis auxilio veniens, ita Brixianos incurſionibus vexavit, ut ne cives quidem egredi portas auderent, quibuſdam prælijs, dum noſtros à populationibus arcere ſtudent ante mœnia fuſi. At Brixiani, tot malis, captâ Caprianâ, unde Mantuani continuò procurrebant, finem imponi poſſe arbitrati, cùm vi non poſſent, dolo Arcem munitiſſimam occupare adnixi, Calabrum quendam, qui in præſidio erat, pecunijs ad prodendam Arcem impellunt. Verùm detectâ proditione, ac ſumpto de proditore ſupplicio, tantâ ſpe fruſtrati, iram omnē in Caſtellum perexiguum admodùm, quod Capellam vocant, convertunt; quo expugnato, ob interfectum ſagittâ, dum oppugnatur, Centurionem, in patriam redeuntes, Legatos ſtatim ad Ducem mittunt, petentes tantum militum, quantum ſat eſſet ad coercendos à populationibus, quibus crebrò vexabantur, hoſtes. Intereà autem Reverenſes omnem conatum opri-

primendorum Hoſtilianorum cauſâ facturi, cum his navibus, quæ à Venetis Mantuanis auxilio venerant, ad ulteriorem ripam tendentes, combuſtis priùs omnibus circumquaque villis, quò ex dolore tantæ jacturæ hoſtem ad certamen in campum pertraherent, eiſdem progredientibus, terrâ ac flumine oppugnare oppidum operâ munitum contendunt. Verùm cùm nihil uſque ad multum diei factum eſſet, pluribus, dum muros incautiùs ſubeunt, cadentibus, canere receptui inſtituunt, bombardis priùs murum demoliturі, quò facilior militibus ad invadendum pateret aditus. Turbavit hoc conſilium repentinus Petri Raimundi, Venetarum navium Præfecti, diſceſſus cum ſeptem ac viginti navibus abeuntis. Brixiani verò acceptis aliquot à Duce cohortibus, oppugnare Ceraſarium, quod à Caprianâ ſeptem millia paſſuum diſtat, adorti, ægrè ſe à noſtrorum impetu defenderunt, qui Ceraſarianis Antonio Obitio Duce miſſi auxilio fuerant, quò minùs Caſtellum ſidum & non adeò naturâ ac manu munitum expugnaretur. Deſiderati eo prælio multi ſunt, quòd ad horas tres conſtanter magis, quàm cautè pugnatum eſt. Diremit nox certamen, quâ Brixiani abeuntes noſtris confeſſionem victoriæ reliquêre. Tùm Antonius, relicto ibi modico præſidio, Mantuam ad Franciſcum properè rediјt, quòd ſciebat, illi in animo eſſe, Luzarienſes ac Suzarienſes vaſtationibus adoriri. Comparato itaque magno pe-

ditatu, Franciſcus cum duobus millibus fortiſſimorum equitum Padum traijciens, infeſto agmine inter utrumque Oppidum procedens, villas incendit, arbores & ſata nondum matureſcentia ſuccindit, ne inde commeatus hoſtibus, oppugnare Seralium parantibus, præberetur. At verò, qui claſſi hoſtium præerant, audito Franciſci trajectu, in pontem, ſecundo flumine venientes, impetum faciunt; quo reſciſſo videbant Mantuanum exercitum, utpote in alieno confidentem, & à ſuis excluſum, opprimi facillimè poſſe. Nec procul abfuit, quin omnia ex ſententiâ hoſti cederent, adeò negligenter pons ipſe cuſtodiebatur. Procurrit tùm, audito clamore, Guido Torellus, quem Franciſcus in ulteriore ripâ Padi cum cohorte reliquerat, ne à ponte, ſupervenientibus hoſtibus, intercluderetur, & hoſtes, jam ponti ſuccedentes, lapidibus ac telis ſupernè in naves conjectis referre pedem compulit. Hîc quidem incautiùs pugnans, quippe qui rem Mantuanam in magno diſcrimine videbat, gravi ſagittæ vulnere transfigitur. Sequenti die Franciſcus, magnâ ex Tranſpadanis abactâ prædâ, ad Burgum fortem rediens, ſuperioris diei diſcrimine motus, majore præſidio pontem munit, collaudato (audiente toto exercitu) Guidone Torello, cujus operâ ſervatum pontem videbat. Dum hæc à Franciſco agerentur, Malateſta Ariminenſis Veronenſem agrum ingreſſus, perfracto muro, qui à Vallegio ad Villam Francam, atque

inde

inde uſque ad paludes per plana Veronenſium ducitur, Veronam uſque infeſto agmine contendit. Verùm inde pulſus, ſuperveniente Vgolotto, plus detrimenti ex eâ incurſione quàm emolumenti retulit, quibuſdam etiam ex ſuis interfectis, ac nonnullis, dum pedem refert, in itinere captis. Eò & Franciſcus Cantiana, haud ita multo pòſt incurſionem facturus cum ſuis contendens, ubi paululùm intra murum proceſſiſſet, nondum diffuſo ad prædandum agmine, ingens ruſticorum agmen obvium habuit, quocum adeò uſque ad duas horas dimicatum eſt, ac ſi in armis ætatem egiſſent. Tandem verò, cùm nec ordines retinerent, nec benè admonentium dictis obtemperarent, funduntur. Ex his ad quinquaginta interfectis, pluribúſque vulneratis, vivi ad centum & triginta ſeptem capiuntur. Hâc victoriâ nequaquam lætus Franciſcus Cantiana, quippe, qui ex ſuis pleroſque ſtrenuos in re militari viros amiſerat, ad Vrbem cum captivis redijt, communicaturus cum Franciſco Gonziaco belli gerendi conſilia, quòd jam Marcaria ab hoſtibus pluribus diebus acriter obſidebatur, & ex militibus, qui in præſidio erant, unus ſimulatione transfugæ, primò in caſtra hoſtium, inde Mantuam ſe contulerat, nuncians Marcariam propediem venturam in poteſtatem hoſtium, ni properè auxilium mitteretur. Eò itaque Vgo Comes celeriter cum aliquot cohortibus miſſus, ut noctu caſtra hoſtium irrumpens, in Oppidum, cum quibus

poſſet, militibus pervaderet, ex itinere intelligit, hoſtes Oppido potitos fuiſſe. Supererat Arx, & quidem munita, quam intra dies paucos, prodente Præfecto, in poteſtatem ſuam hoſtes redegêre. Hinc mala propè infinita Mantuanis oborta, hoſtibus paſſim longè ac latè vaſtantibus. Caprianã deinde oppugnare aggreſſi, acriter defendentibus Oppidanis, ſtativa dierũ aliquot ibi habuêre, ubi à Mantuanis, nunc laceſſentibus, nunc laceſſitis, crebra cõmittebantur prælia; incurſionibus etiã infeſta omnia reddebantur, maximè à Corrado Duce, viro impigerrimo; qui trajecto Mincio cũ trecentis equitibus ac peditibus ducentis levis armaturæ Caſtilionẽ, à Caprariâ averſum, prædã facturus, contendit, arbitratus id, quod erat, Oppidanos minùs diligenter, cùm longè ab hoſte remoti eſſent, pecora obſervaturos. Veniens non fefellit Bartholomæum Caſtellum, Virum in re militari præſtantem, cui Franciſcus tutelam Oppidi commiſerat. Is itaque venienti hoſti, quod per exploratores cognoverat, obviàm cum præſidio factus, non ſolùm eum à populatione coërcuit, verùm etiam in fugam, ſuis acriter inſtantibus, compulit. Ex hoſtibus eo die ad equites ſexaginta, & pedites centum & viginti capti. Tùm Comes Vgo, æmulatione gloriæ motus, acceptis à Franciſco quingentis equitibus totidémque peditibus, nocte intempeſtâ hoſtium caſtra invadit. Ij, ſumptis armis, adeò frigidè reſtitêre, ut vix à fugâ retenti ſint,

Cor-

Corrado Duce nequaquam clamante, ab Vgone temerario id vel cum paucis equitibus fieri, quem facillimé in fugam converterent, ſi paulùm admodùm ejus impetum ſuſtinerent. His verbis permoti hoſtes uſque ad lucem pugnam ſuſtinere, neque tamen egredi luce palàm, cognito etiam noſtrorum numero, ſunt auſi, tantus eos ex prælio nocturno pavor invaſerat. Tùm Vgo iratus, quòd temerarium ſe à Corrado appellari intellexerat, progreſſus ante ſtationes hoſtium, vocari ad ſe Corradum juſſit. Quod ubi homini nunciatum eſt, ratus colloquium ob veterem amicitiam & neceſſitudinem peti, (ambo enim Germani erant, & eiſdem in caſtris perſæpè militaverant) haud cunctanter proceſſit. Tùm Vgo, ubi Corradus in conſpectum venit: Provoco te, inquit, Corrade; ſumamus arma, & ſedentibus reliquis, uter noſtrorum bello ſit melior & conſideratior, decernamus. Ad ea Corradus: Neutri deeſſe hoſtes, quibus concurrant; ſe etiam in acie, ſi occurrerit, declinaturum, ne & neceſſitudinis & veteris amicitiæ jura nefandâ cæde violet. Increpare tùm ferociùs Corradum Vgo, quòd nec amicitiæ nec neceſſitudinis jura ille dicatur obſervare, qui probra in inſontem & abſentem præſertim jaciat; ſe tali viro & hoſpitij & neceſſitudinis jura renunciare; ſi vir eſſet, congrederetur, aliter, ſe habiturum eum pro ignavo & timido. Diu conantem Corradum perculêre Centuriones, ne detrectaret

 cer-

certamen. Sumptis itaque armis, ac conſcenſo equo, in planitiem Oppido ſubjectam deſcendit. Nulla ab utroque fit mora, infeſtis equis concurritur; haſtam uterque in ſcutum advenientis infringit. Circumactis deinde equis, ac ſtrictis enſibus ſe invicem punctim & cæſim petunt. Dum ictus à Corrado majore animo quàm vi inferuntur, excutitur ei è manu ab Vgone gladius. In fugam igitur Corradus ad ſuos verſus, Vgonem, ignaviam hominis increpantem, declinat. Tùm Vgo ad ſuos rediens, cum magnâ laude & gratulatione militum ad Vrbem quaſi ovans revertitur, ubi & laudatus mirificè, ac donis pluribus donatus eſt. Non quieſcebant Reverenſes & Hoſtiliani, bello, terrâ ac flumine ſe invicem vexare; quo quidem Hoſtiliani ad id penuriæ devenerant, interclusis à Veronâ itineribus, ut propediè m, niſi eſſent adjuti, deditionem facturi viderentur. Veronenſes igitur ſuorum diſcrimine moti, magnam vim frumenti carris & jumentis cum ſatis firmo præſidio, ne interciperetur, Hoſtilianis mittunt. Verùm non longè ab Hoſtiliâ aberant, cum ſubiti ex inſidijs coorti cum ſatis validâ manu Antonius Obitius ac Franciſcus Cantiana, & præſidium cœpêre, & carros omnes cum jumentis abegêre. Acriùs tùm Hoſtiliani obſideri ſunt cœpti, maximè verò ſuperveniente Comite Carrariâ, Franciſci Gonziaci genero, cum equitibus mille & ducentis, & cohorte robuſtiſſimorum peditum, qui adeò Mantuano-

rum

rum animos auxit, ut ad oppugnandas turres, quæ duobus millibus paſſuum longè ab Hoſtiliâ in paludibus ſunt, quæque Veronenſibus tutum iter Hoſtiliam præſtant, viâ admodùm anguſtâ æſtuaria dirimente, cum machinis & bombardis perrexerunt. Capta ex duabus altera cum magno militum incommodo, quippe qui adire oppugnationem, niſi viâ anguſtâ non poterant, unde vitare tela anguſtiâ locorum nequaquam licebat, tot ſimul congredientibus. Ab oppugnatione alterius abſtinuêre, ſatis hoſtibus intercluſum iter exiſtimantes, unâ captâ, ac firmo præſidio munitâ. Inde enim hoſtem arceri poſſe videbant, quò minùs commeatum Hoſtilianis ſubmitteret. At Malateſta, ne hoſti requies ulla daretur, aſſumptis duobus millibus equitum, nocte intempeſtâ Mantuâ egreſſus, Veronenſem agrum populabundus ingreditur. Verùm Vgolottus, qui Hoſtilianis pœnè obſeſſis cum equitibus mille & ſexcentis opem, annonam importando, laturus erat, cognitâ per ruſticos paſſim fugientes hoſtium incurſione, relicto ad Inſulam Scalæ frumento, ad eam partem dirupti Seralij agmen celerrimè ducens, quò noſtros in patriam redeuntes onuſtos prædâ venturos ſciebat, arbitratus eos feſſos labore itineris & incurſionis, ac impeditos ſarcinis raptarum rerum, jumentis ac pecoribus abigendis, facilè à ſuis integris ac expeditis opprimi poſſe, aut ſaltem, ut prædam dimitterent, cogi. Vt ratus erat, ita acci-

accidit. Ad egreſſum muri redeuntes, obvios habentes hoſtem, dimiſsâ, quò expeditiùs pugnarent, prædâ, faciliùs quàm putâſſent, evasêre, hoſte ipſo de induſtriâ loco cedente, ne Mantuani ad virtutem neceſſitate compulſi, prædam ſimul cum victoriâ reportarent. Tùm Vgolottus, recuperatâ prædâ, eâdémque dominis redditâ, commeatum Hoſtilianis convehit, nemine vetante, quòd jam omnes Mantuanorum copiæ Seralium ingreſſæ, Jacobo Vermi, inclito eâ tempeſtate Joannis Galeatij copiarum omnium Duci, cum magno exercitu terrâ ac flumine adventanti, ad Burgum fortem, quò eum perventurum putabant, obviã fiebant. Matureſcente enim jam ſegete, unde & annona facilior militibus, & pabula equis abundantiora haberentur, omnibus ſimul copijs Mantuanos adoriri Mediolanenſium Dux inſtituerat. Pons ad Burgum fortem exſtructus hoſtium conſilia maximè turbabat, quòd eo ſtante navigare flumen pro arbitrio non poſſent, quódque etiam Tranſpadana Oppida ab incurſionibus noſtrorum minimè libera fore videbant, in quibus ſtante ponte præſidia relinqui cum imminutione exercitûs neceſſe erat. Optimum itaque primò viſum, & Arcem expugnare, quæ in ulteriori ripâ fluminis ad caput pontis eſt, & pontem ipſum igne, ferro & quâcunque vi poſſent, reſcindere. Poſitis igitur ad Arcem caſtris, caſtellóque prædalto munito, unde baliſtis & omni genere tormentorum & pontis & arcis

Arcis præſidium oppugnari poſſet, bombardas ingentes in pontem & Arcem dirigunt, quarum ictibus quaſſatus pons, ægrè à Mantuanis refectis propugnaculis funibúſq; ad laxa machinamenta perductis defendebatur. Cadebant utrinque multi; vulnerabantur plures ſagittis ac telis miſſilibus, quæ non ita commodè in anguſtis locis vitantur, maximè verò diffractis pluteis ſolutiſque propugnaculorum tabulatis, quæ ad tutelam defendentium exſtrui ſolent. Inſtabant & à latere, ſecundo flumine paulatim deſcendentes, ſeptem & quinquaginta galeones, ex quorum propugnaculis, igne, ferro, molybdovolis bombardis Mantuani continuò inceſſebantur. Non cedebant tamen, tot ſimul locis undique oppugnati, & integri continuò feſſis ac ſaucijs ſubmittebantur. Animadvertit tùm Franciſcus, ad ulteriorem Arcem perſæpè commeans, hoſtes, utpote nemine laceſſente, caſtra negligenter cuſtodire; nec ab re fore, relicto ad pontem firmo præſidio, Padum amnem cum tribus millibus equitum ac peditibus mille & octingentis ad Sanctum Benedictum ſeptẽ millia paſſuum à Burgo forte traijcere, ne ejus rei ſenſus ullus ad hoſtes perveniret; clàm deinde eorum caſtra adoriri, dum Arcem & pontem intentiùs oppugnant. Laudato hoc à cæteris Ducibus conſilio, militibúſque, quos ſecum ducturus erat, curare corpora, ac in armis ad edictum cum cibarijs trium dierum eſſe juſſis, de

 pri-

primâ vigiliâ ſilenti agmine ex caſtris abiens, Padum pluribus ratibus, ad id præparatis, flumen traijcit, inde per ulteriorem ripam lento gradu, ne milites labore itineris feſſi in prælio ſuccumberent, ad hoſtes equitans, ante auroram duo millia paſſuum longè ab hoſte in loco frondoſo & herbido conſedit, præmiſſis exploratoribus, qui ſe de inchoatâ oppugnatione admonerent. Non diu immoratus, intelligit ab exploratoribus prælium inchoatum, quanquam id quoque clamore & ſtrepitu tormentorum deprehendi facillimè poſſet. Inſtructis itaque aciebus, admonitiſque, quid fieri oporteret, militibus ſatis ad pugnam ſuâ ſponte incitatis, uno agmine caſtra hoſtium negligenter cuſtodita irrumpunt. Pavor tùm ingens & trepidatio Mediolanenſibus injectus, conſpectis intra munimenta hoſtibus. Tùm verò Jacobus Vermes, omiſsâ pontis atque Arcis oppugnatione, totus ad defendenda caſtra converſus, inermibus & ſubitâ re perterritis, animos atque arma ſumendi dat ſpatium. Dimicatum eſt in ipſo vallo diu atque acriter. Tandem verò, cùm pauci à pluribus opprimerentur (ad ſex enim equitum millia & peditum octo præter calones & fabros in exercitu fuiſſe, Guido Gonziacus ſcribit) Franciſcus receptui canens, ſuos incolumes & onuſtos prædâ, quippe direptis magnâ ex parte hoſtium caſtris, nemine inſtante, recipit. Nam & eruperat Malateſta per pontem cum reliquis copijs, & jam

ignem

ignem caſtello hoſtium injecerat, paucis, qui intùs erant, acriter defendentibus. Vnde eò Jacobus, relictis paucis cohortibus, quæ caſtra defenderent, celerrime agmen rapit; ſed jam ignis & caſtellum & præſidium exuſſerat, & Malateſta undecim bombardas æneas non adeò magnas, & magnam vim baliſtarum tormentorúmq; omnifariàm, quibus & Arx & pons continuò oppugnabatur, ex hoſte ceperat. Ad tentandam tamen virtutem ſuorum, paucis aciebus cum hoſte congreditur; quo prælio ad horam ſuperior factus, hoſtium continuò magnâ ſuperveniente multitudine, per pontem ſuos, lætos ejus pugnæ fœlicitate, in caſtra perducit. Hanc victoriam minùs lætam fecêre quidam milites ab hoſtibus capti, dum Franciſco inſcio à reliquo exercitu clàm digredientes, prædatum in diverſa abeunt. At Jacobus emendare acceptum incommodum cupiens, vallo, foſsâ, firmioribus quàm anteà propugnaculis, caſtellum ante pontem reficit, ne à Mantuanis ferro aut igne lædi poſſet, ſumptiſque ex claſſe bombardis ac baliſtis, pontem majore quàm anteà vi & noſtrorum incommodo oppugnat. Facile enim erat, ex loco ſuperiore in ſubjectos, à fronte & à latere petitos, tela conijcere. Redierat jam in caſtra Franciſcus, cujus prudentiâ, refectis tabulatis quibuſdam munimentiſque, pons acerrimè defenſus eſt. Sed ire obviàm fato nequaquàm licet. Dij profectò his mentem aperiunt, ſegnibus etiam

& deſidibus, quos jam anteà in tutelam recepêre. Flare coeperant à ſeptentrione venti tanto cum impetu, ut duas naves, quæ ſupra pontem ad tutelã ejuſdem religatæ ad ripam citeriorem erant, fractis rudentibus ad hoſtium claſſem, quæ in ulteriore ripâ conſederat, nautis fruſtrà retinentibus, impellerent. Hæ cùm fruſtrà ab hoſtibus oppugnarentur, acriter, qui intùs erant, defendentibus, igne tandem injecto, cum fortiſſimis viris, qui ad centum ſunt habiti, exuſtæ ſunt. Hâc eâdem fortunâ duce, &, quid faciendum eſſet, quaſi clarâ voce admonente, diffractâ priùs cum magno ſuorum interitu catenâ ferreâ, quæ naves retinebat, quo minùs ponti adhærerent, rates quinque, facibus, pice, oleo, bitumine, ſulphure interlitis, in pontem, terrâ etiam oppugnatum, igne ſuccenſas immisêre, vento paululùm, quaſi de induſtriâ à ſeptentrione ad occidentem plagam ſeſe vertente, ne quidquam ad fœlicitatem hoſti deeſſet. Stabat in ponte Franciſcus, & quid faciendum eſſet, unumquemque admonebat, quanquàm verò præ ſtrepitu & clamore, benè admonentis voces nequaquàm exaudiebantur. Difficile prætereà erat in tanto fumo cernere, quid maximè agendum eſſet. A' Dijs enim & ab hominibus oppugnari pons eodem tempore videbatur, tanta vis & telorum & ignium inſtabat. Succenſus totidem locis pons, quot ipſæ rates immiſſæ erant, vento ipſo acriter flammam in tabulata flectente, vix Franciſco reditum

tum ad ſuos præſtitit. Verſi tùm omnes, qui in præſidio pontis erant, ad cavendum ſibi ipſis, cùm jam ampliùs exſtingui incendium non poſſet, ſeptis ad redeundum vijs, aut in ipſo ponte combuſti ſunt, aut dum ſe in amnem magnum ac rapidum immittunt, vorticibus abſorbentur. Miſerabilis ea clades etiam hoſtibus videri potuit, tot viris ſimul eodem momento conſumptis. Exuſto ponte, hoſtium claſſis pro arbitrio Padum navigans, paucas naves, quæ ad tutelam pontis venerant, in fugam convertit. Tùm Franciſcus, motis repentè caſtris, ne & claſſe ſimul & terreſtri exercitu, qui ratibus continuò traijciebatur, opprimeretur, Mantuam contendit, ad ſedandos tumultus, ſi qui ex accepto incommodo eſſent concitati, & ad firmandam præſidijs Vrbem, ſi eam oppugnare hoſtis inſtituiſſet. Digrediuntur ab eo in itinere mercenarij quidam, rei Mantuanæ diffidentes, à quibus, paſſim per agros ſparſis, hoſtilia quæque Mantuani agreſtes ſunt paſſi. Tumultuoſiora omnia, quàm putârat, Franciſcus in Vrbe offendit, concurrentibus undique multis, qui præ metu omnia in majus efferebant. Mulierum ploratus undique exaudiebantur, & in publicum quædam, raptis ſecum virginibus & pueris, effuſæ circa templa diſcurrunt, crinibus ſparſis altaria verrentes, ac nixæ genibus ſupinas manus ad Cœlum tendentes, Deum ac Sanctos omnes precabantur, maximè verò Beatam Virginem, in cujus tutelâ mulieres ſunt, ut Vr-

bem è manibus hoſtium eriperent, útque Mantuanas matres & liberos parvos inviolatos conſervarent. Præſtò adſunt Cives omnes Franciſco, &, quid imperet, rogant. Offerunt ſe omnia facturos, ituróſve, quo Franciſcus imperâſſet. Tùm Franciſcus, collaudatâ Civium voluntate, eiſdémque gratijs habitis, quòd de Republicâ non deſperâſſent, quoſdam & maximè ſeniores deligit, quibuſcum de rebus gerendis conſultaret: alios in alia officia partitus, præſidia in Arce, in muris, in portis, in foro circa Vrbem diſponit. Maximè verò ei curæ fuit, ut frumenta undique in Vrbem conveherentur, ne commeatus, ſi ita accideret, obſeſſis deeſſet. At Jacobus Vermes tantâ victoriâ lætus, dimiſſis tantùm cohortibus aliquot, quæ Arcem tranſpadanam expugnarent, reliquum exercitum in Seralium traijciens, omnia cædibus, rapinis, incendijs paſſim complet. Tùm verò pavor & tumultus in Vrbe redintegratus eſt, confugientibus undique ruſticis, uxoribus ac liberis paſſim tractis. Nec ambigitur, Jacobum Civitatem trepidam eo die fuiſſe capturum, ſi mœnibus victorem admoviſſet exercitum. Verùm, Deo ita volente, ad Govérnolum movens, reſpirandi ac colligendi ſe ex tantâ trepidatione Mantuanis tempus dedit. Confirmatâ urbanâ multitudine, Franciſcus veritus, ne Govérnolum, Oppidanis perterritis, in deditionem hoſtium veniret, Bartholomæum Gonziacum cum equitibus ducentis lectiſſimæ

juven-

juventutis, peditibus ſexcentis confeſtim eò mittit, ut irruptione factâ, retentis his, quos ſatis ad defendendum Oppidum arbitraretur, reliquos ad Vrbem remitteret. Is, ubi ad hoſtes venit inermes, & nil tale opinantes, ac paſſim ritu pecorum per herbida prata jacentes, eos clamore & impetu ita perterruit, ut, relictis tabernaculis atque equis ad præſepia vinctis, ſalutem ſibi fugâ Padum verſus quæſierint, arbitrati Franciſcum cum omnibus copijs adeſſe, quò accepto ad Burgum fortem incommodo mederetur. Tanta verò fuit hominis celeritas & induſtria, ut Oppidum priùs ingrederetur, ad octogintáque milites, quos ſecum in præſidio retineret, legeret, reliquóſque cum equis ex hoſte captis remitteret, quàm hoſtibus colligendi animum ac in prælium redeundi facultas daretur. Deleri certè eâ pugnâ omnes hoſtium copiæ potuiſſent, ſi omnem equitatum (ut eum voluiſſe Guido ſcribit) ſecum duxiſſet. Negabat Franciſcus id faciendum, ne, ſi quid ſiniſtri accideret, extrema quæque paterentur, cùm non eſſet, unde accepto incommodo mederetur, amiſſo præſertim equitatu, in quo omnis ſpes ejus repoſita erat. At Oppidani, qui, viſis hoſtibus, omninò de ſalute ſuâ deſperaverant, arbitrati ob eorum celerem & repentinum adventum, Franciſcum cum omnibus copijs ad Burgum fortem perijſſe, recepto intra mœnia Bartholomæo, cujus virtutem multis anteà rebus præclarè geſtis noverant, animos

mos ſumpsêre. Ad Bartholomæum itaque undique concurrentes, mandata ejus requirunt. Tùm ille: Si viri, inquit, eſtis, Governolenſes, ſi illam virtutem & fidem retinetis, quam in multis bellis & graviſſimis temporibus Civitas mea experta eſt, ſalvos profectò vos & incolumes Principi meo præſtabo. Neque enim hoſtem plùs timeo, veſtro ſeptus præſidio, quàm ſi in penetralibus munitiſſimæ Patriæ meæ verſarer. Virtute Patriam, Lares, Deorum templa, cognatos, affines, uxores, liberos, fortunas omnes cum laude & gloria conſervabimus; ignaviâ verò & timiditate, his omnibus amiſſis, ignominiam ſubjeritis ſempiternam. Vtrum malitis, an fortiter agendo vivere, vitámque veſtris præſtare, an turpiter mori cum interitu veſtrorum omnium, à vobis nunc peto. Succlamantibus ſtatim omnibus, cum virtute ſe facturos, quæ imperâſſet. Ite ergo mecum, inquit; quem & laborum & periculorum comitem magis, quàm Ducem habituri eſtis. Ad muros tendens, ſecum multitudinem omnem trahit. Tùm muros cratibus, pluteis, propugnaculis, ſumptâ undique materiâ, aggere altiſſimo intùs circumquáque ducto firmat, ſubvecto eò ex toto Oppido cæno, fimo, & quicquid firmare mœnia poſſet, ne ictibus bombardæ attererentur. Militibus in propugnaculis ac muro diſpoſitis, imbellem jubet multitudinem ſaxa, tela, &, quicquid opus eſſe duxerint, ſubminiſtrare. Contrà Vermes Mediolanenſium

Dux

Dux terrâ ac flumine oppugnationem inſtruit. Situm eſt Oppidum in confluente, cujus muros Mincius prӕterlabens, haud multùm infrà Pado conjungitur. Subvehi naves per Mincium Mantuam non poſſunt, vetantibus Governolenſibus, propter turrim, quӕ ad prohibendos aditu fluminis hoſtes in ipſo alveo ӕdificata eſt. Hanc unà cum Oppido expugnare hoſtes annixi, claſſem omnem ſubvehunt; vineas ac cuniculos ad muros dirigunt; machinas circumquaque diſponunt; bombardis & terrâ & flumine turrim quatiunt; caſtella duo trabibus & tabulatis ӕdificant, unde baliſtis & minoribus bombardis è mœnibus Oppidanos ſubmoveant, quò faciliùs acceſſum ſuis ad muros darent. Dum ij apparatus fierent, crebra utrinque committebantur certamina, quibus & vulnerati & interfecti multi ſunt. Diebus inde quadraginta bombardis tantùm certatum eſt, quibus & turris quaſſata, & muri pars magna disjecta, & domus multӕ in Oppido cum dominorum interitu diruptӕ. Hinc animum hoſtes oppugnandi Oppidum ſumpsêre, demolitâ murorum parte, ac perterritis tàm gravi oppugnatione incolis. Tùm Vermes alloquendos milites ratus, convocatâ concione, ita diſſeruit: Cernere & voſmetipſos, Milites, arbitror, capto Governolo nil poſteà ſupereſſe, quod noſtram victoriam remoretur. Aperient vobis ultrò portas ad prӕdam, non ad pugnam euntibus Mantuani, quòd jam ſe clauſos undique

 cer-

cernent. Quò enim ſint ituri, aut cujus auxilium petitùri, terrâ ac lacubus oppugnati, non ſatis ſcio, cùm omnia circumquaque poſita à noſtris teneantur. Annonæ caritatem ob vaſtatos agros incenſáſque villas ac direpta Oppida diutiùs tolerare non poterunt. Oppugnationem noſtram quomodo ferent, cùm pauci à pluribus, à victoribus victi, ſubvectis ad muros ſexaginta armatis navibus, oppugnabuntur? Quos retinere ad Burgum fortem (Arce munitiſſimâ, ponte firmiſſimo, præſidio validiſſimo, vaſtitate profundiſſimi amnis, multi & integri, & nondum à ſocijs derelicti nequiverunt, eoſdem fuſi ac fugati, æſtuarijs neſcio quibus, quæ ipſi Lacus appellant, potiùs, quàm virtute ſuâ confiſi, nunc ſuſtinebunt? Videor videre nunc illorum animos, qui tanquam feræ in caveâ deprehenſæ, quodvis ſupplicium exſpectant. Nullum habent ad evadendum effugium. In Cremonenſéſne & Brixianos ibunt, qui noſtræ ditionis ſunt? aut in Veronenſes, quibuſcum immortali odio ſexcentis jam annis laborant? Mitiores profectò nos quàm Veronenſes ipſos, tot quondam injurijs affectos, habebunt. Certamus nos de Imperio; quo adepto, victis parcimus, eóſque conſervamus: illi de vitâ & ſanguine, nec quidquam antiquius habent, quàm ſanguine captivorum Majorum ſuorum umbris tot prælijs utrinque cæſorum parentare. Hîc vobis vincendum, Milites, eſt, ne unius Oppiduli oppugnatione remorata virtus veſtra

ſtra dicatur. Magna profectò vobis præmia proponuntur. Omitto laudem & gloriam, quam victores in triumpho reportaturi eſtis. Direptio vetuſtiſſimæ ac opulentiſſimæ Vrbis victoribus vobis promittitur; quicquid Mantuani tot quondam annis cum labore & induſtriâ pepèrere, id veſtrum cum ipſis Dominis futurum eſt. Agite, Deo juvante, arma capite; hîc vobis finem laborum cum emolumento non parvo dabit fortuna; hinc victores ad Ducem noſtrum tendentes, dignam mercedem emeriti ſtipendij accipiemus. Satis adhuc vaſtando hoſtium agros eorúmque Oppida & Caſtella, pontes, munitiones oppugnando, laborum periculorúmque adivimus; nunc tempus eſt, vos magna operæ pretia accipere, quæ vobis propoſita, expugnato Governolo, ſunt. Neque hoc difficile factu exiſtimare debetis. Governolum à vobis, qui tot milliâ eſtis, Oppidum non magnum, & parvo præſidio munitum, expugnandum eſt; cujus muros & turres magnâ ex parte bombardis demoliti ſumus. Patebunt vobis aditus, ſi viri eritis; ferro viris fortibus aperienda eſt via. Me duce, quem probè nôſtis, cujus auſpicio tot præclaras victorias adepti eſtis, hoc Oppidum expugnabitis. Illud ego pluris facio, Milites, quòd adhuc nemo veſtrûm fuit, cui ego ſpectator ac teſtis certaminum virtutiſque decora ac emerita pro re benè geſtâ præmia non reddiderim. Magnum eſt certè, eundem & Ducem & ſpectatorem certami-

taminis habere. Tùm enim fortiùs & audaciùs pugnat miles, ubi virtutis ſuæ locupletiſſimos teſtes habiturum ſe confidit. Sed quid plura? animorum & roboris jam omnia plena video. Vobis edico, gregarij, ut quicquid ſarmentorum ſtipulæve arundinis ad manus venerit, id totum ad replendas foſſas deferatis; vos ſequentur cataphractati ac milites levis armaturæ cum ſcalis & harpagonibus. Stabunt pro vallo ſagittarij, ut inde hoſtem è mœnibus ſagittis ſubmoveant. Per diffracta mœnia ad prædam potiùs quàm pugnam ibitis. His adhortationibus, cùm ad certamen militum animi accenſi eſſent, dato invadendi ſigno, undique ad oppugnationem, ſublato clamore, concurritur. Aderant Præfecti cohortium & Centuriones, ſuos, ut de Duce benè mererentur acriter pugnando, adhortantes. Completæ primò à gregario foſſæ, acceſſum ad muros militibus dant, quos (adeò ferociter inſtabant) neque muros, neque ſuperſtantes armatos arcere poſſe quivis crederet. A navibus etiam ea pars, quæ flumine abluitur, oppugnari eſt cœpta. Verùm, quia majore tumultu quàm vi hæc ab hoſte fiebant, vanos & irritos habuêre conatus. Nam dum ſcalis & telis impliciti milites, evadere ad murum per foſſas non benè repletas tentant, ipsâ feſtinatione & certamine alij alios impediunt. Ad muros tandem feſſi accedentes ab Oppidanis integris facilè propellebantur, in quos vis ingens omnis generis telorum è ſuperiore loco vola-

bat. Circuibat Oppidum per muros Bartholomæus, hortabatur, imperabat, quid quemque facere oporteret, & quod in tali re maximè accendere pugnantium animos ſolet, teſtis & ſpectator virtutis atque ignaviæ cujuſque aderat. Submittebat ex præſidio, quod ad omnes caſus in foro diſpoſuerat, eò milites, ubi maximè opus eſſe cernebat. A navibus minùs incommodi accipiebatur, quòd æquare muros propugnaculis & malis navium nequibant. Inſtare tùm Vermes acriùs ac ſuos increpare, quòd promiſſa non facerent; quam ob rem alij pudore & irâ ſuper alios ruentes, ſcutis oppoſitis muro ſuccedunt; aſcenſum deinde in muros ſcalis nequicquam tentant, quippe propellentibus è ſuperiore loco propugnatoribus. At Vermes, cùm homines paſſim è ſcalis ruere cum interitu multorum cerneret, viderétque ex ipſo ſucceſſu audaciam & alacritatem hoſtibus creſcere, ſignum ſerò quidem receptui dedit. Nam & Oppidani per cuniculum tantum aquæ clàm in foſſam emiſerant, ut regredientes milites, feſſi dimicatione & vulneribus, atque armis graves, facilè ſubmergerentur, non ſuſtinentibus ampliùs ſarmentis & arundinibus; & dolia pice, ſulphure atque omni materiâ ad incendium faciendum apta, è ſuperiore loco impoſito igne in ſarmenta convolverant; quibus incenſis milites à reliquo exercitu ſecludebantur. Erumpunt tùm Oppidani, & omnes, qui intra murum & foſſam conſtiterant, cla-

more ſolùm & telis miſſilibus à ſuis adjutos aut trucidant, aut capiunt. Ad trecentos enim & ſexaginta ex hoſtibus eo die interfectos, ducentóſque captos Guido ſcribit, paucis admodùm ex Mantuanis deſideratis, ſolertiâ Ducis adjuvante, qui crebrò milites admonebat, ut in omni pugnâ primùm ſibi ipſis caverent, quos quàm maximè ſalvos Reipublicæ intererat, quòd diminuto paulatim præſidio, inopiâ virorum in manus hoſtium veniendum eſſet; deinde hoſtem ferirent, munitiones incenderent, machinas everterent; his rebus fieri, ut tolerari diutiùs obſidio poſſet, cadentibus continuò hoſtium viribus. Poſtero die Bartholomæus, convocatis militibus Oppidaniſque, primùm Deo immortali laudes & gratias agit, quòd animum ac vires pridiè ad propulſandos hoſtes ferociter inſtantes dediſſet; militum deinde virtutem laudat, quòd eos non demolitio muri, non multitudo hoſtium, non vineæ, non turres, non bombardæ, non crebræ baliſtæ, non ſcalæ jam muris admotæ, perterruiſſent, quo minùs Oppidum defenderent, pluráque hoſtibus mala inferrent, quàm ab eiſdem acciperent. Et tamen, quanquam omnia omnibus deberet, præcipuâ quorundam operâ defenſum Oppidum, eos nominatim ad ſe vocando, prædicavit, quos laudibus & donis plurimùm ornans, à ſe in ſtationes ſuas cum reliquâ concione dimiſit. Non ceſſabant hoſtes, tanto accepto incommodo, bombardis, ſagittis machinis cujusvis

juſvis generis noſtros laceſſere, nec ambigebatur, eos tandem Oppido per vim & præſidio potituros, niſi aliundè venirent auxilia. Motus itaque Carolus Ariminenſis Mantuanorum periculo, Socios adire inſtituit, & inde collecto, quanto maximè poſſet exercitu, Governolum, ad levandos obſidione Mantuanos, & quidem gravi, quâ jam diu premebantur, redire. Adijt primò Bononienſes, qui frigidè reſpondentes, hominem in dicendo liberum eò iracundiæ perpulêre, ut eos deſertores fidei & fœderum violatores, Deum teſtem ac conſcium icti fœderis implorans, identidem nominaret. Exſpectarent propediè̀m, captâ Mantuâ, dum ab hoſtibus opprimerentur, auxilia Sociorum implorantes, ut tale ipſis reſponſum, quale nunc Mantuanis, Socijs & amicis, redderent; affuturum Deum vindicem rupti fœderis ac violatæ fidei, qui hoſtibus etiam ſegnibus mentem & vires ad evertendam tàm perfidam Civitatem & deſertricem Sociorum ſit daturus; ſperare ſe etiam, ſi hoſtes id omiſiſſent, reliquos Socios communi conſenſu pœnas aliquando à deſertoribus Sociorum repetituros, neque per ſe unquam ſtaturum, quin, ubi liceret, etiam ſe Duce id primò quoque tempore fieret. Hæc cùm dixiſſet, ſtatim è concione ſeſe proripiens, equum conſcendit, ac concitato gradu Florentiam die ac nocte equitans, pervenit, ubi, cùm jam paratum præſidium in auxilium Mantuanorum vidiſſet, ut paulo antè Bononienſium fidem

dem increpaverat, ſic tunc Florentinos, ut veros Socios, ut optimos amicos, ut fœderum memores, ad Cœlum laudibus extulit. Moti pudore Bononienſes, quos Florentini Oratores, cum Carolo miſſi, mandato Civitatis acriter increpaverant, quòd leges fœderum ſpernerent, quòd fidem fluxam haberent, quòd non Mantuanos tantùm, ſed & omnes Socios deſererent, quòd ſalutem propriam, cui exitiũ, captâ Mantuâ, immineret, deſererent, auxilia tùm pecunijs tùm copijs ex lege initi fœderis decrevêre. Idẽ fecêre & Ferrarienſes & Patavini; quibus ex copijs tantus exercitus apud Bondenum comparatus eſt, quanto ſatis eſſe ad ſubmovendum ex agro Mantuano hoſtem arbitrarentur. Eò etiam flumine applicuerant ſeptem Venetorum Galleones cum biremibus decem, optimè ad confligendum navali prælio inſtructi & armati. His adjunctæ Ferrarienſes & Mantuanæ ſatis juſtam claſſem effecêre, cui omnium conſenſu præficitur Franciſcus Bembo Patricius Venetus, navalibus prælijs aſſuetus. Hanc impenſam Franciſci Gonziaci ſumptibus factam reperio. Moventes ſimul Malateſta & Bembo terrâ ac flumine, cùm non longè à Governolo ultra Mincium amnem caſtra poſuiſſent, literis ſtatim & nuncijs Franciſcum de adventu ſuo & numero copiarum certiorem faciunt, admonéntque, quid maximè faciendum cenſerent. Tùm ille properè advocatâ concione, ac lectis literis, confluente undique urbanâ

multitudine: Superflua, inquit, mihi benè perſuaſis oratio videtur, cùm vobis plùs pœnè, quàm mihi patriæ noſtræ ſalutem cordi eſſe videam. Omnibus edico, qui arma ferre poſſunt, tùm equo tùm pede hinc ad horas duas armati in hoc foro adſint. Legere enim ex urbano milite inſtituo, quem in præſidio Vrbis relinquam, quémque mecum in hoſtem perducam. Affuêre omnes ante præſcriptum tempus, certatim dare nomina etiam non citati contendentes, adeò alacres ad pugnam proficiſcebantur. Ex omnibus quingenti equites & ſexcenti pedites lecti; reliqui conſcripti, & Præfecto Vrbis parere juſſi, ſi eorum operâ Reſpublica indigeret. Diſcedens ab Vrbe Franciſcus, in occaſu Solis nuncium ad Carolum mittit, qui eum admoneat, paulatim cum omnibus copijs tùm terreſtribus tùm fluvialibus ad Governolum accedere, amnemq; ponte, qui ad Governolum eſt, traijcere, pugnámque, ſi è Republicâ eſſe duxerit, cum hoſte in ortu Solis capeſſere; affuturum ſe opportunè, & hoſtes nil tale metuentes, implicitos pugnâ adoriturum; ſperare ſe Deum affore ultorem rupti fœderis, & illati ſine causâ belli. Placere ſibi etiam oſtendit, ut clanculùm noctu cohortem in Oppidum mittat, quâ Bartholomæus cum reliquis, qui in præſidio erant, in hoſtes, pugnâ impeditos, eruptionem faciat, affirmans, eâ ratione bellum maximum citò ſolvi poſſe, oppugnato à quatuor lateribus hoſtium exercitu. Non contentus eo

nuncio Franciſcus, ne, ſi caſu in manus hoſtium deveniret. ignoratione rerũ periculum incurreret, alium cum eiſdem mandatis denuò mittit, &, ut rem ex ſententiâ expoſitam intelligat, ignes nocturnos fieri jubet; idem etiam ſe facturum affirmans, quò commodiùs hoſtes ex compoſito adoriantur. Incautos certè & inermes, quippe nil tale metuentes oppreſſiſſent, ni clamor nautarum, pontem ſupra Mincium ab Vgolotto exſtructum reſcindere conantium, auditus dormientes ad arma concitâſſet. Superveniente deinde Carolo cum ſociali exercitu ac claſſe, tantus repentè pavor hoſtes inceſſit, ut de relinquendis caſtris cogitaverint. Diſcurrens tùm per caſtra Vermes: Qui pavor hic, Milites? inquit, qui terror? relicturine eſtis hæc opulenta caſtra hoſtibus ſine certamine? relicturi opus tantorum laborum, quo propedièm, Oppido jam magnâ ex parte bombardis diruto, potituri eratis? quæ repentè, cum quibus hoſtibus pugnaretis, qui more latronum vòs invadunt, oblivio animos cepit? Hi ſunt, qui hâc totâ æſtate collatis ſignis congredi vobiſcum nunquam ſunt auſi; quos levibus prælijs fatigâſtis, quos ad Burgum fortem exuſto ponte in fugam compuliſtis, quibus paſſim fugientibus totum Seralium diripuiſtis. Factum additamentum ex Florentinis, Bononienſibus, reliquiſque Socijs, dicetis; neque ego inficias eo: ſed quid roboris, quæſo, quid animi, quid induſtriæ, collectitiæ habent copiæ? Vbi paululùm

lùm nos iratos viderint, terga vertent; non ſuſtinebunt impetus noſtros, non ſtrictos enſes, ubi in eos itum fuerit. Auxiliariorum hæc eſt natura, ut, ubi primùm caſtra attigerint, inde abeuntes ſine ullo Marte, Socijs putent factum ſatis. Non cogit eos in prælium charitas patriæ, non propinquorum ſalus, non Dij Penates, cùm pro alienâ ſalute, pro laribus aliorum ſit dimicandum. Accepto ſtipendio, emeritos militiam ſe arbitrantur. Adde, quòd Ducem ignorant, viciſſimque ab eo ignorantur. Vt enim ille, cujus virtus minimè cognita eſt, parùm in bello momenti habet, ſic ij, quaſi in tenebris dimicaturi, quòd nullum eorum egregium factum à peregrino Duce adſcribi benè merenti ob ignorationem poſſit, operam fruſtrà inſumpturi, vobis paululùm ſuſtinentibus, victoriam incruentam relinquent. Sumite arma, ad ſigna redite, priùs pœnè victoriam habituri, quàm cum hoſte collectitio dimicare cœperitis. Hæc ubi dicta ſunt, quibus animi militum incenduntur, in aciem procedunt trifariàm diviſam. Ipſe enim cum ſuis Carolo fit obviam; Corradum cum duabus cohortibus Oppidanis eruptionem parantibus obijcit; Vgolottum non longè à caſtris in ſubſidijs collocat, quem & dimicantes ſimul, & caſtra inſpicere volebat. At Carolus trajectis propè omnibus copijs paululùm ſupra Oppidum, dum acies dirigit, ita milites paucis affatur: Caſtra illa opulenta, Milites, noſtra ſunt; equi illi nitidi no-

bis inſtrati; arma, argentum, & quicquid in illo campo cernitis, noſtrum eſt. Cum eo enim hoſte pugna vobis eſt, qui non ad prælium, ſed ad delicias; non ad labores, ſed ad voluptates; non ad militiam, ſed ad oppiparam culinam deſcendere viſus eſt. Nec illi quidem, quos paſſim diſcurrere videtis, audent, ſed, quia evitare certamen non poſſunt, pugnaturi ſunt. Quales enim futuros eos in prælio putatis, qui ad noſtrum primũ clamorẽ ita trepidârunt, ut ægrè ex fugâ in præliũ ſint retracti. Cum hoc pedite, cum hoc equite pugnaturi eſtis, quem Majores noſtri, Vgolino Gonziaco Duce, intra Mediolani Vrbis vaſtiſſimæ mœnia compulerunt, quem ad Montemclarum ingenti clade ſuperârunt. Quos animos, quæſo, habituros creditis ruptores fœderum, ac bellum finitimis ob impotentiam & cupiditatem imperandi inferentes. Deum Ducem, non me, habituri, Milites, eſtis, qui horum mentes & vim, ſi qua ineſt, omninò debilitabit, & infringet. Neque hoc certamen nobis cum his eſt ſolùm pro ſalute Sociorum, verùm etiam pro libertate Italiæ. Hinc enim victores ad noſtra ſtatim expugnanda proficiſcerentur. Hîc eſt reſiſtendum, Milites, & non ſecùs dimicandum, ac ſi ante mœnia noſtra pugnaremus. Vnus quiſque veſtrûm putet, non ſe tantùm, ſed conjugem, liberos, parentes, affines, cognatos armis protegere; nec me ſolùm, ſed Civitates veſtras, quarum talis futura fortuna eſt, qualis erit virtus veſtra, ſpe-

ſpectatrices certaminum & adhortatrices nunc adeſſe putate. His dictis incenſi milites, clamore alacritatem pugnandi præ ſe ferentes, pugnæ ſignum expoſcunt. Quo dato, procurritur repentè magnis animis, viribúſque. Non detrectat pugnam Vermes, ſed paululùm à loco, ubi conſtiterat, procedens, venientium procurſationes ſuſtinet. Concurrerant jam tres acies ſimul magnis animis viribúſque, cùm ſubitò eodem tempore ab Oppidanis eruptio fit, & Franciſcus cum urbano exercitu hoſtium caſtra adoritur. Erumpentes ſuſtinere, faciliùs fuit, quòd munitionibus & caſtellis ad expugnandum Oppidum ædificatis, facilè ſagittis & miſſilibus propellerentur. Vgolotto nequaquam par fortuna fuit. Retinere enim in prælio milites, timore perterritos, etiam ad primum congreſſum non potuit, fruſtrà clamitans, rem Mediolanenſem timiditate & ignaviâ militum prodi. Inſtat Franciſcus, &, fuſo Vgolotto, caſtra irrumpit. Tùm Vermes fluctuantes ſuorum animos ancipiti periculo cernens, recipere ſeſe ad pontem, quo Padus conjungebatur, inſtituit, atque eâ exercitum, quàm minimo poſſet incommodo traijcere, exiſtimans, id tantiſper fieri poſſe, dum caſtrorum direptio hoſtes avidos prædæ detineret. Fefellit hominem hæc opinio. Omiſſis enim caſtris, undique ad inſequendum hoſtem, nuſquam reſiſtentem, tantâ celeritate eſt itum, ut ad duo millia equitum & quatuor peditum ac calonum

ſint capta. Mira fuit ejus diei fortuna Populi Mantuani Sociorúmque; nam & pons, quo Vgolottus Mincium amnem conjunxerat, & ad importandum commeatus, migrandúmque pro arbitrio in Veronenſes, antè reſcinditur, quàm exercitus funderetur. Vnde, qui ſe eò fugiendi causâ contulerant, ad unum omnes capti aut interfecti ſunt; & erumpentes ex oppido, pulſo ex caſtellis circumquaque poſitis præſidio, ita machinas bellicas ferro & igne conſumpsêre, ut nullum veſtigium munitionum hoſtilium exſtare videretur. Elaboravit aliquantulùm Franciſcus Bembo, claſſis Præfectus, in reſolutione pontis, quo Padus traijciebatur, quòd & à præſidio acriter & à claſſe hoſtium defenderetur. Tandem verò cum puppe ipſe prætoriâ ponti ſuccedens, identidémque clamitans: Quid ſtas ignave miles, terreſtribúſne copijs tuum decus reſervas? reliquus exercitus victor adeſt, ſpectator ignaviæ pariter ac virtutis tuæ. Tot enim teſtes virtutum veſtrarum, tot item accuſatores ignaviæ habebitis, quot ſtantes in littore cernitis. Proinde, ſi vobis illi inſunt animi, qui parentibus olim bello Genuenſi fuêre, ite mecum & fugam trepido hoſti adimite. Pontem pluribus locis ferro, igne, bombardis, harpagonibus eodem tempore reſcindit, & expugnat. Hæc tamen victoria minimè incruenta fuit. Nam & multos ex Socijs amiſit, & ipſe grave in genu vulnus accepit. Soluto ponte capti ſunt omnes, qui cis Padum erant:

rant: in flumine etiam multi periêre, & maximè armis graves gurgitibus abſumpti. Fuga tùm à claſſe hoſtium fieri cœpta, nec eam inſequi noſtra potuit, vulneribus militum ac remigium retardata. Itum eſt tùm pariter ab omnibus ad diripienda hoſtium caſtra, auro & argento & omni genere jumentorum atque impedimentorum referta. Tanta fuit Oppidanorum ob diutinam & acerbam oppugnationem hoſtium ira, ut mulieres etiam, quibus natura arma negavit, ſumptis armis in caſtra hoſtium irrumpentes, magnam partem eorum, qui in tabernaculis ægri remanſerant, interficerent, nemini parſuræ, ni Franciſcus eas è caſtris ſubmoveri juſſiſſet. Conquiſiti ſequenti die omnes ſaucij ægrique, ac Mantuam ad curanda vulnera miſſi, qui adeò perbenignè ac comiter à Mantuanis, per quorum hoſpitia diviſi erant, habiti ſunt, ut vitam pro ſalute tàm gratæ Civitatis poſituros ſe affirmarent. Inde verò convocato claſſicis exercitu, eodémque pro concione laudato, ad memoriam tàm inſignis victoriæ Joannes Franciſcus Franciſci filius, adoleſcens admodum, Marſilius Torellus conſilio & manu promptus, Franciſcus Bembo navalibus tropheis inſignis, militaribus donis donati, equeſtri Ordini, plaudente exercitu, adſcribuntur. Poſtridie autem collectis vaſis, ac trajecto Mincio, ad Marmirolum cum omnibus copijs contendunt; inde in Veronenſes, ſi per anni tempus liceret, moturi. Claſſis item ad Burgum fortem ſub-

ſubvecta;fugatis inde hoſtibus diffractas catenas reficiunt, ripiſque inter utramque arcem affixis, vallis applicant,quo minùs hoſti deſcendere per flumen in Seralium liceat. Dum hæc fierent, tanta repentè lues claſſiarios invaſit, ut peſtiferâ febre correpti, furibundi & immanes aut per ripas fluminis diſcurrerent, obvium quemque gladio aut dentibus petentes, aut è proris maliſve in Padum ſe cum clamore & furibundo ejulatu præcipites darent. Biduo aut plùs triduo hâc peſte vexati moriebantur. Contagione etiam multos perijſſe ex Medicis, eò ab urbe miſſis, compertum eſt. Interim Franciſcus, cognitâ ex Reverenſibus ſeditione, quæ inter Oppidanos Mellariæ & præſidium, quod ibi ex hoſtibus inſederat, Carolum Ariminenſem eò celeriter cum aliquot cohortibus mittit, qui ab Oppidanis viſus, pulſo præſidio, ſtatim receptus eſt. Eiſdem enim artibus Mellaria recepta,quâ priùs amiſſa fuerat. Tùm Carolus, pulſis inde aliquot Oppidanis, firmóque præſidio impoſito, per Hoſtilianum agrum ferro omnia ac flammâ populatus, ad Franciſcum revertitur. Partiti deinde copias, Franciſcus Veronenſium,Carolus Brixianorum agros longè ac latè populantur, abactâ inde hominum, pecorum utenſiliúmque magnâ copiâ. Superveniente deinde hyeme, quæ tota incurſionibus conſumpta eſt, Mediolanenſes reparandis copijs intenti, magnum numerum mercenariorum militum conſcripsêre,quibus bifariàm diviſis,

viſis, duobus à lateribus Mantuanos adoriri inſtituunt. Apparente itaque jam vere, Vgolottus, cui potiundæ Caprianæ proditione per Oppidanos quoſdam facta ſpes erat, eò cum omnibus copijs movens, fruſtratus ſpe, ne expugnatione unius Oppiduli diffidere ſuis copijs videretur, poſitis caſtris, Oppidum circumquaque munitionibus & operibus cingit, muros bombardis & omni genere machinarum quatit. Reſiſtit egregiè Antonius Obicius, qui præſidio Mantuano præerat; reſiſtunt & Oppidani, tùm timore direptionis, tùm vel maximè, quòd ex ſuis obſides aliquot Mantuanis dederant. Cùm jam fame & penuriâ omnium rerum laboraretur, nec eò proficiſci cum toto exercitu Franciſcus poſſet, quòd fama increbuerat, Jacobum Vermem & Albricum Barbianum cùm magno exercitu ad Burgum fortem venturos, Vgonem Comitem cùm aliquot cohortibus mittit, qui frumentum obſeſſis importet. Is admonito priùs Obicio per gregarium, qui ſimulatâ tranſitione ad hoſtes priùs, atque inde noctu ad Oppidanos tranſierat, ut eruptione factâ per eam portam, quæ ad planitiem ducit, hoſtes quàm maximè à ſuperiore portâ averteret, paratóſque atque intentos Oppidanos haberet ad ſuſcipiendum non longè ab eâdem portâ frumentum. Trecentos pedites eâdem nocte mittit, qui collem portæ imminentem occupent, quique frumentum per clivum ad Oppidanos convehant. Deinde paulatim cum reliquis

militibus ſuccedens, paululùm ante auroram tanto cum impetu hoſtes nil tale metuentes aggreditur, ut ægrè à fugâ retenti à Ducibus ſint. Idem facit & Obicius. Verùm dum ex totis caſtris partim in irrumpentes, partim in Vgonem concurreretur, Oppidani intra portam, adjuvante etiam muliebri ſexu, commeatum omnem tutò recipiunt. Quo facto, Vgo receptui canens, captis etiam ex hoſtibus trecentis equitibus Mantuam revertitur. Tùm Vgolottus protractam obſidionem eâ importatione frumenti cernens, cùm teri fruſtrà tempus videretur, caſtra movens, Marcariam ad Albricum contendit. Itum eſt inde haud ita multo pòſt in Seralium cum ingenti exercitu terrâ ac flumine, quem ſuſtinere Franciſcus non potuit, quo minùs irrumperet, urgente pariter ab ipſo flumine hoſtium claſſe, nec reſiſtentibus eâ parte pugnæ Mantuanis, tot navalibus ſocijs morbo conſumptis. Compulſo itaque intra mœnia Franciſco, omnia impunè longè ac latè populantur; vallum illud omninò ſcindunt, & foſſam complent, quibus à Burgo forte ad Curtatonum ductis, Seralium tutius fiebat, quo liberiùs ire ac redire, commeatúſque curribus ac jumentis ſubminiſtrari exercitui liceret. Everſo deinde atque incenſo Caſtro novo, quod duo millia paſſuum ab Vrbe diſtat, provocare ante portas ad certamen cives ipſos ſunt auſi. Tùm Franciſcus, immiſſis quingentis equitibus, eos, quàm longè fieri poteſt, ſubmovet. Conver-

verſis deinde hoſtibus ad expugnandas Arces, quæ in vallo Seralij, locis fermè æquè diſtantibus, ſitæ ſunt, Mantuanis conſultandi de ſummâ rerum in re tam trepidâ ſpatium datur. Erant, qui obviàm eundum hoſtibus cenſerent, numero magis, quàm virtute militum confiſis, quòd dicerent, magnos ſæpè exercitus à parvis copijs virtute militum & induſtriâ ac ſtrenuitate Ducum eſſe fuſos; hoſtium exercitum plus calonum & lixarum habere, quàm vel tyronum, vel veteranorum, qui & ipſi mercede conducti plus animorum in rapinis & incendijs habeant, quàm in pugnâ & prælio; hos facillimè fundi poſſe, ſi quid pugnando incommodi habituros ſe viderint. Maximam præterea ſpem in diſcordia Ducum ponebant, quòd tres ſimul Duces in eodem exercitu, dignitate & autoritate pares, eſſe dicerent, affirmantes, rem nullo modo benè geri poſſe, ubi ſumma totius rei ad unum non defertur; habere ſe præterea Deum ultorem illati ſine causâ belli, qui & Civitatem defendat, & hoſtium animos ac mentes infringat, ut ſuperiori æſtate fecerat. At qui conſultiùs agendum rebantur, non eſſe tentandam fortunam dicebant; nam, ſi malè ſemel pugnatum foret, collum jugo ſubijciendum eſſe, ac hoſti potentiſſimo ſerviendum, qui omnia longè ac latè circumquaque teneat; facilè hominem, dum adhuc aliquid ſpiritûs ſupereſt, in vitâ retineri poſſe; ubi animam egit, nullam de ſe cuiquam ſpem reliquiſſe; hanc ob rem

ab omnibus relinqui. Durabunt tàm diu in bello ſocij, quoad & noſtros milites & ſuos, qui apud nos militabunt, à clade conſervatos audierint; ſin verò ſecùs, fortunam ducem ſecuti, pacem & fœdus cum hoſte component. Non eſſe præterea conſilium, hoſtem contemnere, quòd & calones multos & lixas in exercitu habeat, cùm hæc turba bello inutilis magnam vim militum præ ſe ferat. Extremæ poſtremò dementiæ eſſe, in diſcordiâ eorum cum tuo diſcrimine ſpem ponere, quos videris paribus auſpicijs, & communi conſilio concordibúſque animis ſuperioribus temporibus bella geſſiſſe. Deum poſſe adjuvare, & velle, præſertim cùm propulſetur, & non inferatur injuria; ſed eundem oculos avertere, ubi res temerè & inconſultè adminiſtrari viderit. Proinde ſatiùs eſſe unum aliquem Civem deligere, qui ad Venetos proficiſcatur, eóſque admoneat, quanto in diſcrimine Mantuani, Socij & amici, verſentur. Approbatur hæc ſententia, & ſtatim Galeatius, Eques inſignis, eò cum mandatis mittitur, qui Senatum Venetorum ingreſſus, expoſito Mantuanæ Civitatis periculo omnium animos ad conſulendum ſaluti Sociorum perpulit. Juſſus ſecedere parumper Galeatius, Venetis, quid potiſſimùm agendum eſſet, deliberandi tempus dedit. Erant, qui claſſem quantumvis magnam primo quoque tempore mittendam dicerent, quâ Mantuanus flumine præſertim hoſtes ſubmoveret. Alij non temerè moven-

dam rem tantam aſſeverabant, ſed Legatos mittendos, qui Ducem blandè appellando, à ſententiâ dimoverent; ſin ſecùs, bellum pro Socijs & amicis ſumpturum Senatum Venetum denunciarent. Vicit hæc ſententia, quæ & tuta & honeſta videbatur. Dimiſſo Galeatio, Legati confeſtim Mediolanum ad Ducem mittuntur, qui cùm nil precibus egiſſent, ad minas converſi, affirmant Senatum Venetum bellum, Socijs injuſtè illatum, propediem armis propulſaturum; cæterò Ducem ipſum malè agere, dicentes, quòd Mantuanos innocentes ob imperandi cupiditatem bello tàm diu vexaret; nil hominem agere, cum tota Italia ſolicita ſit, ne fines Imperij longiùs ſubmoveat. Ad hæc Dux ſubridens ita reſpondet: Irent & nunciarent Venetis, ſe de ſententiâ pedem nunquam moturum, etiamſi tota Italia in ſe armis ſurgeret. Hæc ubi Legati retulêre, ſtatim omnium conſenſu Joannes Barbo, Vir eâ tempeſtate clariſſimus, Præfectus claſſis decernitur, qui cum triginta armatis navibus per Padum flumen Reverum primò, mox acceptis viginti Mantuanorum navibus ad bellum gerendum inſtructis, inde ad Burgum fortem annavigans, tantum terrorem injecit hoſtibus, ut neque congredi cum eo bello navali, neque deſcendere in Seralium ſint auſi. Ademit prætereà terreſtribus hoſtium copijs liberam vagandi per Seralium licentiam. Non deſtitit tamen Dux ob adventum claſſis Venetæ, quin o-

omnia, quæ ad oppugnandam Vrbem erant neceſſaria, tentaret. Nam & iterùm retinere Mincium ſupra Vallegium, quo minùs in Mantuanos Lacus deſcenderet, &, id cùm fruſtrà tentaretur, jactis ad Piſcheriam inſanis molibus obicibúſque omnifariàm, Lacum, ne in Mincium exiret, retrudere fruſtrà conatus eſt, naturâ ejus opera contemnente. Creſcente enim aquâ, quæ magnâ impensâ & multis operis congeſta & exſtructa jam diu fuerant, uno veluti momento evertebantur. Mantuanis ea res mirum in modum uſui fuit. Retento enim per aliquot dies flumine, pons ille aggere reficitur, quem biennio antè aquæ impetus interciderat. Dux itaque poſſe potiri Vrbe tùm vi tùm obſidione deſperans, pœnitentiâ ductus, Carolum Ariminenſem, quem hoc bello hoſtem acerrimum habuerat, ad ſe per Caduceatorem vocat, quo cùm de pace loqueretur. Profectus eò confeſtim Carolus jubente Franciſco, tantam opinionem integritatis & juſtitiæ apud Ducem de ſe fecit, ut ſequeſter pacis ab eo ſtatim ſit delectus. Is igitur impetratis unius anni inducijs, quò pax commodiùs tractari poſſet, ad Franciſcum rediens, ſublatâ ad Cœlum magnificis verbis egregiâ Ducis erga Mantuanos voluntate, hominem perpulit, ut ſe quoque ſequeſtrem faceret. Deduntur in poteſtatem Caroli Oppida eo bello ex utroq; capta; qui ita ſe medium egit, ut non plùs Mantuano ob affinitatem, quàm Mediolanenſi, cujus amicitiam injerat, ex

æquo

æquo & bono tribuere videretur. Hanc ob rem ab utroque liberam componendæ pacis poteſtatem habuerat. Referente Duce in Conſilium de pace cum Mantuano ineundâ, nemo fuit, qui ejus ſententiam non approbaret, quòd dicerent, Vrbem munitiſſimam, & commeatu abundantem fruſtrà oppugnari, nec Franciſcum Gonziacum, Virum optimum, de Familiâ Vicecomitum tale quidquam emeritum, ejus merita in ſe commemorando; plùs delatoribus fidei datum, quàm conveniret, quorum maximè intererat, bella ex bellis ſerere, quippe cùm his artibus vivant & enutriantur; egregiæ voluntatis Franciſcum in Ducem eſſe affirmantes, nec ob bellum illatum quidquam immutatum. Motis his verbis Dux, dimiſſo Conſilio, tentare, quo animo in ſe Franciſcus eſſet, inſtituens, ſubornatorem quendam, cui Marchio Cambius nomen erat, ad ſe vocat, adhortatúrque, ut ad Franciſcum Gonziacum contendens, ſimulato in ſe odio, ejus mortem polliceatur, calumniando Ducis impotentiam, & regnandi cupiditatem, quò facilius Franciſci animus, approbato facinore, dignoſcatur. Dimiſſus ille ad Franciſcum properè contendens, ejus colloquium ſecretò petit; quo impetrato, ita ex compoſito, ut erat ad ſimulandum & diſſimulandum aptus, locutus fertur: Nemo omnium Franciſce eſt, qui merita tua in Mediolani Ducem ignoret, adeò omnibus nota ſunt. Ob hanc rem omnes etiam, qui Imperio ipſius parent, indignan-

gnantur, atque ægrè ferunt, bellum Tibi contra jus fáſque illatum cum magno totius Provinciæ detrimento ac damno. Tributa enim graviùs hoc bello & acerbiùs exacta, quàm nunquam anteà. Imperati Civitatibus milites, caſtellis & vicis calones pœnè plures, quàm relicti, qui aut in bello periêre, aut capti apud vos in cuſtodia retinentur. Tota Provincia in mœrore & luctu eſt. Deflet hic patrem, illa maritum aut fratrem, vel captos, vel interemptos. Inculta jacent omnia, interemptis ruſticis, conſumptiſque jumentis ac abactis bobus omnique pecore graviſſimâ exactione tributi. Graviora enim damna à noſtris paſſi ſumus, quàm à vobis, qui jure belli in nos ferro ac flammâ ſævire potuiſtis. Juſtiores vos certè habuimus, quam militem noſtrum, à quo in nos, permittente Duce, adeò ſævitum eſt, ac ſi ex hoſtibus bello capti eſſemus. Vnicum vobis ac nobis in tantis malis remedium mors eſt. Hominem iſtum ad perniciem noſtram natum, & Dijs hominibúſque infenſum, vi tollere è medio, mihi in animo eſt. Fieri id perfacilè poteſt, cùm ad eum die ac noctu mihi pateant aditus, cùmque in ſuburbanos hortos deſcendens, me ſolum ad confabulandum perſæpè advocet, remotis omnibus arbitris. Tunc enim hominem gladio, veneno delibuto, traijciam, méque ad te citato equo, quem ad fugam paratum ſervi habebunt, conferam, ſi hoc tibi cordi eſt. Occiſo enim hoc Tyranno libera relinquetur Italia, cui

cui ſervitutis jugum imponere vi, fraude ac dolo tentat. Inſpiciens hominem torvis oculis Franciſcus: Vix me, inquit, ſceleſte, contineo, quin te, ut meritus es, laqueo ſuſpendi jubeam. Scio te (adeò vafer es) hoc callidè perpetraturum ſcelus. Sed ne Dij velint, nec ſciant homines, me unquam quidquam tale cogitaſſe, aut pollicenti obtemperâſſe. Bellum mihi intulit Dux; hoſtis eſt, fateor, non tamen inimicus. Propulſare injuriam armis, & non veneno mihi in animo eſt, ne à Majoribus meis videar degenerare. Patiárne illum ego veneno peti, quem armis, cùm fas ſit, & jura belli velint, occidi ac de medio tolli nollem. Certatum eſt à nobis de Imperio, non de vitâ & ſanguine; ſublatâ hâc augendi Imperij cupiditate, pacem petentibus non negabit. Video enim fore, & propediē quidem, ut pax firma inter nos & amicitia ineatur. Abi igitur ſcelerate, & quam meruiſti crucem, tibi apud alios, qui tui ſimiles ſunt, quære, cùm tuæ iſtæ artes nihil apud me valeant. Abiens indè ad Ducem Cambius trepidus, ac pavoris plenus, quæ egerat, omnia, quæque Franciſcus reſponderat, ſeriò aperit, Tùm Dux, magnanimitate hominis & integritate collaudatâ, quòd tot bellis vexatus, nil de priſtinâ erga ſe benevolentiâ immutâſſe videretur, ad eum properè Jacobum Vermem mittit, quocum de pace agat. Pax Sociorum conſenſu ita convenerat, ut Oppida ex utroque eo bello capta, útque captivi redderentur,

útque idem eſſet hoſtis utrique, qui alteri bellum intuliſſet. Biennio poſt tantum bellum pax utrinque per præconem pronunciata, ſucclamantibus omnibus, benignitate Dei diem illum fauſtum & fœlicem eſſe. Supplicatum etiam triduo publicè eſt, & Deo gratiæ actæ ob compoſitam & firmatam pacem. Longè tunc alia facies Civitatum erat. Nam qui anteà arma & vim calamitoſi timebant, tùm dimiſſis mercenarijs ac Sociorum copijs, quarum impensâ gravabantur, fortunati ludis & jocis intenti, vitam fœlicem agere videbantur. Pace partâ, Franciſcus comparato egregio comitatu Papiam ad viſendum Ducem, comiter ac benignè ab omnibus in itinere habitus, contendit, prodeuntibus obviàm (ut fit) honoris gratiâ Aulicis omnibus ac Primoribus Civitatis. Divertens apud Ducem, eâ comitate & gratiâ eſt habitus, injuriarum oblivione propoſitâ, ac ſi nunquam inter eos bellum fuiſſet. Inde per aliquot dies cum bonâ Ducis veniâ Mantuam rediens, ad componendum Civitatis ſtatum, totiúſque agri Mantuani, ſuperiore bello magnâ ex parte labefacti convertitur. Mœnia ubi diruta ſunt, reficit; pontes exciſos inſtaurat; vectigal fatigatis bello remittit; præmia benè de ſe ac Republicâ meritis dividit; ſi cui quidquam pater ademerat vel vi, vel ſtudio colligendarum pecuniarum, id omne reſtituit: ea ſumma ad triginta millia aureorum attigerat. Fanum, quod in bello Beatæ Virgini voverat,

quin-

quinque millia paſſuum ab Vrbe ad Rivaltam (id ei loco nomen eſt) faciendum locat. Virginem gratiarum accolæ vocant. Miræ religionis templum. Ob eam rem toto anno celebre ac frequentatum voti ſolvendi gratiâ. Eodem anno Senenſes ac Piſani à Florentinis bello preſſi, ſe ac Civitates ſuas Duci Mediolanenſi ſpontè dederunt, uni Duci obtemperare malentes, quàm Populo Florentino, quocum tot annis inimico animo certaverant. Oritur eodem tempore nova inter Chriſtianos ſuperſtitio. Ex alpibus enim deſcendiſſe in Italiam Presbyterum quendam cum magna hominum multitudine, ex patre meo, qui hominem viderat, intellexi. Is quidem albo panno indutus, modeſtiam, vultu, verbis, inceſſu, tantam præ ſe tulit, ut ab omnibus ſanctus haberetur. In Italiam veniens magnam virorum ac mulierum multitudinem in ſententiam ſuam traxit, pietatem, religionem, caſtitatem, juſtitiam magnificentiâ verborum extollendo. Linteis albis circumvoluti omnes ſine diſcrimine, mares an fœminæ, ruſtici an cives, ſervi an liberi eſſent, paſſim veluti pecora, ubi nox oppreſſiſſet, dormiebant. Publicè per vicos epulabantur, perlatis undique certatim quaſi ad ſacrum epulis. Crucifixum ſacerdos ipſe præ ſe ferebat, quem lachrymari ob hominum errata dicebat. Id quoties accidit, ſucclamabant omnes, veniam à Deo petentes. Laudes Beatæ Virginis euntes & ſtantes canebant, hymnis ad id aptè compoſitis. Ex Ciſal-

ſalpinis verò in Flaminiam, Hetruriam, Picentes, auctâ opinione ſanctitatis, veniens, non plebem modò rudem & credulam, ſed & Principes & Epiſcopos Civitatum in ſententiam ſuam facilè pertraxit. Subſtitit Viterbij cum magnâ multitudine, feſſus labore itineris, Romam inde (ut ipſe dicebat) ad viſenda loca ſacra Sanctorúmq; corpora profecturus. Verùm Bonifacius Pontifex nonus, cognitâ hominis fraude, quòd Pontificatum fictâ religione appeteret, quódq; adjuvante illâ multitudine facilè ſe, quod cupiebat, conſequi poſſe ſperabat, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehenſum ad ſe perducant. Is poſteà fateri, quæ moliebatur, quæſtione coactus, fraudéque ubique per publicos præcones pronunciatâ, & ad Populos Gentéſve perſcriptâ, ne dolo id actum diceretur, vivus comburitur. Hinc homines deriſi, ad ſua quique non ſine verecundiâ rediêre, quòd homunculi unius ſuperſtitione & fraude decepti, tantum Regionum inedijs, vigilijs, peregrinationibus emenſi cū ſuo ac Reipublicæ detrimento eſſent. Secuta eſt poſt hanc hominum colluviem peſtilentia ingens, quâ multi mortales paſſim per omnem Europam interiêre. Anno deinde quadringenteſimo ſupra milleſimum, Peruſini & Aſſiſiates ab Vgolino Trincio, Fulginatum Tyranno, bello preſſi, imperante eodem Bonifacio Pontifice nono, qui earum Vrbium imperio potiri volebat, Civitates ſuas Joanni Galeatio dedunt. Idem fecêre

& poſt Lucenſes à Florentinis bello vexati. Auctus animo atque Imperio Dux, ſequenti anno Franciſcum Gonziacum cum magno exercitu ad expugnandam Bononiam mittit. Præerat tùm Bononienſibus Joannes Bentivolus, cujus gratiâ Vrbs per aliquot dies defenſa eſt. Tandem verò, urgentibus hoſtibus, Duci ſe liberè tradunt. Ingrediente Vrbem Franciſco, inſtructis aciebus Joannes Bentivolus reſiſtens, quo minùs ea deditio fieret, cùm vivus capi non poſſet, obtruncatur, Jacobus Carrarienſis Principis filius, qui à Patre cum præſidio ad Bononienſes ſocios miſſus ante bellum fuerat, capitur, quem Franciſcus haud ita multo pòſt inde abiens, relicto firmiſſimo præſidio, ad Ducem perducit; à quo tandem multis precibus obtinuit, ut eundem ſibi in cuſtodiam traderet, datâ fide ſiſtendi hominem, quandocunque vellet. Id enim Franciſcus accuratiùs agebat, genero ſuo Franciſco Carrariæ, ipſius Jacobi fratri, rem gratam facturus, qui natam ex Agnete Vicecomite puellam incerti parentis duxerat uxorem. Perductus Mantuam Jacobus, non ut captivus, ſed ut liber ac Dominus in honore apud omnes erat; comitatus nobiliſſimorum Civium catervâ per Vrbem ſuo nutu ambulabat; fidem dederat, ſe nuſquam in juſſu Franciſci abiturum. Tandem verò homo fidefragus è curiâ clàm prodiens, murum Vrbis conſcendit, ac naviculâ ad id paratâ Lacum traijciens, conſcenſo equo, citato gradu Patavium contendit.

dit. Cognitâ hominis fugâ, miſſi ſtatim milites aliquot, qui eum aut vivum, aut mortuum traherent. Verùm id fruſtrà eſt actum. Mutato enim aliquot in locis equo, jam tantum itineris emenſus erat, ut comprehendi ampliùs non poſſet. Franciſcus, qui tum Papiæ erat, cognitâ ex litteris ſuorum Jacobi fugâ, indignabundus rem omnem Duci aperit. Tulit & ipſe eam rem iniquo animo. At Franciſcus inde Mantuam rediens, daturus operam, ne id fraude ſuâ factum videretur, nuncios ſtatim ad Jacobum mittit, qui hominem ad ſe redire commoneant; ſin ſecùs, habiturum ſe ut proditorem ac perfidum, qui ſic datam fidem fefelliſſet, de eâque re ad Imperatorem, ad Reges, ad Principes totius Europæ, ſcripturum, ut ab omnibus perfidus & ingratus habeatur. Reſpondet Jacobus: Se in eâ re feras imitatum, quæ caveis incluſæ, libertatis memores, evadendi poteſtatem continuò quærunt; ſe non id feciſſe, ut ei benè de ſe merito incommodaret, ſed ut tandem meliore vitâ, quam tùm, cùm captivus erat, frueretur, dictitans, illum omninò infœliciſſimum eſſe, cujus mors & vita ex arbitrio alicujus pendeat. Hinc Franciſcus, rejectâ in aliud tempus vindictâ, cogitare ſemper, quo pacto de perfido pœnas ſumeret; quærere continuò Socios ad bellum Patavinis inferendum, quòd ſolus tantam belli molem ſuſtinere non poſſet. Quieta triennio ab armis Provincia, morte Ducis in graves incidit calamitates. Tot enim propè

Tyran-

Tyranni oborti, quot in eâ Civitates fuêre. Duos reliquerat filios, major natu Joannes Maria (id enim ei nomen erat) Ducatum Mediolani ſibi vindicat; Philippus verò Maria, minor natu, Papiæ Imperium, cujus Comes jure habebatur, obtinuit, majore præſertim ad Ducatum aſſumpto. Ex tot enim Civitatibus, quot Pater præfuit (ad quinque enim & viginti fuiſſe conſtat) duas tantùm in fide, & eas quidem ægrè retinuêre. Reliquæ autem aut à Civibus, qui potentes in his fuêre, aut à Præfectis cohortium Ducibúſve copiarum occupatæ, militibus ob largitionem adjuvantibus. Oborta tùm infinita mala ſunt, cùm nemo unus præeſſet, qui vitia hominum imperio & autoritate compeſceret. Innovata eſt rurſum Guelphorum & Gibellinorum exitioſa ſeditio, quæ ducentis & eo ampliùs annis per Italiam vagata, omnes Civitates ad arma civilia ita concitavit, ut fermè ad internecionem ſit certatum. Fœdum dictu, fœdum aſpectu erat. Videres infantes à complexu matrum avulſos ad parietes collidi, puberes ac ſenes necari, tecta incendi. Quibus ex rebus factum eſt, ut multi ex omnibus Civitatibus, maximè vero Cremonâ Mantuam commigraverint, crudeliſſimorum Guelphorum manus fugientes. Quanquam verò non Gibellinæ modò, ſed etiam Guelphæ factionis Mantua receptaculum eſſet, ut quæque igitur factio potens in Civitatibus erat, ita pulſis adverſarijs, unum aliquem ex ſuis regnare volebat.

bat: Vgolinus Cavalcabos, oppreſſis Gibellinis, Cremonæ imperitabat; Parmam & Regium Otho tertius, interfectis ac pulſis Rubeis, obtinebat; Soardi Bergomum, Rusconi Comum, Vignatæ Laudam; Vercellas, Alexandriã, Novariam plurimáque per eam regionem Oppida Facinus Canis, Dux copiarum egregius, vi occupaverat. Tùm verò Franciſcus Carraria, ſublato è medio tanto Duce, cujus arma mirum in modum timuerat, augendi Imperij in magnam ſpem veniens, Veronam, Brixiam, Bergomum, Cremonam, Legatos ad ſolicitandos in partes ſuas Guelphos miſit. Verùm ubi vidit, Guilelmum Scalam & Carolum Vicecomitem, qui Imperia Civitatum ſuarum deſiderabant, poſſe conatibus ſuis obſtare, Guilelmo Veronæ, Carolo Mediolani, acceptis ab eo mutuò triginta millibus aureorum, Dominatum eſt pollicitus. Reducto itaque in Patriã Guilelmo, eodémq; haud ita multo poſt Veronâ ipſe potitur. Eâdem quoque fraude Carolum aggreſſus eſt, cùm is inſtaret, ut, non apparentibus promiſſis, pecuniam ſaltem mutuò datam redderet. Aggreſſus & eiſdem artibus Franciſcum Gonziacum, cùm hominem trahere in partes ſuas pollicitationibus non poſſet, minis id efficere conatus eſt. Per litteras Franciſcum admonet, ut deſcendere in partes ſuas ſponte velit, amplectique ejus amicitiam & ſocietatem, ſin ſecùs, habiturum ſe eum pro hoſte, facturúmque, ut brevi ejus pertinaciæ pœniteat: fieri

per-

perfacilè id poſſe, cùm Veronam Civitatem Mantuanis finitimam adeptus, Brixiam quoque paulo pòſt ſit habiturus, unde commodo bello Mantuanos premat. Nil reſpondere Franciſcus inſtituit, priuſquam Venetorum Legatos audiret, quos in viâ ad ſe euntes intellexerat. Veneti enim Carrariorum potentiam ſuſpectam habentes, Vicentiam, dedentibus ultrò Civibus, quòd Franciſci arma vererentur, quódque ſub quovis alio, quàm ſub Patavino Imperio eſſe malebant, (quippe cùm inter Vicentinos & Patavinos immortale ſit odium) in deditionem & tutelam recipiunt, admonito Franciſco, ne Vicentinos Senatus Veneti vectigales bello attingat, atque ab expugnandâ Coloniâ, quam ſuæ ditionis eſſe rebantur, abſtineret; aliter eos bello proſequuturos illatas injurias. Reſpondet Franciſcus: Mirari ſe Venetorum impotentiam, qui, cùm nullum jus in continenti habeant, leges tamen meritò imperantibus velint præſcribere; accepturum ſe in tutelam ſuam Civitates ad Imperium ejus ſpectantes, proſequuturúmque eos bello, qui id, quò minùs fieret, impedire conarentur. Additæ etiam minæ: Venetos, ſi ei reſpirare contingeret, aliquando ſenſuros, qualem hoſtem Reipublicæ Venetæ feciſſent, tot alijs ſuper alias congeſtis in Carrarienſes injurijs. Irent, & æſtuarijs ac paludibus contenti, ſinerent eos in terrâ regnare, quibus meritò Imperia deberentur.

LIBER QVINTVS.

ACcepto tàm ſuperbo reſponſo, Veneti Legatos admonent, qui jam in viâ erant, ut Mantuam celeriter contendentes, fœdus & ſocietatem cum Franciſcò ineant, eúmque primum copiarum ſuarum Ducem deligant, additâ pecuniarum ſummâ, quæ ei ſtipendij nomine quotannis erogaretur. Tùm verò Franciſcus, icto fœdere, maturandum ratus, quòd jam hoſtes Coloniâ potitos intellexerat, quàm maximum militum numerum poteſt, conſcribit, arma & commeatus parat, iturus primo quoque tempore, quo Veneti imperâſſent. Veneti interim, comparato ſatis magno ex Tarviſinis & Vicentinis exercitu, Vicentiâ Veronam moventes, Franciſcum admonent, ut Veronenſes eodem tempore ad eam partem adoriatur, quâ ad Mantuanos vergunt. Vrbem itaque eodem tempore à duobus lateribus oppugnare adorti, adeò Cives perterrefecêre, ut, cùm nulla ſpes auxilij ſubeſſet, eos quamprimùm ad deditionem compulerint. Oderant etiam Cives Franciſcum Carrarienſem, quòd Guilelmum Scalam veneno necâſſet, ejuſque filios, occupatâ fraude Veronâ, in carcerem conjeciſſet. Dum Vrbem Veneti armatis aciebus ingrediuntur, ne qua fraus ab hoſte ſubeſſet, Jacobus Carraria, qui ibi cum præſidio erat, repente cum militibus aliquot Hoſtiliam profugit. Hinc,

dum Padum traijcit, captus, Venetias mittitur. Munitâ firmiſſimo præſidio Veronâ, Veneti inde cum omnibus copijs Patavium moventes, Vrbem præaltis muris ac profundâ foſsâ munitam, defenſámque firmo præſidio, quando oppugnare non poſſunt, obſidere parant. Tolerârunt obſidionem per aliquot menſes Patavini. Tandem verò, urgente omnium rerum penuriâ, intercluſis undique commeatibus, Vrbem Venetis dedunt. Confugerat in arcem Franciſcus cum filijs ac nepotibus, quam Veneti haud ita multo pòſt recepêre, urgente eos, qui in præſidio erant, ad deditionem fame. Captus Franciſcus, ac Venetias miſſus, unà cum fratre ac filijs necatur. Biennio itaq; poſt mortem Joannis Galeatij, cùm tota Ciſalpina in motu eſſet, Veneti adjuvante Franciſco Gonziaco Vicentiâ, Veronâ, Patavio potiti ſunt. Interim verò dum armis omnia circumſonarent, Cabrinus Fundulus, cujus operâ Carolus Cavalcabos multùm & belli & pacis artibus utebatur, ſpe occupandæ tyrannidis elatus, quòd ei non ſecùs ac Carolo Magiſtratus omnes atque Arcium præfecti parerent, redeuntem Laudâ Carolum, videndæ filiæ Tyranni Laudenſis gratiâ, quam in uxorem accepturus erat, ad Machaſturmam, quod decem millia paſſuum ab Vrbe Cremonâ abeſt, ubi noctu diverterat, cum fratribus ac cognatis obtruncat. Inde properè, antequam res in Vrbe ſciretur, cum aliquot militibus Cremonam contendens,

occupatâ Arce ac portis omnibus, forum armatâ manu ingreſſus, quos videt poſſe conatibus ſuis obſtare, aut obtruncat, aut pellit; obtinendæ tyrannidis causâ nullum genus crudelitatis omiſit. Hanc ob rem multi Cremonenſes, relictâ patriâ, Mantuam confugêre, ubi à Franciſco benignè ſuſcepti atque habiti ſunt. Laboratum eſt eo anno peſte, quâ certè multi mortales periêre. Franciſcus ſive ad placandam Dei iram, ſi qua in Mantuanum Populum ob errata hominum eſſet, ſive ad ornandam Civitatem converſus, perfecto ſuperioribus annis Frontiſpicio majoris Eccleſiæ, Divique Andreæ templum inſtaurare conatus, tot ſimul undique obſtrepentibus bellis, ab eâ impensâ abſtinuit. Nam & Mediolanenſes in armis erant, inſtante Bucecaldo, Genuæ Præfecto Regis Gallorum nomine, qui Mediolano potiri cupiebat; contrà verò defendente Facino Cane, egregio tùm copiarum Duce, qui retinere Joannem Mariam in Imperio conabatur, Virum quidem crudelitatis & ſtultitiæ ſingularis. Quos enim oderat, aut percuſſoribus è medio tollebat, aut canibus lacerandos apponebat. Erat præterea tantæ libidinis in fœminas, ut, omiſsâ curâ Reipublicæ, ætatem inter ſcorta ageret, longè fratri Philippo Mariæ, qui ei poſtea in Ducatu ſucceſſit, diſſimilis. Pietate enim, magnanimitate, gratiâ, clementiâ cuivis bono Principi comparari Philippus potuit. In hoc ſtatu rerum Franciſcus anno ſeptimo ſuprà

qua-

quadringenteſimum & milleſimum, nonis Martijs, moritur, relicto Joanne Franciſco impubere adhuc, utpote, qui vix duodecimum attigerat annum, in Venetorum ac Malateſtarum tutelam, quouſque adoleviſſet. Diligebatur à Populo mirum in modum, quòd ex ejus indole clementiæ, juſtitiæ, liberalitatis ſpem magnam omnibus præ ſe ferebat. Sequenti anno Otho tertius Parmenſium Tyrannus, pellectus ad colloquium ſpe componendæ pacis cum Nicolao Marchione Eſtenſi, ad Ruberam inſidijs opprimitur. Hujus cædis Sfortia Cotignola, jubente Nicolao, autor eſt habitus. Mortuo Othone, Regio ſtatim & Parmâ, dedentibus ſponte Civibus, qui oderant Othonis nomen, Nicolaus potitur. Interim Joannes Franciſcus, etſi adoleſcens erat, ad religionem converſus, Carthuſienſe Monaſterium, à Patre inchoatum, biennio poſt acceptam ditionem magnâ impensâ abſolvit, & Bozolum agri Cremonenſis Oppidum ſeſe ſponte dedens recepit. Ac ne quid deeſſet, quo minùs tota Italia armis conflictaretur, Ladislaus Apuliæ Rex, occupatâ Româ, acceptáque in deditionem Peruſiâ, quam tùm armis Brachius vexabat, in Hetruriam cum magno exercitu deſcenderat, quæ quidem ductu & auſpicijs Malateſtæ Piſaurenſis ſtrenuè defenſa eſt. Repulſus enim inde Ladislaus, in Regnum trepidus ſeſe recipit, majore propè accepto, quàm illato incommodo. Dum hæc in Italiâ bello agerentur, Piſis pro creando vero

Pontifice celeberrimus Cardinalium Clericorúmque conventus cogitur, quo & duo Pontifices, quorum alter Romæ, alter Avenioni tùm erat, Pontificali dignitate ſe abdicare ſunt coacti, & Petrus Cretenſis, Mediolanenſis Archiepiſcopus, Vir & doctrinâ & ſanctitate vitæ præclarus, omnium conſenſu Pontifex maximus declaratur, qui poſt acceptam dignitatem, ut in creandis Pontificibus fieri ſolet, Alexander quintus appellatus eſt. At verò Joannes Franciſcus quintum decimum jam attingens annum, Paulam nobiliſſimam ac pulcherrimam Virginem, Malateſtæ Ariminenſis filiam, duxit uxorem, quæ poſteà fœlix prole filiorum, fœlix nobilitate, optima ac ſanctiſſima Matrona eſt habita. Hanc pupilli,hanc orphani, hanc pauperes,hanc ſacris dediti, ut parentem, coluêre. Incedens per Vrbem, omnium ora pulchritudine, venuſtate, gratiâ in ſe unam convertebat. Ad has nuptias, quæ regio ſumptu ac magno apparatu ſunt inſtructæ, convenerêre undique ex Flaminiâ Principes, & Civitatum Hetruriæ, quæ rerum potiebantur, Legati miſſi. Affuit & Nicolaus Ferrarienſis Marchio; affuêre Legati Veneti, qui comiter & benignè hoſpitio ſuſcepti,celebratis nuptijs, muneribus donati, domos quiq; ſuas abeuntes, liberalitate, gratiâ, humanitate, clementiâ, Joannem Franciſcum in Cœlum laudibus ferebant, affirmantes, magnæ ſpei adoleſcentem dignam ſe ac familiâ ſuâ uxorem duxiſſe. Sequenti æſtate ob frequen-

tes

tes pluvias & crebras grandines, & quòd etiam antecedens hyems ſine glacie & nive omninò fuerat, unde frumenta invaleſcunt, magna rerum omnium caritas eſt habita. Mortuo poſt quartum menſem Alexandro, in locum ejus Baldeſſar Coſſa, qui tùm Bononienſibus præerat, ſufficitur, Vir quidem ingenio ferox & pluris audaciæ, quàm Pontificalis clementia & pietas requirebat. Is Mantuam iter faciens, ingenium & magnitudinem animi Joannis Franciſci admiratus, adoleſcentem copiarum ſuarum Ducem deligit, Franciſco Prato adjuvante, qui multis ante annis ordines ductaverat. Laboratū & eo anno peſte, quâ multi paſſim per omnē Venetiam periêre. In Inſubriâ bellum in dies creſcebat, ſuſcitante diſcordias Facino Cane, qui mercenarios retinere ſine bello apud ſe non poterat. Eos enim rapinis, direptionibus Vrbium paſcere conſueverat. Fortè tùm accidit, ut Papienſes, quos Philippus ob tenellam adhuc ætatem retinere in officio non poterat, ſtudio partium concitati, cùm hinc Guelphi, hinc Gibellini ad arma concurrerent, ad externas opes confugientes, potiſſimùm verò Gibellini, cujus factionis Beccaria Familia Princeps habebatur, Facinum cum exercitu in Vrbem introduxerint, pacti fortunas Guelphorum. Verùm is Vrbem cum armato milite ingreſſus, neutri in diripiendis fortunis pepercit. Quærentibus Gibellinis, ſua quoque bona contra fidē datam & fœdera diripi, reſpondit, & egregiè

giè quidem: Gibellinos ſalvos fore; eorum verò bona, quòd Guelpha ſint, militibus ſe in prædam conceſſurum; deridens utriuſque factionis ſtultitiam & cupiditatem. Inde abiens, relicto in portis & in Arce firmo præſidio, tutelam Philippi, donec adoleviſſet, præ ſe ferens, contra Pandulphum Malateſtam ducens, Brixianos & Bergomates incurſionibus & rapinis vexat; nec abſtinuit à Cremonenſibus, quibus tùm Cabrinus imperitabat. Dum hæc in Brixiano agerentur, Hungarorum Rex iturus (ut ipſe prædicabat) Romam libero itinere ad accipiendam Imperij Coronam, duodecim millia equitum & peditum octo in Venetos mittens; capto primo impetu Foro Julij, Tarviſium oppugnat. Huic tanto exercitui Veneti Carolum Malateſtam, inſignem copiarum Ducem, objecêre, ut cunctando magis, cùm impar eſſet, quàm dimicando aperto marte, hoſtem victoriâ exultantem remoraretur. Parùm etiam abfuit, quin Veneti eodem anno Veronam, proditione quorundam Civium, ad rapinam magis quàm ad libertatem ſpectantium, amitterent. Conjurationis capita: Peſo Medicus, ære alieno obnoxius; Familiâ Quinti, nobilis quidem, ſed factioſa; Parmenſis quidam Presbyter, apud quem conjurati clàm ſimul congregabantur. Diſcurrentes per Vrbem armati ad præſtitutam diem, cùm aliquandiu obtinuiſſent eam partem Vrbis, quæ trans Atheſim eſt, à præſidio Venetorum & Civibus, qui cum Vene-

tis

tis ſentiebant, ex Vrbe pelluntur, multis tamen utrinque cæſis; qui in fugâ comprehenſi, quique cum conjuratis ſenſiſſe ſunt cogniti, infœlici reſte ſuſpenſi vitam finiêre. Mortuo eodem anno Facino quarto Idus Junij, ad XVI Kalendas Junias Joannem Mariam conjurati interficientes, Bernabovis filios ac nepotes in Vrbem recepêre. Philippus verò, perſuadentibus amicis, Beatricem, viduam ob Facini mortem relictam ditiſſimam, & cujus autoritate, qui ſub marito militaverant, admodùm movebantur, duxit uxorem. Quo facto, & Civitates omnes, quæ Facino paruerant, ſtatim in deditionem accepit, & Carmignolam Siccúmque Montagnanam, qui Legionem mortuo Facino per ſeditionem diviſerant, in ſuam militiam, perſuadente Beatrice, pertraxit; quibus Ducibus Philippus poſteà uſus, Aſturgium Bernabovis filium Mediolano pellens, in expugnatione Modoeciæ interfecit. Agebantur hæc in Inſubriâ, cùm Joannes Franciſcus cum magno peditum atque equitum numero, mandato Pontificis Bononiam in præſidium Vrbis, quam Malateſta Ariminenſis Ladislai Regis mercenarius gravi bello vexabat, proficiſcitur. Ibi, adjuvantibus civibus, gravia aliquot prælia cum hoſtibus fecit, quibus & ſuperior factus, & Civitatem acerrimè tutatus eſt. Sequenti hyeme Joannes Pontifex Florentiâ Bononiam, atque inde Mantuam contendens, magnificè ac ſplendidè à Joanne Franciſco hoſpitio ſuſcipitur; quem,

inde haud ita multo pòſt abiens, cum magnâ copiarum parte Laudam Pompejanam, quò venturum Regem Hungariæ ſciebat, ſecum duxit. Multùm enim huic Principi fidebat, cujus intègritatem & fidem Bononienſi bello optimè nôrat, cùm pollicitationibus & donis in partes regias à Malateſtâ ſolicitaretur. Deſcendente ex Alpibus in plana Inſubriæ Sigiſmundo Rege, Pontifex non benè ſecurum iter ratus propter frequentes ejus Provinciæ Tyrannos, Joannem Franciſcum cum aliquot cohortibus ei obvium mittit, qui hominem ad Vrbem comitaretur. Hujus familiaritate cum magnâ virtutis ejus admiratione Rex mirificè delectatus eſt. Cùm itaque nec ſatis ſe tutos Laudæ Pontifex ac Rex arbitrarentur, Joannem Franciſcum Mantuam, quò ſe velle ire dicebant, ad parandos commeatus, diſponendámque Vrbem, quò recipi commodè tanta multitudo poſſet, properè mittunt; qui brevi paratis rebus omnibus, Cremonam, quò jam perveniſſe Pontificem ac Regem intellexerat, redijt. Hos inde Mantuam abducens, Populo omnì fermè obviam effuſo, opinionem omnium benignitate & gratiâ ſuperavit. His conventibus, qui & Laudæ, & Cremonæ, & Mantuæ ſunt habiti, de pellendo ex Latio, Vmbriâ, Hetruriâ Ladislao Rege, qui Romam & multa Oppida occupaverat, eſt actum. Videbant enim Italiam incendijs bellorum aliter liberari non poſſe. Ad impenſam bellicam convenerant Florentinorum, Genuenſium,

ſium, Venetorum Legati, opem ſuam pro facultatibus Pontifici pollicentes. Abiens haud ita multo pòſt ab Vrbe Mantuâ Pontifex, Bononiam contendit, ubi de ſummâ rerum gerendarum cum Principibus & Legatis Civitatum, acturus erat. Interim verò Joannes Franciſcus, cognitâ per amicos Pratenſis Familiæ proditione, quæ tùm in Civitate potens habebatur, eam omnem cum reliquis conjuratis comprehendi ac in vincula trudi jubet, Paulâ uxore nobiliſſimâ ac magni animi matronâ ad id adhortante, quòd eos affectare tyrannidem deprehendiſſet. Si quid enim foris, ſi quid domi erat agendum, ij munera omnia obibant, tantæ autoritatis apud Principem habebantur. Exigebant ipſi vectigalia, portoria, proventus omnes. Si quid erat agendum, quod autoritatem Principis requireret, id ipſi ex animi ſententiâ tanquam Domini approbabant. Ad hos omnia deferebantur. Vnde factum eſt, ut in ſententiam brevi nonnullos Cives traherent. Princeps conjurationis Carolus Pratus erat; cum hoc ſentiebat reliqua Familia. Ibant etiam in hanc ſententiam Antonius Lafrancus, Equeſtris Ordinis Vir, Benevenutus Pecorinus, Martinus frater, Phyſicus eâ tempeſtate egregius, Gabriel Soranus, Creſcimbenus Caſtelbargus, Gaſpar minorum frater. Ad eam enim inopiam de induſtriâ Joannem Franciſcum redegerant, ut, cùm Paula ex eo Ludovicum pepeciſſet, qui noſtrâ tempeſtate Mantuanis imperat, ægrè

puerperio neceſſaria habere potuerit. Sumptâ itaque de nocentibus pœnâ, reſpirare aliquantulùm Princeps cœpit, & meliore fortunâ uti. Eodem anno Vſtianum, dedentibus ſeſe ſponte incolis, in deditionem, ut biennio antè Inſulam Caſtellum agri Cremonenſis recepit. Quinto decimo verò ſupra quadringenteſimum & milleſimum anno, conſcripto ſatis magno equitatu, ac delectu peditum ex agris ſuis habito, adjuvantibus Hectore Carboneſio & Faruſino Mantuano, cohortium Præfectis eâ tempeſtate egregijs, Vitellianam Cremonenſis agri Oppidum ſatis magnum è Cavalcabobus vi cepit. Pulſi enim Cremonâ à Cabrino Fundulo, qui, Carolo ac fratribus interfectis, tyrannidem occupaverat, hoc ſolum Oppidum ex tantâ ditione retinuerant. Verùm cùm ſuperbè atque impotenter cum finitimis ſeſe haberent, inde quoque pelli meruêre. Noctu itaque copias Joannes Franciſcus tria millia paſſuum ab Oppido in inſidijs collocans, tàm diu exſpectat, quoad omnis multitudo ſeſe ad ſolenne ſacrum, quod eo die celebrandum erat, effunderet. Jam exierant fermè omnes ad tertiam horam diei, cùm ſubitò ex inſidijs Joannes Franciſcus provolans, præmiſsâ cohorte, quæ Oppidanos ab ingreſſu Oppidi excluderet, magnam multitudinem virorum, impuberum ac mulierum cepit, imperans continuò militibus, ut inermibus & arma ponentbus parcerent. Tùm verò Oppidani, & perpauci quidem, qui caſu domi

domi remanſerant, cùm viderent, oppugnationem, ad quam ſe Mantuani parabant, diu ſuſtinere non poſſe, capto robore juventutis, oppidum, incolumitatem ſuorum pacti, Joanni Franciſco dedunt; in quo tantum præſidij cum Hectore Carboneſio relinquens, quantum ſatis eſſet ad continendos in fide Oppidanos, Mantuam rediens, dimiſsâ collectitiâ & tumultuariâ militum manu, lectiſſimorum equitum ac peditum centurias aliquot & cohortes ſcribit, quibus ſequenti anno militiam & auſpicia Malateſtæ, inclyti eâ tempeſtate Ducis ſecutus, cùm Bracchium ex agro Piceno pellere conaretur, virtutis & probitatis magna indicia præ ſe tulit; maximè verò, dum oppugnaretur Rochâ contrata, quæ Bracchiano præſidio tenebatur; ubi cùm nunc militis nunc Ducis munia obeundo muro prærupto ſuccedit, in ſiniſtrum crus grave vulnus accepit. Perductus deinde poſt ſanatum vulnus in concionem militum, à Malateſtâ graviſſimâ oratione laudatus eſt, ac militaribus muneribus, thorace, equo, enſe, donatur. Pulſo deinde ex agro Piceno Bracchio in patriam redijt, veritus ne ex vicinitate bellorum, quibus tota Provincia ardebat, aliquid detrimenti acciperet, Philippo Mariâ bello & armis ditionem paternam repetente; contrà verò defendentibus ſe acriter Tyrannis, qui, guſtatâ ſemel imperandi voluptate, non ita facilè de poſſeſſione pellebantur. Vrgebat tùm Carmignola Pandulphum Malateſtam, &,

capto Bergomo, prodente Arcem Præfecto, pecuniâ & pollicitationibus corrupto, in Brixianos movens, eum omni dominatu brevi ſpoliâſſet, niſi à Venetis ingenti pecuniâ & firmiſſimo equitatu eſſet adjutus. Intereà verò accidit, Martinum quintum Romanum Pontificem Conſtantiâ, ubi omnium, qui in eo Concilio fuerant, conſenſu Pontifex declaratus fuerat, Mediolanum, dum Italiam repetit, pervenire. Is autoritate & gratiâ Philippum ad pacem cum Pandulpho Malateſtâ ineundam perpulit, quæ poſteà Mantuæ, Martino eò accedente, Joanne Franciſco ſequeſtro adhibito, his legibus compoſita eſt, ut Pandulphus, perſoluto quotannis tributo, tàm diu Brixiâ potiretur, quoad ei vivere liceret, nullâ in teſtando de Civitate, quæ meritò ad Philippum devolveretur, relictâ poteſtate. Hanc pacem ſequenti anno Pandulphus diſturbavit, annixus pecunijs ac milite retinere Cabrinum in Vrbe Cremonâ, quem armis Philippus continuè vexabat, Civitatem paternæ ditionis, tot jam annis à Tyranno poſſeſſam, repetens. Erat tamen fama, Pandulphum Vrbem ipſam à Cabrino emiſſe, Salodij Riperiam in pretium pollicitum. Ab hoc bello Joannes Franciſcus deterrere hominem fruſtrà conatus eſt, miſſis Legatis, qui eum admonerent, contra jus fáſq; agere, quòd fœdera ſperneret, quòd Tyrannum tutaretur, quòd contra eum arma ſumeret, à quo dominatu Brixiano donatus fuerat; non eſſe contemnendam autori-

toritatem Martini, de ſuâ nolle dicere, cujus interventu pax erat compoſita; ſi hominum autoritatem contemneret, Deum ſaltem inſpiceret, quem teſtem rupti ab eo fœderis, dum pax fieret, invocaverant. Abiens Mantuâ Pontifex, ſubſequentibus omnibus fermè Italiæ Principibus, qui Mantuam ad ſalutandum hominem de more convenerant, Bononiam primò, mox Florentiam proficiſcitur. Inſtat tùm acriter Carmignola jubente Philippo, quòd ſuo jure in Pandulphum ducere exercitum poſſit. Captâ itaq; brevi magnâ parte Brixiani agri, cùm adventare Ludovicum Melioratum cum magno equitatu in auxilium Pandulphi diceretur, ad Montemclarum caſtra locat, quo iter Brixiani facturos hoſtes intellexerant. Ibi ſuperveniente Ludovico, diu acriter certatum eſt. Victor Carmignola ſuperatis hoſtibus, haud ita multo poſt Brixiam in poteſtatem Philippi redegit. Potitur & Cremonâ Philippus, ac Cabrinum Tyrannum ad Caſtellionem captum pœnâ capitali afficit. Qui ſive rerum ſucceſſu elatus, ſive ſenſiſſe Mantuanos cum Pandulpho, quo cum Ioannes Franciſcus affinitate conjunctus erat, ſuſpicaretur, Piſcheriam, Vitellianam, & quicquid in Brixianis Cremonenſibúſve retineret, ſuo jure (ut ipſe dicebat, quòd bona paterna eſſent) repetit. Tulêre id ægrè Veneti, quòd habitâ Piſcheriâ, occupari facilè ab eodem Verona ac Vincentia poſſet. Quare Gonziaco admonito, ne mandata faceret, Oratores ad Philippum

lippum mittunt, qui & hominem è ſententiâ dimoverunt, & pacem in annos decem retulêre. Tùm verò Nicolaus Marchio Eſtenſis, ſponte facturus id, ad quod armis cogi potuiſſet, Mediolanum profectus, Parmam Philippo reddidit, retento Regio, Martini Pontificis rogatu, feudi nomine. Profectus & eò Joannes Franciſcus Philippo gratulatum, pro re benè geſtâ, cum minùs comi fronte inſpiceretur, inde abiens, Venetorum ac Florentinorum fidem, & ſocietatem ſecutus eſt, parvi exiſtimans Philippi minas, ſi ab his duabus Rebuspublicis, opibus & potentiâ pollentibus, eſſet adjutus. Tàm diu pacis munia obivit, quamdiu Veneti à Florentinis in bellum contra Philippum ſolicitati ſumpsêre arma. Queſti enim perſæpè in Senatu Veneto Florentini fuerant, Philippum regnandi cupidum, ruptis legibus initi fœderis, & ultra Macram Serzanam Oppidum Lucenſis agri, receptâ Genuâ, quam diu obſederat, Thomæ Fregoſio dediſſe; quem è Principatu vi & armis dejecerat, ne cum Genuenſibus exulibus quicquam adverſus ſe moliretur; & Bononienſes Florentini populi Socios ad defectionem concitâſſe, eorúmque milites ſtipendio conduxiſſe; & Forum Livij nunc ob Thebaldi pueri tenellam ætatem, nunc ob Ferrarienſis Principis gratiam, ut crebrò dicebat, occupâſſe, cùm fœderibus cautum eſſet, Ducem Bononiam, & Flaminiam armis attingere nullo modo debere. Verebantur item, ne trium ſimul potentiſſimo-

ſimorum Principum, Philippi, Martini Pontificis, Alouiſij Regis, quos ſocietatem inijſſe conſtabat, vi & armis omnia occuparentur. Acceptis poſtremò duabus cladibus, dum recuperare Forum Livij contendunt, ſummam deſperationem præ ſe ferebant, niſi à Venetis eſſent adjuti. Verùm Senatus nil temerè agendum ratus, quòd ſibi cum Philippo pax eſſet, quódque nullæ hactenus inter Vicecomites & Venetos interceſſiſſent inimicitiæ, intermiſſurum ſe autoritatem ſuam reſpondet, quo pax inter eos componeretur. Miſſus itaque Paulus Corarius ex gente Patriciâ, Philippum eleganti oratione perpulit, nunc ejus magnitudinem animi & clementiam extollendo, nunc Senatûs Veneti benevolentiam avitam & ingenitam erga ſe ac Vicecomitum Familiam commemorando, ut Florentinis, malè de ſe meritis, pacem ex eorum atque Marchionis Eſtenſis ſententiâ daturum ſe dixerit, modò non omninò æquas fœderum conditiones, quas ſemper callidiſſimis cautionibus depravare ſolerent, aſpernarentur. His de rebus cùm Legati ultrò citróque miſſi, non modò non purgarent errata, ſed Mediolanenſes ipſi Florentinis ultrò crimini darent, quòd Genuenſes hoſtes ſuos commeatu & pecuniâ juviſſent, quòd eoſdem litteris ac nuncijs factâ ſpe auxilij ad tolerandum bellum adhortati eſſent; quódque Liburnum ditionis Genuenſis centum millibus aureorum emiſſent, ita utrinque diſceſſum eſt, ut neque certum bellum,

nec firma pax haberetur. Alter tamen alterum obſervabat, copiáſque, quantas maximè poterant, comparantes. Inſtabant Florentini monendo, orando, prehenſando ex Optimatibus optimum quemque, ut initâ cum Florentino Populo ſocietate, partitâque bellicâ impensâ, communibus auſpicijs colubro virus per totam Italiam ſpargere conanti, antequam invaleſceret, obviàm iretur; aliter, omnibus pereundum eſſe, ſi ſerpere latiùs tantum malum cœpiſſet. Moti his precibus atque admonitionibus Veneti, maximè verò, quòd in eam ſententiam ire Gonziacum & Eſtenſem Principes videbant, qui rebus ſuis timentes, Venetias ſeſe contulerant, & operam in bello ſuam pollicebantur, fœdus primò cum Florentinis, Eſtenſi ac Gonziaco renovârunt; mox de ratione belli gerendi inter ſe locuti, timore hoſtibus injecto, Legatos à Mediolanenſibus excivêre. Philippus enim duorum Populorum ac Principum arma in ſe concitari cernens, Joannem Aretinum, Virum præſtantem, ad Venetos properè mittit, qui eos è ſententiâ dimoveat, commemorando veterem Vicecomitum & Venetorum amicitiam ac pacem, deterrendóque eos à ſocietate Florentini Populi, quòd aſtu, dolo, fraude eorum plena ſint omnia. Tùm verò Joannes Franciſcus, qui uſque ad eam diem de bello in Philippum gerendo nil publicè dixerat, veritus, ne ſententiam Veneti mutarent, Senatum ingreſſus ita diſſeruit. Etſi ſcio, Veneti, Vos pro veſtrâ

ſtrâ prudentiâ, atque animi ſolertiâ intelligere, quid tacitus à Vobis expetam, imò tota Italia, de cujus libertate & ſalute agitur, tamen, ne in rebus dubijs defuiſſe communi ſaluti videar, pauca dicere inſtitui. Peto tamen, antequàm dicere incipiam, ne me hæc magis dicere putetis ob privatam ſimultatem, quæ mihi cum Philippo eſt, quàm ob imminens Italiæ cervicibus graviſſimum ſervitutis jugum. Novi ego Philippi ingenium, novi animum; majora mente concepit, quàm verbis explicet. Non quid dicat, ſed quid agat attendendum eſt. Appetentiſſimum ſe pacis oſtendit, & tamen duobus à lateribus Florentinos oppugnat. Si pacem cupit, ab armis diſcedat: Florentinum Populum, afflictis ſuis rebus opem, libertati tutelam, Reipublicæ incolumitatem jam diu à Vobis rogantem, bello perſequi deſiſtat. Non diſcedit, mihi credite, ab ingenio ſuorum; eoſdem habet hoſtes, quos Proavus, quos Avus, quos Pater habuit. Me quem videt veſtris ulnis protegi, etſi inſenſum ſervat, illæſum tamen ad tempus relinquit. Superatis Florentinis, viribus & audaciâ plenus, Eridano violentior, ubi inundat, omnem vim belli in me ac in Vos convertet, fœderum illorum immemor, quæ tertiò quoque verbo jactitat, veteris amicitiæ oblitus, quam veluti nebulam artibus ſuis, ne ſubeſſe fraus deprehendatur, obijcit. Non verba hominis, Patres conſcripti, ſed facta & mores ſunt attendenda. Promittit, negat, pro arbitrio. Quoties fœde-

ra cum Florentinis inijt, miſſis Legatis, qui blandè eos appellando, montes aureos pollicendo, dolum ac fraudem hominis integerent? Fœlices certè & fortunati fuêre Majores noſtri, quòd non hunc graviſſimis illis temporibus hoſtem habuêre. Quid futurum quæſo fuiſſet, ſi, dum Mantua terrâ ac flumine à Mediolanenſibus oppugnatur, hic tanti incendij excitator fuiſſet? quid, ſi hæ vires, hæc audacia, & dominandi cupiditas, alterum Franciſcum Carrarienſem, qui vos terrâ ac mari perſequeretur, nacta eſſet? Benè nobiſcum actum eſt, Veneti, quòd, Patre meo Duce, Patavinum illum Tyrannum è medio ſuſtuleritis; pulſaremur nunc non armis tantùm, ſed dolo, fraude, verſutiâ duorum hoſtium. Non eſt tamen, quòd altero malo Dei benignitate ſimus liberati, minùs pro novo, & eo quidem magno, laborandum, ne ocio laſcivientes, libertatem amittamus. Hoſtem, Veneti, hoſtem, inquam, habemus, cujus potentia reformidanda eſt. Nam ſi, dum egenus, dum domo ac patriâ pulſus, aſtu & audaciâ tantam ſibi ditionē comparavit, qualem ſperemus futurum indiès auctis viribus, aucto commeatu opulentiâ feraciſſimi ſoli? Eundum eſt obviàm ejus potentiæ: excidendæ radices tantæ tyranndis, priuſquam invaleſcant. Quantillis copijs duos Florentinorum exercitus fugaverit, nôſtis omnes, quos ſociorum calamitas aliquantulùm movit. Quis eum ſuſtinebit, quæſo, ubi aucto Imperio, magnos comparare exercitus,

citus, milites ad defectionem muneribus ac pollicitationibus ei ſolicitare licebit? Concurrunt undique ex totâ Italiâ ad hominem mercenarij; eum Regem vi & armis facturos ſe pollicentur, cùm contrà ille magnas opes, potentiam, facultates repromittat. Flectunt perſæpè oculos ad eã partem Venetiæ, quam nos poſſidemus. Noſtros agros, noſtra tecta, fortunas omnes famelicis mercenariorũ faucibus obijcit, quò eos ad omnia pericula obeunda audaciores faciat. Taceo, quâ fidentiâ, quáq; temeritate jam noſtra partiti ſint: virgines, matronas, matres familias, impuberes, procis, maritis, parentibus, fratribus, abducturos ſe pro libidine prædicant. Huc, mihi credite, ſuperatis Florentinis, omnem iram belli & prædandi cupiditatem vertent. Quòd ſi itum obviàm injuriæ fuerit; ſi præciſa prædandi ſpes, ſi contuſa eorum audacia & libido armis fuerit, cùm ob præmium & avaritiam bella gerant, relictis Philippi Ducibus, relictis ſignis, majore celeritate dilabentur, quàm convenêre, & eadem (ſi per Vos licebit) in Philippum arma convertent, quæ ejus causâ primò ſumpſiſſe videbantur. At fœdera proponitis, quæ Vobis inita cum Philippo ſunt; eadem ſancta, eadem inviolata Senatus vult, & ego cupio; verùm tacitus jam dudũ, Veneti, à Deo optavi, ut quibus mentem dedit fœdera ac pacta ſervandi, eiſdem quoque violatæ ac diſcerptæ juſtitiæ cauſam proponat. Ea enim interceſſit, & fœderib⁹ intervenit; quâ ſublatâ, & fœdus tollitur, & pacta

 con-

continuò ceſſant. Pacem Italiæ pacti eſtis, quietem Populorum, ſecuritatem Sociorum; hæc ſi interturbat, tollit & fœdus. Vos, mihi credite, hoc aſtu, hâc arte fallendi, tàm diu deludet, quoad, ut quondam Pandulphum, Vobis ſedentibus, dominatu expulit, ſic nunc, ſuperatis Florentinis, me, à quo Piſcheriam Vitellianam repetit, Potentatu Mantuano ſpoliaverit. Huc deinde omnem vim belli convertet. Non proderunt Vobis conſcripta fœdera, non inita pax. Memores tùm Sociorum eritis, memores amicorum, quos, niſi nunc bellum properè decernitis, deſtitutos divinâ atque humanâ ope, lacerandos ſiccis Philippi faucibus relinquitis. Sed per Deum Vos oro, Veneti, ne Socios deſeratis, ne exiſtimationem veſtram contemnatis, ne legitimum ac ſanctiſſimum bellum veſtrâ, neſcio quâ, ſuperſtitione omittatis. Hoc vos rogant (ſi fas eſt dicere) Dij ipſi, hoc homines, hoc Civitates, hoc Caſtella, hoc pecora, hoc plantæ, quæ captivitatem, mortem, ſervitutem, excidia, incendia exſpectant, niſi à Vobis itum obviàm tantæ injuriæ fuerit. Permovit hæc oratio Venetos, adhortante Carmignolâ, viro bellicâ laude inſigni, atque eâ ætate clariſſimo, qui (ut ipſe ajebat) ægrè ferens Philippi inſolentiam, ad Venetos tunc confugerat. Bellum itaque ſtatim omnium conſenſu decernitur: ad id equitum duodecim, peditum octo millia conſcribuntur, quos Florentinus, communi impensâ, quoad debellatum eſſet, in armis

retineret. Ad hoc additum, ut claſſem fluvialem in Cremonenſes Veneti, maritimam in Genuenſes Florentini pararent, quo Philippus eodem tempore multis à lateribus oppugnaretur. Terreſtris exercitûs Dux Carmignola deligitur, ſub quo Gonziacus Princeps liberiùs ordines duxavit. Convenerant jam omnes copiæ in Veronenſem ac Mantuanum agrum, inde moturæ, quo Carmignola imperâſſet. Tentati primò pecuniâ Brixianæ Arcis cuſtodes, ut, Præfecto (dum noctu Arcem circuit) interfecto, immiſſas à Ducibus cohortes admittant. Verùm, dum id parùm ſucceſſiſſet, ad tentandos Guelphos, Philippo ob factionem Gibellinam infenſos, convertuntur. Duo tùm in Vrbe ejus factionis Primores erant, Petrus & Achilles, cognomento Avogadri. Ii, quia Mantuâ oriundi erant; eorum enim Majores pulſi inde ob inteſtina bella fuerant, clàm nunciari Gonziaco jubent, ut exercitum properè Vrbi admoveat, eam, refractâ à ſe Vrbis portâ, pro arbitrio recepturus. Non cunctati Carmignola & Gonziacus, collectis undique Guelphis, eò contendentes, per Divi Joannis portam Vrbem ingreſſi anno vigeſimo ſexto ſupra quadringenteſimum & milleſimum, ad expugnandas Arces convertuntur. Eſt namque Brixia tres in partes diviſa: monti adjacet ad meridiem; converſa in cacumine montis Arx eſt, aſpero aſcenſu & opere munitiſſima, à quâ duo latiſſimi muri crebris turribus muniti, parum inter ſe,

&

& æquè ferè diſtantes, per Vrbem ducuntur. Deſcendenti ab Arce per has munitiones, quas accolæ Garzetam appellant, partem illam Vrbis, quæ ad ſiniſtram relinquitur, Gibellini incolunt, quæ verò ad dexteram, quæq; major & populoſior eſt, tota Guelphorũ factione referta habetur. Hanc itaq; partem Carmignola & Mantuanus ingreſſi, redactis properè ejus regionis portis omnibus in poteſtatem, firmóque præſidio munitis, retruſóque intra Garzetam Oldrado, qui recuperare partem Vrbis captæ cum aliquot cohortibus, quas ſibi in præſidio habebat, fruſtrà ſæpè tentaverat, oppugnare reliquam partem bombardis ac machinis omnibus inſtituerunt. At Philippus partem Brixiæ deditione Guelphorum in poteſtatem Venetorum deveniſſe audiens, admiratus, id præſente Oldrado fieri potuiſſe, Franciſcum Sfortiam cum equitibus eò properè mittit, qui tamdiu oppugnantes ſuſtineret, quoad reliquæ copiæ ex Hetruriâ & Flaminiâ accitæ, ſubmitterentur auxilio. Interim verò Carmignola & Mantuanus eruptionem hoſtium veriti, vallum & foſſam frequenti opere ruſticorum ad Garzetam ducunt, quo faciliùs intra munitiones hoſtem continerent. Dùm hæc intentiore curâ agerentur, Franciſcus Sfortia Vrbem noctu ingreſſus, confirmatis eorum animis, qui in fide remanſerant, tentatâ ſæpius eruptione, foſſam replere, ac vallum reſcindere conabatur, quo faciliùs irrumpere Civitatem, eandémque diripere, adju-

adjuvantibus Gibellinis, & qui in præſidio erant, liceret. Verùm Mantuani operâ repulſus, quem Carmignola ad oppugnandam portam Pilarum cum parte copiarum profectus, tuendis munitionibus præfecerat, tentare ampliùs eruptionem non eſt auſus. Confluebant undique eò tùm à Venetis, tùm à Philippo magnæ copiæ. Quare Carmignola, maturandum ratus, priuſquam omnes Philippi copiæ ſupervenirent, dum diu ac noctu, nullâ datâ hoſtibus quiete acceptáve, portam oppugnat, in febrem dolore laterum ac nervorum incidit. Quamobrem, Venetis adhortantibus, curandæ valetudinis gratiâ, inde ad balnea Aponi abiens, Mantuanum Principem exercitui ac defendendæ Civitati præfecit. Is intentiore curâ defenſis civibus, partem copiarum extra Vrbem ducens, ſtativa poſuit, ne ad obſeſſos mitti commeatus poſſent. Increbreſcente deinde famâ, magnas Philippi copias adventare, Carmignola recuperatâ magnâ ex parte valetudine, Brixiam rediens, collaudatâ Mantuani virtute & ſolertiâ, totus ad expugnandam Garzetam ac reliquam partem Vrbis convertitur, Franciſco Sfortiâ, qui tùm in præſidio erat, acriter defendente. Oppugnata jam Brixia ad duos menſes fuerat, cùm Philippi copiæ ex Hetruriâ ac Flaminiâ excitæ, agrum Mantuanum ingreſſæ, huc atque illuc diſcurrentes tempus terunt, Venetis ad confirmandas denuò munitiones ſpatium dedêre. Eſt enim conſtans omnium re-

rum militarium peritorum opinio,recuperari Brixiam potuiſſe, pulſis inde Venetis, ſi rectâ ad Vrbem profecti fuiſſent. Dum hæc ad Brixiam intentiùs agerentur, Angelus Pergulanus Philippi juſſu Mantuanum agrum cum magno peditatu ingreſſus, longè ac latè omnia populatur, quò Principem Mantuanum ad ſua tuenda abſtraheret. Verùm id fruſtrà tentatum eſt. Immiſſis enim cohortibus aliquot, quæ hoſtes à populationibus arcerent, intentiore curâ, quàm nunquam anteà, ad intercludendos commeatu hoſtes, novæ in dies munitiones,novæ machinæ erigebantur. Tùm Angelus, ubi multis in Mantuano agro paſſim editis incendijs averti ab oppugnatione Brixiæ Joannem Franciſcum poſſe non vidit, in Brixianos movens, caſtra non longè à munitionibus Venetorum, quæ quotidie ad prohibendos commeatu Mediolanenſes fiebant, communijt. Movit & eò properè Carmignola, relicto ad tutelam Vrbis Principe Mantuano. Non ſunt tamen auſi,varijs varia ſentientibus, aut collatis ſignis cum Carmignolâ decertare, aut munitiones, quæ ad obſidendam Vrbem fiebant, reſcindere, Nicolao Picennino perſæpè clamante, id fieri perfacilè poſſe, & Philippi rem ignaviâ Ducum hoſtibus prodi. Hunc adire munitiones conantem, facilè Carmignola, immiſſis aliquot aciebus, ſubmovit, non ſubſequente reliquo exercitu, timiditate & ignaviâ Pergulani Ducis. Tandem verò, qui in præſidio erant, diebus ac no-

ctibus

ctibus oppugnati, cùm ad exiguum numerum, cadentibus in dies multis, eſſent redacti, cúmque fame laborarent, nec ulla ſpes ſubſidij ſubeſſet, relictâ eâ parte Vrbis, quam diximus à Gibellinis incoli, in Garzetam ſeſe recepêre; inde etiam, bombardis diu ac noctu pulſati, abeuntes, Placentinum Centurionem cum peditibus quinquaginta ad præſidium Arcis reliquêre, quæ machinis diu quaſſata, dedentibus ſe conſenſu Philippi militibus, in poteſtatem Venetorum pervenit. Capta itaque Brixia eſt ſeptimo, quàm oppugnari cœpta eſt, menſe. Ducente deinde Carmignolâ ad capienda Brixianorum Caſtella, Martinus Philippi amicus ad componendam inter Philippum ac Venetos pacem, Cardinalem Sanctæ Crucis mittit; quâ infectâ, quòd iniqua Veneti ac Florentini poſtulare viderentur, rursùm magnis viribus bellum utrinque parari eſt cœptum. In Mantuanos crebræ fiebant incurſiones, cùm per anni tempus nondum caſtra metari liceret. Verùm ſuccedente paulatim per Padum Venetorum claſſe, dùm Franciſcus Sfortia Brixellum oppugnat, omnis vis belli ad navale prælium transfertur. Nam & Philippus triginta Galeones, Paſino Euſtachio Duce, Cremonam miſerat ad tuendam eam partem agri Cremonenſis, quæ Pado ad ſiniſtram adjacet; & Veneti Fanciſco Bembo Præfecto uſi, Viro maritimis bellis probato, continuò ſuccedentes, ac oram illam fluvialem infeſtantes, non ampliùs quàm paſſuũ quatuor mil-

lia à Cremonâ conſederant, contendens eò & cum terreſtribus copijs Picenninus, Paſinum adhortatur, ut primo quoque tempore cum Venetis navali pugnâ decertet, affuturum ſe pollicitus, & integros milites feſſis continuò ſubmiſſurum.. Initur prælium, & quidem acre, nec animis nec viribus par. Veneti enim, præterquam quòd numero navium earundémque ad prælium agillimarum ſuperiores erant, arte etiam & audaciâ metum facilè hoſtibus incutientes, captis primis galeonibus, quos Paſinus immiſerat, reliquos in fugam convertunt, fruſtrà Picennino à ripâ Paſinum, remiges ac milites adhortante. Víus victoriâ Venetus, Cremonam annavigans, primo ſtatim impetu duo Caſtella cepit, tabulatis mirum in modum à Philippo in Pado ædificata, quo minùs Venetis ſubvehere claſſem liceret. In expugnando tertio, quod ad Vrbem vergebat, plus laboris eſt paſſus, oppugnationem impediente Cremonenſi Populo. Tandem verò captis omnibus atque everſis, convulſiſque palis, ne alia ſuperædificari poſſent, nimio ſucceſſu læti ac ſecuri Veneti, cùm paſſim veluti pecora recreandorum corporum gratiâ in eâ ripâ Padi jacerent, quæ Vrbem ac flumen interjacet, ſuperveniente Populo Cremonenſi Chriſtophoro Lavello Duce, vino ac epulis pleni milites remigéſque magnâ ex parte cæduntur. Ægrè ſolvere à ripâ Franciſco Bembo licuit, & Claſſem remigibus fermè vacuam conſervare. Qui haud ita multo

poſt

poſt emendare acceptum incommodum conatus, amiſſis aliquot militibus, rem infœliciter tentatam omninò omiſit. Æſtate verò jam appetente, Carmignola, accitis undique Venetorum copijs, Montemclarum proficiſcitur, eodem tempore & Oppidum oppugnaturus, & Mantuano Principi, quò tutiùs in caſtra perveniret, quaſi obviàm futurus. Eo verò ſuperveniente, cùm fruſtrà teri tempus in oppugnatione montani ac munitiſſimi Oppidi videretur, Gottolengum cum equitum quatuordecim, peditum ſex millibus, ſubſequente carrorum, calonum, jumentorum magnâ multitudine, unis caſtris contendit. Inerant præſidio mille Philippi equites, quos Ducis familiares appellabant, delecti quidem èx omni militiâ & bello ſtrenui. Ingreſſi & nocte ejus diei, quo Carmignola caſtra moverat, Guido Torellus, Chriſtophorus Lavellus, Nicolaus Guerrerius animum ad erumpendum cœteris dedêre. Superveniente itaque Carmignolâ, cùm paſſim veluti pecora primi abjectis temerè armis, nullis metatis caſtris, nullóve ordine ſervato, per herbida prata ſub umbrâ ad vitandos æſtus jacerent (erat enim tùm dies religione Dominicæ Aſcenſionis celebris, & jam calor intendi cœperat) Philippi copiæ ſubitò inſtructis aciebus erumpentes, obvios quoſque, utpote inermes, & nil tale metuentes, fundunt. Tùm Nannes Stroza, Florentinus Civis, qui cum quadringentis equitibus à Nicolao Eſtenſi Venetis auxilio miſſus fuerat, cui-

que negotium ad reprimendas eruptiones ſorte obvenerat, erumpentibus obviàm factus, cùm aliquandiu acriter in loco anguſto dimicatum eſſet, neque ultimi primis in fugam verſis ſeceſſum darent, cum aliquot equitibus in confertiſſimam turbam delatus, poſt longam pugnam obtritus equitum globo perijt. Inde fuga ab inermibus paſſim fieri cœpta. Verùm ſupervenientibus Carmignolâ & Mantuano Principe, victoriam propè partam è manibus hoſtium extorsêre, qui cùm pauci à pluribus urgerentur, receptui canentes, onuſti prædâ, ac captis ex Venetis mille & quingentis equitibus, in Oppidum læti ovantéſque ſeſe tutò recepêre. Deſperatâ oppugnatione Gottolengi, validiſſimo præſidio muniti, Carmignola inde movens, trajecto Ollio amne, in Cremonenſes movit, arbitratus omnia cis Abduam & Padum occupari facillimè poſſe, ſi Cremonam aut vi aut obſidione cepiſſet. Verùm, ut ire atque redire Brixiam pro arbitrio liceret, Arcem, quam Binam accolæ vocant, cum ponte expugnat. Inde abiens, relictâ ad dexteram Cremonâ, ſecundùm Padi ripam ſexto ab Vrbe milliario ad Vicum, quem accolæ Summum vocant, caſtris ſubſiſtit, immoraturus tamdiu acceſſum ad Vrbem, quoad Venetorum claſſis ſubveheretur. Interim verò Philippus, auditâ hoſtium multitudine, rebus ſuis timens, adhortatus, ut, qui arma ferre poſſent, quique ſe ſalvum eſſe vellent, ſequerentur, Mediolano properè abiens,

Cre-

Cremonam cum ingenti exercitu pervenit. Caſtra deinde ſequenti die ab hoſtium caſtris circiter tria millia paſſuum communivêre, non detrectaturi certamen, ſi eis ab hoſtibus pugnandi copia fieret. Nuſquam antè aliàs, eâ præſertim ætate, tanti ſimul exercitus viſi. Ad decem & octo millia equitum, peditum novem, Venetos habuiſſe ſub ſignis conſtat præter lixas, calones, ruſticos, prætérque navales copias, quas ad decem millia virorum fuiſſe conſtat. Fuêre item in Philippi exercitu, equitum quindecim, peditum ſex millia, omitto tumultuarios milites, quos Mediolano abiens ad bellum concitaverat. Intercedebat fermè pari ſpatio inter utrúmque exercitum foſſa ſatis profunda, ponte conjuncta. Hunc pontem tranſiréntne hinc Veneti, hinc Mediolanenſes, aliquantulùm addubitatum. Tandem verò Mediolanenſes potentiâ Ducis moti, trajectâ foſsâ, hoſtes pro vallo inſtructis aciebus ſtantes, acri animo invadunt. Non detrectârunt & illi certamen, hinc Carmignolâ, hinc Gonziaco adhortante. Pugnatum eſt fermè ab ortu ſolis uſque ad ſummam veſperam, ſub tanto æſtu, ardente Julio, tantáque pulveris nebulâ, ut neque, quò ſubmittenda eſſent auxilia, neque quos adhortarentur in pugnam, quippe confuſis paſſim omnibus, ſatis Duces ipſi internoſcerent. Tandem verò, cùm canere receptui Duces juſſiſſent, inde æquo marte diſceſſum eſt. Neque ampliùs ad univerſæ rei dimicationem ventum eſt,
maximè

maximè verò revocante Philippum bello, quo eum premi ab Amedeo Duce Sabaudiæ & Marchione Montisferrati eſt nunciatum. Tùm Carmignola, omiſsâ ſpe potiundi per vim Cremonâ, ad oppugnandum Caſale majus contendit, quo tandem recepto poſt longam terrâ ac flumine oppugnationem, in Brixianos movet, Principe Mantuano ſubſequi juſſo, qui Sablonetam oppidum eo redegerat, ut in ejus manus propedièm venturum videretur. In Brixianos enim Carolum Malateſtam Piſaurienſem profectum intellexerat, quem Philippus copijs ſuis cum Imperio præfecerat, quò cœteri Duces humiliori loco nati, inter quos certè magna erat de principatu contentio, huic, inſigni familiâ orto, parere faciliùs animum inducerent; tùm ut Mantuanum Principem, cui Paula, Mulier nobiliſſima, Caroli ſoror, nupſerat, à Venetis alienaret, injectâ ſuſpicione tranſitionis, tùm vel maximè, quòd arbitratus eſt, Brixianos renovatâ Pandulphi Malateſtæ memoriâ, quem mirificè dilexerant, aliquid innovaturos. Carmignola itaque, quò fiduciâ ſui omnem Caroli autoritatem uno impetu comprimeret ac tolleret, Machlodium magnâ ex parte paludibus circumdatum, eo vidente, oppugnatum contendit. Ferebant id ægrè Picenninus ac Sfortia, quòd ipſis cernentibus, atque ocio & ignaviâ torpentibus, Philippi Caſtella diriperentur; non eſſe ferendam tantam ignominiam, cùm facilè Carmignola inde pelli ac fugari poſſet. Tùm

Caro-

Carolus: Quandoquidem ita vultis, inquit, ne unus præ cœteris omnia ſapere videar, prælio cum hoſte decernatur. Ego, ne timiditate detrectâſſe certamen videar, primus cum hoſte congrediar; me ſequetur Lavellus, Lavellum Picenninus, Picenninum Franciſcus Sfortia; in ſubſidiarijs Torellus eſto. His dictis ſtatim in hoſtem ſigna movet, per viam paluſtrem ac tortuoſam, unde facilè à paucis plures propelli poterant. Hoc futurum ratus Carmignola, qui ex concurſatione hoſtium & tumultu, quò itura res eſſet, deprehenderat, acies & ipſe inſtruit; ſagittarios in ceſpitibus paludis pœnè ob æſtatem deſiccatæ collocat, quò tutiùs ferire hoſtem, ac pœnè ſedentes, non ſuſtinentibus equitatum hoſtium æſtuarijs. Tranſierant jamjam aliquot equitum turmæ, cùm ſubitò Mantuanus Princeps, Carmignolâ ſignum pugnæ proponente, in confertiſſimas hoſtium acies ſeſe cum ſuis infert. Certatum eſt ibi aliquot continuis horis magnis animis viribúſque. Tandem verò, cùm integri feſſis à Venetis continuò ſubmitterentur, nec idem ab hoſtibus ob anguſtiam locorum fieri poſſet, inſtantibus ſagittarijs, haſtatiſque, qui viros & equos à lateribus confodiebant, in fugam Mediolanenſes vertuntur; ex quibus, pari pœnè equitatûs ac peditatûs numero, ad octo millia capiuntur. Conſtat autem, tantam eam fuiſſe cladem, ut, ſi milites captos retinere Carmignola voluiſſet, ſignáque ociùs perterritis inferre, eijcere Principatu Phi-

lippum, conſternatum tanto accepto incommodo, haud magno negotio potuiſſet. Captus eo prælio à Mantuano Principe Carolus, incolumis ob affinitatem dimittitur. Interim verò dum Carmignola ad oppugnanda Brixianorum Oppida, quæ in Philippi fide permanſerant, copias ducit, eidem Philippo reſpirandi ſpatium dat. Nam & pacem cum Amedeo Sabaudiæ Duce, datis ob id Vercellis, componit, & exercitum ſatis magnum, conſcripto novo milite, comparat, & Sigiſmundum Bohemum ac Brunorum Scalam in Venetos magnis pollicitationibus concitat. At Martinus Pontifex Philippi rem in magno diſcrimine videns, Cardinalem Sanctæ Crucis ſecundò ad componendam inter Philippum & Venetos pacem mittit; qui Ferrariæ ſubſiſtens, eò proficiſcentibus cum mandatis Principum ac Civitatum Legatis, ita pacem compoſuit, ut Brixiam Veneti & Oppida Brixianorum Cremonenſiúmque, quæ anteà ceperant, retinerent; prætereà, ut Philippus Venetis Bergomum Bergomatémq; agrum ex fœdere dederet, hâc lege, ne Socios Venetorum Florentinorúmque bello laceſſeret, aut ad defectionem concitaret. Pace ubiq; partâ, Florentini ægrè ferentes, Ladislaum, Pauli Guiniſij Lucenſis Tyranni filium, ſuperiore bello ſub Philippo militâſſe, occaſionem opprimendæ Lucæ nacti, quòd ſuperiore pace nil ſcriptis de Guiniſio cautum fuerat, in agrum Lucenſem exercitum movent, Nicolao Fortebrachio copiarum

piarum Duce. Captis itaque haud ita multo poſt non paucis circumquaque Caſtellis, Vrbem gravi obſidione cingunt. Tùm Philippus ſolicitatus Pauli precibus, veritúſque, ne, ſi Luca in Florentinorum poteſtatem deveniret, acriores eos poſteà, utpote propinquiores ac potentiores, haberet hoſtes, Franciſcum Sfortiam cum magno equitatu primò in Parmenſem agrum mittit, vnde pedeſtres copias conſcriberet; qui vere jam appetente Apenninum tranſcendens, tantum terroris Florentinis injecit, ut priuſquam in vallem Nebularum (ita enim accolæ vocant) deſcenderet, hoſtes movere caſtra, ac Lucam obſidione liberare præ metu coegerit. Ejus adventus eo gratior Lucenſibus fuit, quòd, pulſis hoſtibus ac capto Tyranno, liberi omninò auxilio Franciſci futuri videbantur. Verùm Franciſcus, acceptis quinquaginta millibus nummûm auri ex ærario Florentino depromptis, Lucenſes in majore diſcrimine, quàm unquam anteà fuerant, reliquit, pactus ob datam pecuniam, toto ſemeſtri Philippi imperio ſe non obtemperaturum. Obſideri deinde Lucenſes acriùs ſunt cœpti. Quare Philippus Picenninum cum maximo equitatu eò ſtatim mittit, qui, fuſis ac fugatis hoſtibus, non ſolùm Lucam obſidione liberavit, verùm etiam inde movens, ex Piſanis ac Volaterranis multa Caſtella vi cepit, Senenſibus rem gratam facturus, qui tùm Florentinos bello invaſerant. At Veneti Florentinorum rebus timentes,

nequaquam ultrà differendum rati, ad ſuſcipiendum bellum in ſequentem æſtatem ſeſe parant. Conducere autem Mantuanum Principem magno ſtipendio fruſtrà ſunt conati, valetudinem excuſantem, & qui ob eam rem biennio antè pace compoſitâ, & milites ſuos equis & armis donatos exauctoraverat. Dum hi tanti apparatus undique fierent, in locum Martini Pontificis demortui Gabriel Condelmarius, qui poſteà Eugenius quartus eſt appellatus, ſuffragijs Cardinalium ſufficitur; quo ſucceſſu Veneti elati, Carmignolam ſtatim movere in Philippum jubent. Is in Cremonenſes infeſto agmine profectus, metatis ad Cremonam binis caſtris, paucis inter ſe diſtantibus ſtadijs, juſſóque item Nicolao Triviſano Claſſis Venetæ Præfecto, Galeones per Padum ſubvehere, Vrbem terrâ ac flumine oppugnare inſtituerat. Verùm Philippus, accito properè ex Hetruria Picennino, & Claſſem Venetam ad Cremonam disjecit, & Carmignolæ impetus facillimè retardavit; quem Veneti haud ita multo pòſt quæſtionibus, literis, teſtibus convinctum, quòd per dolum ac fraudem Claſſi Venetæ ferre auxilium noluiſſet, quódque Cremonam, captâ à Cavalcabove, factionis Guelfæ ejus Vrbis Principe, Divi Lucæ portâ atque Arce, in ditionem Venetam redigi noluiſſet, cùm id fieri ex propinquo loco, cum tanto maximè exercitu, haud magno negotio potuiſſet, capite mulctârunt. Rogare tùm Veneti vehementiùs Mantuanum Principem,

cipem, qui ab eiſdem literis ac nuncijs accitus, coràm petierat, ne tantum Virum necarent, ut in agrum Brixianum tranſiens, exercitum ſine Duce ſub ſignis in officio contineret. Veriti enim ſunt, ne, aut milites paſſim per villas ac tecta ſparſi, à ruſticis opprimerentur, aut ad hoſtem fugientes, eidem ad invadenda ſua animum facerent. Negabat, id à ſe fieri poſſe, Princeps, quòd & malâ valetudine vexaretur, & quietem ac pacem appeteret. Tandem verò precibus eò hominem perpulêre, ut tantiſper exercitui præeſſet, quoad unum aliquem in re militari præſtantem exercitibus præfeciſſent, & filium Ludovicum cum ſexcentis equitibus eorum ſtipendijs militare pateretur. Is itaque collectis undique copijs in agrum Cremonenſem profectus, Bardolanum, quod Oppidum petente Carmignolâ ad hoſtes defecerat, captum diripuit, ac direptum funditùs ſuſtulit, exemplum cæteris daturus, ut in fide permanerent. Movens inde Romenengum, adhibitis bombardis ac bellicis machinis, poſt oppugnationem dierum ſeptendecim Oppidum naturâ ac manu munitum in deditionem Venetam redegit, Franciſco Sfortiâ, qui tùm cum aliquot equitum turmis Cremæ in præſidio erat, creberrimis prælijs hominem laceſſente. Soncinum deinde, quod maximo Philippi præſidio acriter defendebatur, oppugnare adortus, disjecto bombardis muro ac pluribus ex Oppidanis machinis, baliſtis, fragulis confoſſis, intra ſecun-

dum menſem, quàm oppugnari cœptum erat, dimiſſo incolumi præſidio, in fidem recepit. Supererat Arx, quæ etſi munitiſſima erat, tamen, dedente Præfecto pecunijs corrupto, brevì recepta eſt. Tùm Marchio, Venetis ſatisfactum putans, in patriam quieturus ſeceſſit. Motus hoc rerum ſucceſſu Georgius Cornarius, exercitus Veneti Præfectus, in Vallem Tellinam copias movens, ab hoſtibus Picennino Duce fugatus capitur. Hâc acceptâ clade Veneti, quòd exercitum ſine Duce habuiſſent, omnium ſuffragijs Mantuanum Principem ad id bellum Imperatorem deligunt, qui primò ob valetudinem imbecilitatémque corporis id minùs conſtanter ſprevit, tandem verò inſtantibus Venetorum Legatis, rogantibúſque, ne Rempublicam Venetam deſertam pateretur, Brixiam contendens, luſtrato exercitu, in Valcamonicam movens, omnia Caſtella, quæ ad Philippum defecerant, mediâ hyeme partim deditione, partim vi cepit. Inde Brixiam rediens, nivibus & glacie victus, per hiberna militibus diviſis, Mantuam proficiſcitur. Dum hæc in Venetiâ agerentur, Florentini Sigiſmundum Imperatorem, qui jam Lucam applicuerat, detinere conati, quo minùs Romam ad accipiendam Imperij Coronam proficiſceretur, quòd rebus Philippi favere videbatur, Nerio Capponio, qui tùm Romæ erat, trahendi Pontificem in eam ſententiam, negotium dant. Is mandata diligenter faciens, Eugenio multis rationibus oſten-

oſtendit, adventum Imperatoris ad Vrbem non minùs Apoſtolicæ Sedi, quàm Florentinis exitium ac perniciem minari; detineri hominem facillimè poſſe, quò minùs Arnum ad Senenſes, qui jam pridem Florentinos bello laceſſierant, tranſeat, ſi Nicolaus Tollentinas, qui tùm ſub Pontifice ſtipendia faciebat, conjunctis copijs atque animis cum Micheletto Coſignola, Florentinarum copiarum Duce, ad Arnum inter montem Calvolum & Bientinam Sigiſmundum coerceat, ne flumen cum Germano equitatu traijciat. Venerat in eam ſententiam perfacilè Eugenius; & cùm de impensâ bellicâ aliquantulùm addubitaretur, rem Nerius ita ſtatim partitus eſt, ut Populus Florentinus duobus millibus equitum Eugenij tàmdiù ſtipendium præberet, quoad bellum illud protraheretur. Movens deinde ex hibernis juſſu Pontificis Tollentinas, Senenſium agrum prædabundus ingreſſus, ſex millia pecorum & magnam vim ruſticorum abegit. Inde movens in agrum Piſanum, ſuperatis ad Turrim Romani Philippi copijs dum ad recipienda Oppida, ab hoſtibus anteà capta, exercitum Magiſtratuum juſſu ducit, Sigiſmundo traijciendi Arnum ad Bientinam cum equitibus mille & quingentis, ſexcentiſq; peditibus, adjuvante Antonio Pontaderâ, facultatem dat; qui deinde per Volaterranum iter faciens, Senas, pacato magis agmine quàm hoſtili, ab omnibus exſpectatus, contendit. Hoc ubi Florentiæ cognitum eſt, querimoniæ

niæ per Vrbem paſſim auditæ, ex tantâ belli impensâ nil à Ducibus vel à Magiſtratibus fieri, quod aut ad dignitatem aut ad utilitatem Reipublicæ pertineat. Tùm verò Nerius, ne vulgus errare pateretur, Populo multis verbis oſtendit, hoſtium copias ſuis nequaquam & numero & animis inferiores, cùm & Philippi & Senenſium & Imperatoris milites in unum coacti, juſtum propè exercitum conficiant; neque cum his congrediendum ullo modo dicebat, niſi priùs Florentinorum ac Pontificis copiæ unis caſtris conjungerentur. Verùm cùm ſtipendia negligenter & avarè militibus præberent, nil eâ æſtate memoriâ dignum geri potuit. Interim verò Sigiſmundus, cùm jam menſibus ſex Senis ſubſtitiſſet, cum magnâ Populi Senenſis impensâ, tentatam fruſtrà cum Florentinis pacem omittens, ad Pontificem converſus, initóque cum eo fœdere, Romam profectus, Coronâ Imperij donatus eſt. Quâ adeptâ, per Picentes & Flaminiam iter faciens, Ferrariam, atque inde Mantuam pervenit; ubi aliquot dies immoratus, & Joannem Franciſcum Marchionali dignitate, additis Imperij ſignis, ornavit, & Barbaram Joannis Marchionis Brandeburgenſis filiam Ludovico Gonziaco, Joannis Franciſci filio, ſpopondit in uxorem; quæ nuptiæ honeſtare Familiam Gonziacam ſunt viſæ, tùm propter pulchritudinem & venuſtatem Puellæ, nobiliſſimâ Familiâ ortæ, & eâ quidem Familiâ, cui poteſtas ineundi ſuffragia

ad

ad creandum Imperatorem ineſt, tùm etiam, quòd Sigiſmundo Imperatori Puella affinitate conjuncta, nobiliorem poſteris editura Nepotum progeniem videbatur. Dùm hæc agerentur, Marchio Ferrarienſis, hortante Philippo, Venetias profectus, Venetos ad pacem multis rationibus eſt adhortatus. Qui hominis autoritate permoti, quòd nimiâ belli impenſâ exhauſti jam privatim ac publicè videbantur, miſſuros ſe propediem Legatos de pace Ferrariam promiſerunt. Eò igitur cùm ab omnibus ventum eſſet, réſq; varijs ſententijs agitaretur, tandem verò Kalendis Aprilis anno trigeſimo tertio ſupra quadringenteſimum & milleſimum, his conditionibus compoſita pax eſt, ut Philippus Glareâ Abduæ (id ei loco nomen eſt) decederet, útq; Marchioni Montisferrati paternam ditionem redderet, Florentinorum, Senenſium, Lucenſiúmque, quæ bello capta fuiſſent, ad priſtinos dominos reciderent, communi omnium hoſte habito, qui infra trigeſimum diem capta non reddidiſſet. Pace ubique partâ, quietura aliquandiù omnia videbantur, ni Philippus, novarum rerum cupidus, ſemina magni futuri belli clàm per Italiam ſparſiſſet. Nam & Franciſcum Sfortiam cum magnis copijs in Flaminiam miſit, hominem iturum in Apuliam ſimulans ad paternam ditionem repetendam, qui Picentes & Vmbros graviſſimo bello deinde proſequutus eſt, & immiſſo Nicolao Fortebrachio, egregio tùm copiarum Duce, adeò Populum

Romanum in Eugenium concitavit, ut Româ clàm aufugere, & mari Florentiam proficiſci cogeretur. Genuam præterea, jam anteà amiſſam, recuperare conatus eſt. Deſciverant enim ab eo Genuenſes Thomâ Fregoſo autore, qui deinde Civitatis Dux eſt appellatus. Picennino itaq; oppugnante, Sarzanam capit. Quo ſucceſſu & ipſe Picenninus elatus, in Piſanos movens, ſimulatâ in Regnum profectione defendendi Alphonſi gratiâ, multa ex Piſanis Caſtella diripuit. At hominem Florentini, accerſito Franciſco Sfortiâ, non ſolùm tranſitu Arni fluminis, verùm etiam, relictâ in magnâ rerum inopiâ Lucâ, redire in Ciſalpinam compellunt. Motus deinde Lucenſium obſidione Picenninus, urgente Sfortiâ, collecto exercitu Apenninum tranſgreſſus, Bargam Florentinorum Oppidum primò oppugnare conatur. Ibi, dum ejus caſtra negligenter cuſtodirentur, ſummo in diſcrimine verſatus eſt. Miſſus enim eò à Franciſco, qui rem omnem per exploratores cognoverat, levis armaturæ Præfectus, incompoſitos de improviſo adortus, majorem, quàm pro numero militum decuit, tumultum exciverat. Aſpera fuit aliquamdiu dimicatio cum his, quibus eâ die caſtrorum cuſtodia obtigerat. In eo prælio, fugatis aliquot Picennini turmis, quæ obviàm hoſti prodierant, Ludovicus Gonzaga, Joannis Franciſci filius, accepto vulnere, captus, ad Franciſcum ſtatim perducitur. Is enim cupiditate gloriæ motus, dùm

apud

apud Patrem parva ſtipendia faceret, eodem inſcio, ex hibernis ad Philippum, paucis militum comitantibus, confugit. Exceptus benignè ac magnificè Ludovicus, cùm aliquamdiu Mediolani ſubſtitiſſet, habito ſatis honeſto inter copiarum Duces loco, ſub Picennino Viro præſtanti militans, ſumptis tyrocinij erudimentis, militiam auſpicatus eſt, à quo & ducere exercitus, & deligere locum caſtrorum, & cum hoſte confligere optimè didicit. Hunc ejus diſceſſum Pater adeo gravi & iniquo animo tulit, ut publicè pronunciari juſſerit, ſe eum pro hoſte habiturum, qui Ludovici nomen ſeriò aut joco expreſſiſſet. Verebatur enim Pater, ne Veneti, quorum Dux in bello habebatur, ejus conſenſu transfugiſſe Ludovicum arbitrarentur, quod etiam accidit. Quanto enim acerbiorem ſe in filium oſtendebat, tanto ejus rei apud malè opinantes augebat ſuſpicionem. Solutâ deinde ad Bargam obſidione, Franciſcus oppugnare Lucam liberiùs cœpit. Inſtabant tùm apud Florentinos Veneti, ut, quando ampliùs evadere Lucenſes non poſſent, quo minùs in eorum poteſtatem devenirent, quippe intercluſis undiq; commeatibus, & interciſâ ſpe auxilij, Franciſcum in Venetiam ad ſe properè mitterent, quo Duce uterentur ad vexandum acri bello Philippum, ne Lucenſibus auxilio eſſet. Verùm cùm ſæpiùs fruſtrà tentaſſent, nec eorum precibus aut mandatis obtemperaretur, Mantuano Principe exercitùs Duce traijcere

flumen Abduam ſunt conati, convectis undique lintribus, & ad ædificandum pontem materiâ peropportunâ. Tranſierant jam tùm vado, tùm naviculis in ortu ſolis peditum cohortes aliquot atque equitum turmæ, cùm ſubitò, ubi Venetos traijcere flumen cognitum eſt, tantus omnis generis hominum concurſus ad flumen factus eſt, ſumptis paſſim armis, ut, qui jam trajecerant, vertere terga vix potuerint, quorum pars, dùm in ripâ hærent, deficiente jam ob rapiditatem fluminis & tranſitum equorum vado, interficitur; pars nando gurgitibus abſumitur, Principe Mantuano temeritatem Præfectorum accuſante, quòd ignari rei militaris totiúſq; militiæ expertes, tantum exercitum temerè cuivis periculo obijcerent. Hoc accepto incommodo, in Glaream Abduæ moventes, Oppida quædam oppugnare ſunt adorti. Verùm ſupervenientePicennino, amiſsâ magnâ parte impedimentorum, inde repulſi ſunt. Inſtant tùm acriùs apud Florentinos Veneti, ut Franciſcum ſaltem in Parmenſes mittant, quò Philippus de Parmâ ſolicitus Picenninum ab oppugnando Bergomo avocet. Movente itaque properè in Regienſem agrum, ut inde commodiùs Parmenſes invaderet, Franciſco, relictis ſtatim Picenninus Bergomatibus, Parmam contendit; unde præparato omni genere commeatûs, iturum ſe propediem ad liberandam obſidione Lucam oſtendit. Hanc ob rem moti Florentini, ne impenſa tantæ obſidionis, re infectâ,

absente

abſente Franciſco, ad irritum caderet, hominem literis & nuncijs properè in Hetruriam cum magno exercitu revocant. A quo Apennini tranſitu Picenninus prohibitus, liberaturum ſe aliâ viâ Lucenſes obſidione prædicans, impetratâ ab Eugenio tranſeundi per Bononienſem agrum, ſine incolarum maleficio, veniâ, per Flaminiam pacato agmine iter faciens, Oriolum Florentinorum Oppidum expugnatum, hoſtili more diripuit. Nec Florentinorum melior ex Franciſco erat fortuna. Nam & is, cùm ei tùm à Venetis, tùm à Florentinis diſcordiâ duarum Civitatum avarè malignéq; ſtipendia perſolverentur, cum Philippo fœdus inijt, hâc lege, ne Philippus poſthâc Florentinos bello laceſſeret, útque Florentini Lucenſes obſidione ſolverent; militaret auſpicijs & ſtipendio Philippi Franciſcus gener, cui filiam in matrimonium ſpopondit. Tùm Picenninus mandato Philippi ab Oriolo in Forlivienſem agrum diſcedens, comparatis rebus omnibus ad oppugnandas Vrbes neceſſarijs, Ravennam profectus, diu oppugnatam tandem in deditionem recepit. Eâdem fœlicitate uſus, relicto ibi firmo præſidio, neſcio quo uno veluti incurſu Imolam, Forum Livij, Bononiam in ſuam poteſtatem, dedentibus ultrò Civibus, recepit. Hæc dùm Veneti contra Pontificem Civem quondam ſuum, agi viderent, Gattam Mellatam, Virum in re militari præſtantem, Ducem copiarum ſuarum deligunt, renuente eam provinci-

am, frigidè admodùm delatam, Mantuano Principe, & quòd jam tempus, quo ſe militaturum cum Venetis ſpoponderat, tranſactum erat, & quòd inſitam eorum animis elationem diutiùs tolerare non poterat. Nam ductare ipſi, miſſis Præfectis (quos vocabulo Gentis Proviſores appellant) exercitus volebant, cùm rei militaris omninò ignari eſſent, &, ſi quid incommodi Præfectorum temeritate (ut in Valle Tellinâ, Gregorio Cornario capto, accidit) eſſet acceptum, id totum Ducibus adſcribebant, exiſtimantes, ſi quid ex ſententiâ eſſet actum, id ſuo ingenio, (ut arrogantium mos eſt) ſi quid ſiniſtrum, id Ducum inſcitiâ & ignaviâ accidiſſe. Prætereà, dum exercitui Veneto eo tempore præeſſet, quo in Glareâ Abduæ bellum eſt geſtum, deprehendit, Præfectos Venetos plura Gattæ, quàm ſibi detuliſſe, quamvis in eo exercitu Princeps eſſet; quâ quidem in re, & detrahere autoritati ſuæ, quæ in bello plurimùm valet, & parùm ei fidere ſunt viſi. Faciunt hæc quidem, ut etiam credam, illos, quemadmodùm ex eorum literis poſteà deprehenſum eſt, ſi Brixiam ingreſſus eſſet, Præfectis adhortantibus, hominem comprehendere, & captum pœnâ capitali afficere voluiſſe. Neque hâc in re Blondo Forlivienſi crediderim, qui legem hiſtoriæ prætérijt, cùm affectatè nimium in partes declinet. Nemo eſt enim, qui non deprehendat luce clarius, hominem ob factionem & ingens ejus in Philippum odium, ſi quid tot-

quon-

quondam annis egregiè geſtum in Italiâ eſt, id totum Venetis adſcribere, quaſi nulla major unquam aut ſanctior Reſpublicâ fuerit; ſi quid verò dolo, fraude, proditione verſutiâ, largitione ſit factum, id totum Philippo impingi, eiſdémque, qui Philippi partes ſecuti ſunt. Tamdiu enim copiarum Duces extollit, quoad Venetorum auſpicijs bella geſsêre. Vbi verò, utpote mercenarij, tranſacto militiæ tempore, ſub Philippo meruêre, proditionis eos, perfidiæ, ſecordiæ accuſat. Perturbationes ſedet neceſſe eſt, qui Populorum ac Principum res geſtas mandare literis inſtituit, ne inter ſcribendum in hanc potiùs partem, quàm in illam inclinet. Hæ enim veluti nubes quædam, ſive ab avaritiâ & ambitione, ſive ab odio & inimicitiâ proveniant, ſcribentium oculis objectæ, ita animum à vero retrahunt, ut errare in pluribus neceſſe ſit. Neque mihi quidem, qui Gonziacæ Familiæ plurimùm debeo, credi velim, niſi ea, quæ dixi, fidem faciunt, & vita Nobiliſſimi atque Optimi Principis, me etiam tacente, talem à ſe reijciat notam. Picennino itaque, trajecto priùs ratibus Pado, Caſale majus bombardis & machinis acriter nocte ac diu oppugnante, tantus repentè Venetis terror eſt injectus, ut ſupplices Mantuanum Principem, quem anteà contempſerant, copiarum ſuarum Ducem depoſcerent. Vbi verò id impetrari nullo modo poſſe cernunt, eo renuente, petunt, ut ſaltem Carolum filium eorum militiam ſequi permittat, obſi-

obſidem ſub honeſto nomine adoleſcentem expoſcentes. Id quoque negatum fecit, ut crederent, Principem in partes Philippi iturum. Capto Caſale, Picenninus, receptáq; in fidem Platinâ cum reliquis Oppidis, quæ ad eam regionem Cremonenſis agri pertinent, Calvatonum, in ripâ Olij ſitum, è regione Aquæ nigræ ponte flumen trajecturus, contendit. Eò celeriter & Gatta movet, veritus, ne trajecto flumine, Brixianorum Oppida, maximè, quæ Gibellinam factionem ſequebantur, ad Philippum deficerent. Conatus aliquamdiu Picenninus pontem efficere, cùm id fruſtrà, obſtantibus acriter Venetis, tentaretur, ſecundo flumine ab eo loco circiter duodecim millia paſſuum cum copijs omnibus profectus, ad Turrim Olij, ſubvectis ex Pado ad id ratibus, flumen traijcit. Inde per Mantuanum agrum movens, aſcito in ſocietatem belli Principe, ubi plana Brixianorum attigit, multa Caſtella ex hoſtibus in deditionem recepit. Quo factum eſt, ut Gatta cum equitum tribus, peditum duobus millibus, Brixiam ſe receperit, ad componendam ſeditionem inter Gibellinos & Guelphos jam propè gliſcentem. Ad arma res propemodùm ſpectare videbatur, negantibus Gibellinis præſidium Venetorum intra Vrbem recipiendum, cùm ſatis virium Civibus eſſet ad propulſandum à mœnibus hoſtem; contrà verò Guelphis inſtantibus, aſſerentibúſque, ſine militibus, & veteranis quidem, Vrbem à tanto hoſtium exer-

exercitu defendi non poſſe. At Franciſcus Barbarus, Prætor Vrbis, Vir & prudentiæ & eloquentiæ ſingularis, ſuadendo, hortando, monendo, periculáque ante oculos proponendo, cùm id velle hoſtes, id cupere, id à Dijs expoſcere, diceret, quò Vrbem opulentam diſcordiâ Civium & inteſtino bello capere ac diripere liceret, omnem ſeditionem ac tumultum compreſſit. Portarum cuſtodia, quam utraque factio ſibi mandari volebat, alterius potentiam verita; conſenſu omnium Prætori commiſſa eſt, qui præſidijs circa muros diſpoſitis, munitiſque fidiſſimo milite portis, ad confirmandos Civium animos converſus, eos tùm publicè tùm privatim Reipublicæ Venetæ filios appellabat, dictitans, nullam eſſe in continenti Civitatem, cui plus ob ſingularem fidem & conſtantiam Reſpublica Veneta tribueret. Ferrent modò æquo animo, donec majores à Venetis compararentur copiæ, paucorum dierum, ſi ita accideret, obſidionem. Sedatâ diſcordiâ, Gatta copias omnes inter Benacum & Mincium recipit, inde Veronæ ac Brixiæ auxilio pro tempore futurus. Hunc Picenninus ut fugientem inſecutus, perpulit, coactis undique copijs, acie decernere. Medius intra bina caſtra intercedebat Cheſius amnis, qui admodùm uno veluti momento divinitùs excreſcens, inter pugnandi cupidos, & certe majore odio quàm viribus prælium dirimit, certamen diremit. Aucto deinde Picennini exercitu Mantuani Principis ad-

 ventu

ventu, qui equitum duo millia totidémque peditum ducabat, Gatta nequaquam ſe parem tantis copijs arbitratus, caſtra movens, ac partitis per aliquot Oppida præſidij causâ militibus, cum aliquot turmis ſeſe in montana Brixianorum recepit. Hinc Nicolao, quò placebat, nullo prohibente hoſte, caſtra circumferente, multa à Venetis Oppida tùm timore, tùm ſtudio partium ad Philippum deſcivêre. Et ut à pluribus lateribus eodem tempore hoſtes oppugnarentur, Mantuanus Princeps, accepto Philippi juſſu in ſocietatē belli Alouiſio Verme, trajectóq; ad Piſcheriam Mincio amne, Valeggium Oppidum montanum, naturâ & præſidio munitum, bombardis ac machinis aliquot dies oppugnatum in deditionem accepit. Verſus deinde ad pontem lapideum, in convalle poſitum, quo amnis traijcitur; crebris turribus munitum, dùm mœnia primò bombardis disijcit, quàm expugnare viribus cum magno ſuorum interitu tàm munitum pontem tentet, Veneti Joannem Malavoltam cum equitatu & peditatu ſatis magno misêre, qui opem feſſis, ac diu tolerare non valentibus ferret. Verùm Mantuanus, cognito hoſtium adventu, copias pro caſtris ducens, venientibus fit obviàm. Pugnatum eſt ibi diù atque acriter cùm neutram in partem ſe inclinaret fortuna. Tandem verò, inſtante Mantuano, & nunc militis nunc Ducis munera obeunte, hoſtes in fugam vertuntur. Ex equitibus multi ſunt capti, quippe qui

equos, tùm labore itineris tùm pugnando feſſos,ad fugam tardiores habuerint; peditem minùs ſunt ſequuti, quòd parùm prædæ inde avehi poſſet, cùm expediti ad liberandos obſidione ſocios veniſſent. Hâc victoriâ potitus Mantuanus Princeps pontem ſtatim in deditionem recipit, dedentibus ſeſe, qui in præſidio erant, cùm nulla ampliùs ſpes auxilij ſubeſſet. Capto Vallegio ac ponte, reliqua Caſtella circumquaq; poſita ſponte ſeſe dedunt, quæ omnia, ea maximè quæ in ripâ Mincij ſunt poſita, validis præſidijs firmat, quòd intellexerat Gattæ in animo eſſe, Mincium cum omnibus copijs traijcere, ac Veronam præſidij causâ proficiſci. Dùm hæc ad Vallegium gererentur, Picenninus Clario opulento ac magno Oppido potitus, dedentibus ultrò incolis, ſexcentos equites ex Venetis ibi præſidij causâ collocatos capit ac ſpoliat. Ad Roadum deinde movens, dum Oppidum oppugnat, per exploratores intelligit, Gattam cum omni exercitu adventare, Roadenſibus auxilio futurum. Oppoſitâ itaq; cohorte firmiſſimâ, & aliquot equitum turmis in Oppidanos erupturos, reliquas copias pro caſtris in ordines dirigit,facturusGattæ pugnandi copiam, ubi adveniſſet. Superveniente itaq;Gattâ, prælium utrinq; magnis animis initum, quod quidem uſq; ad multam noctem protractum eſt; quâ interveniente factum eſt ob tenebras, ut,uter victus è certamine diſcederet, non ſatis deprehenderetur. Dùm collatis ſignis ab

utroque exercitu dimicaretur, Oppidani erumpere tentantes, facilè à cohorte in ſtatione poſitâ intra mœnia retrudűtur. Cùm terreſtri bello Philippi copijs Veneti impares eſſent, claſſem quàm maximam pro tempore parant, quam in Mntuaanum Principem per Padum ſubvehant, quò diſcrimine ille perculſus ad ſua tutanda revocaretur, ſimul ut cæteris in fide adhuc perſtantibus ad ſufferenda Martis diſcrimina augeretur animus. Huic claſſi, quæ tanta erat, quanta nunquam, (ad centum enim & ſexaginta quatuor navium, ut Blondus refert, explebat numerum) Petrus Lauredanus, Vir eâ tempeſtate belli paciſque artibus præclarus, ex Seneatus conſulto præerat. Ad ſexaginta ſatis magnas fuiſſe ex his, qui huic bello interfuêre, percepi, reliquas verò minores, ut ex uſu neceſſarias fore ſunt arbitrati. Utcunque eſt, ingentem certè fuiſſe conſtat claſſis apparatum, cùm varijs machinis atque omni genere tormentorum ad expugnanda oppida, ad decernendum ſive terrâ ſive aquâ rem gerere oporteret. Cùm verò Philippi copiæ paulatim ad obſidendam Brixiam moverentur, Veneti timentes, ne Gatta cum exercitu intra Vrbem retruſus obſideretur, decrevêre, ut, relicto ibi Taddæo Eſtenſi cum aliquot equitum turmis, ipſe cum reliquo exercitu, quo poſſet itinere, Veronam contenderet, ut ei atque item alijs Regionis Vrbibus auxilio eſſet, ſi quid periculi ab hoſte ingrueret. Noctu itaque Gatta cum delectâ equitum

ac peditum manu, quos ad quinque millia fuiſſe conſtat, iter ingreſſus, ubi ad Mincium pervenit, quod flumen triginta millia paſſuum à Brixiâ diſtat, tentans diverſis in locis, quo faciliùs vado trajiceret, in Mantuanos milites, per ſtationes fluvij ripam obſervantes, incidit. Quorum clamore excitus Princeps, præmiſſo Joanne fratre ac Carolo filio cum aliquot equitum turmis, ſubſecutus ipſe Gattam, quo minùs trajiceret, prohibuit. Qui quidem veritus, ne aut in itinere feſſus à Picennino opprimeretur, aut ab ingreſſu Brixiæ prohibitus, de ſumma rerum periclitaretur, diverſis itineribus tantâ celeritate Brixiam repetiit, ut neque quieſcendi, neque cibi capiundi cuiquam militum facultas ſit data. Actum enim de Venetis tùm erat, ſi Picenninus integer feſſos, ut arbitratus erat, nactus fuiſſet. Paulò enim antè Gatta Picennini adventum ſentiens, diverſis ab hoſte itineribus Brixiam redierat, & quos in præſidio reliquerat, integros cum magnâ Populi Brixiani parte pro portis in hoſtem inſtructos & armatos collocaverat, de certaturus, ſi vim Picenninus facere tentâſſet. Tùm Picenninus fruſtratus eâ, quam conceperat, ſpe, ne fruſtrà veniſſe videretur, tentatis levi certamine hoſtium animis, ad Sebinum Lacum inde contendens, Iſeum, primum ejus Regionis oppidum, Gattâ fruſtrà auxilium ferre conante, capit. Repetens deinde Roadi oppugnationem Nicolaus, tandem vi tormentorum ac crebris op-

pugnationibus ad deditionem compulit. Eâdem fœlicitate uſus, Vrceos novos, oppidum ſatis munitum, intra quatuordecim, quàm oppugnari eſt cœptum, dies capit. Ducere deinde ad oppugnandam Brixiam exercitum Picenninus inſtituens, paulatim Vrbi appropinquans, Bagnolum pervenit, eo animo, ut tamdiu Gattam detineret, quoad Mantuanus Caſtella quædam ex Veronenſibus occuparet. Ad Benacum enim converſus, Bardolinum, Gardam, Lageſium mirâ fœlicitate capit. Hinc verò Aloiſius Vermes, nactus aliquot navigia, (Gazaras accolæ vocant) ſolvens, Ripam Tridenti annavigat, initurus Mantuani nomine fœdus cum Epiſcopo Tridentino & Archicomite. Quo ex ſententiâ compoſito, ſtatim ad Joannem Franciſcum rediens, hominem ad proſequendam victoriam eſt adhortatus, quando omnia benè ſuccederent, tot ſimul Socijs & Amicis undique ſe ſe oſtendentibus. Is igitur relicto Lageſij Guidone Bagno, Viro nobili ac ſtrenuo, cum ſatis magno præſidio, cùmque aliquot armatis navibus ad tutandam oram Lacûs, cum omnibus copijs Guſolengum unis caſtris movens, quod octo millia paſſuum à Veronâ diſtat, inde ad expugnanda omnia Caſtella Veronenſium, quæ in plano inter Minciaum & Atheſin ſunt, exercitum ducit, quò Mantuanus ager ab incurſionibus hoſtium liberior fieret. Captâ Villafrancâ ac Nugarolis, dedentibus ultrò incolis, Vigaſium

bom-

bombardis oppugnare adortus, intra paucos dies Oppidum vi cepit. Dedêre ſe deinceps ſine ullo marte reliqua Veronenſium Caſtella, quæ ad Mantuanos vergunt; præter Portum & Ligniacum. Tumultus interim Brixiæ excitatur, urgente Picennino. Nam cùm Guelphi Gattam cum equitatu ac peditatu ad tutelam Vrbis, tùm ob inteſtinam diſcordiam, quæ à Gibellinis excitabatur, tùm ob bellum inſtans retinendum dicerent, ſolus Barbarus Vrbis Prætor ſatis præſidij eſſe in Taddæo Eſtenſi dictitans, Gattam cum reliquis copijs ire Veronenſibus auxilio adhortabatur, non eo itinere, quo anteà, ſed per loca montana; & ab hoſte averſiſſima. Gatta itaq; Prætoris ſententiam utpote ſalubriorem ſecutus, confirmatis ad ſuſtinendam vim belli Brixianis, quòd diceret, ſe propedièm, magno conſcripto in Veronenſibus ac Patavinis exercitu, ad pellendum ex agro Brixiano hoſtem rediturum, ex Valle Tropiâ per ſaltus præcipites & pœnè invios quatridui viam profectus, in locis montanis & aſperrimis, ubi cum rupibus pariter atque hoſtibus eſſet dimicandum, tandem in Judicaram vallem agri Tridentini pervenit, cujus fauces Alouiſius Vermes cum aliquot peditibus ac ruſticis, juſſu Mantuani Principis ad id miſſus, occupaverat. Verùm Gatta, ut in tali re fieri oportuit, celeritate uſus, priùs cum magnâ parte exercitûs tranſierat, quàm Vermes in vallem deſcenderet. Carpi tùm noviſſimum agmen eſt

cœptum,

cœptum, & dùm multis in locis prælium initur, Gatta, amiſſis octingentis equitibus maximáq; impedimentorum parte, è manibus hoſtium, à quibus, ſi cor habuiſſent, tutò capi cum omni exercitu poterat, evadens, Veronam contendit; cujus præſentia ad confirmandos civium animos plurimum contulit. Attigerat jam Padum claſſis, quæ tardiùs, quàm belli gerendi ratio exigebat, ſubvecta, Mantuano tempus ad ea loca munienda ac firmanda præſidijs dedit, quibus à Veneto aliquid incommodi obvenire poterat. Ad Sermedum enim & Hoſtiliam Reverúmq;, quæ in ripâ Padi ſunt ſita, palos oblongos & groſſos duplici ac triplici ordine in flumine defixit, catenis colligatos, quò navibus in terram acceſſus vetaretur. Ad hæc frequentia Caſtella, propugnacula, tormenta in ripis locis opportunis diſpoſita, unde hoſtium claſſis detineri poſſet, quò minùs per Padum ſubveheretur. Picenninus oblatam ſibi, abſente Gattâ, Brixiæ capiundæ facultatem ratus, coactis undiq; omnibus copijs, accitóq; ad ſe Principe Mantuano, poſitis ad Vrbem caſtris, aquas primò fiſtulis & canalibus intra mœnia ad uſum civium invectas à ſuo curſu dimovet. Tribus etiam Caſtellis à tribus lateribus, quò facilior eſſet oppugnatio & obſeſſio, Vrbem cingit, magnâ ruſticorum vi cum carris & jumentis ad convehendam undique munitionum materiam, convehendiſque, bombardis ac machinis, ex ditione Philippi priùs convocatis.

catis. Erumpebant undique cives diu ac noctu in vigiles ac cuſtodes munitionum Caſtellorúmque, crebráq; cum multorum ſanguine & cæde utrinque edebantur certamina bombardis, baliſtis, æneis quibuſdam inſtrumentis, quæ ſclopetos vocant, tantâ vi utrinque certabatur, ut crebra tonitrua inſtare viderentur. At Franciſcus Barbarus Vrbis Prætor, deſcripto per Centurias populo, eodémque in armis ad tutelam Vrbis habito, benè gerendæ rei unà cum Taddæo Eſtenſi, præſidij Præfecto, occaſionem intentus exſpectabat: circuire Vrbem die ac noctu, ne quid incommodi ob negligentiam vigilum ab hoſtibus proditione vel fraude acciperetur; obſervare diligenter, quid maximè ab hoſtibus fieret, ut inde quid agendum eſſet, conſilium ſumeret; raros in caſtris milites deprehendens, quòd inſtante jam hyeme paſſim ſine ullo commeatu in hiberna dilabebantur, indulgentiâ Picennini, qui militum commodis ſupra omnes ætatis noſtræ Duces inſerviebat. Hâc igitur opportunitate Barbarus motus, eruptione factâ, quâ pervenit, magnam dedit ſtragem, paucis admodùm reſiſtentibus. Tùm Picenninus & Mantuanus, veluti hoc contemptu irritati, aucto militum numero, bombardas crebris in locis ad Turrim longam (id ei loco nomen eſt) diſpoſuit, quibus brevi adeò mœnia & turres ſunt disjectæ, ut plures civium, deſperatâ ſalute, de deditione faciendâ cogitaverint. Verùm Prætoris autoritas

ritas & diligentia, qui ſingulis in locis, ac ubi maximè periculum Vrbi immineret, præſtò aderat, præſidia militéſque diſponens, Optimatéſque nominatim appellans, eiſdémque Patriam, uxores, liberos, fortunas, Templa identidem commendans, adeò civium animos confirmavit, ut nil antiquiùs, nil ſanctiùs arbitrarentur, quàm pugnando pro Patriâ fortiter mori. Traduxit prætereà cives illos, quorum fides ſtudio partium ſuſpecta erat, ad eam Vrbis partem tuendam, unde minùs incommodi ab hoſtibus accipiebatur. Quâ re factum eſt, ut uno animo ac conſtanti omnes oppugnationis laborem periculáque ſubirent. Corruerant jam crebris machinarum ictibus ad trecentos murorum paſſus. Vnde ni foſſam intrinſecùs properè duxiſſent cives, in equo etiam hoſti ingredi licuiſſet. In ipſis ruinis acriter utrinque cominùs pugnatum præſepè eſt; ubi & multi cecidêre, & plures, acceptis vulneribus, hinc inde ad ſuos trahebantur. Oppidani, prælio diei feſſi & ſaucij, ſufficere nequaquam tantæ ac tàm continuæ oppugnationi potuiſſent, niſi fœminarum virtus virorum vices ſubeuntium plurimùm ad ſalutem contuliſſet. Ipſæ enim permixtæ viris, nunc in ducendâ intra muros foſſâ, illic maximè, ubi mœnia hoſtes demoliti fuerant, nunc vallum & ſuis humeris ex totâ Civitate eò comportantes, aſperrima quæque pro ſalute Patriæ paſſæ, & viris præſidio diurno vix ſuffecturis, laborem imminuere,

&

& hoſtium animos, tantâ in muliebri ſexu cognitâ audaciâ & virtute, frangere. Tùm vero Italianus, ad oppugnandas Vrbes miræ ſolertiæ Vir, tentare viam in Vrbem cuniculis cœpit; ſed huic quoque operi occurrentes Oppidani, ferro, igne, fumo hos item conatus irritos reddidêre. Tentata deinde alia oppugnandi ratio. Confoſſis enim ac ſuccifis mœnium fundamentis, evertere muros in Oppidanos inſtituerant, quò, repletis foſſis intrinſecùs ductis, faciliùs intrare Vrbem armatis liceret. Sed cives, & qui in præſidio erant, mirâ diligentiâ uſi, lignis ac trabibus ſubjectis ruere in hoſtem murum nutantem perpulêre. Neque hâc quidem in re fraudandæ mulieres ſuâ laude ſunt, quæ non virorum, non filiorum, non parentum, non civium vulneribus aut interitu retardatæ unquam ſunt, quo minùs & tela viris ſubminiſtrarent, & feſſis integræ in pugnam ſuccederent. Laborari deinde peſtilentiâ eſt cœptum, quo malo plùs pœnè quàm armis & oppugnatione afflictata eſt Civitas. Multi enim paſſim contagione, cùm ſecedere non liceret, pecorum ritu moriebantur. Summa tamen Prætoris cura fuit, & mortuos publicâ impensâ efferre, & voluntariam imbellémq; multitudinem ob eámq; rem oneroſam aliquando Civitati futuram, ab Vrbe in vicinas valles emittere; quæ res ſalubritati & annonæ plurimùm profuit, cùm defuncta morbis corpora, adhibitâ Medicorum ſolertiâ, ſalubriora eſſe cœperint; & quòd ad

victum multorum diſtribueretur, ad paucos deinde recideret. Picenninus verò, diffractâ Turri Mombellanâ, eâ ingredi Vrbem ſperans, intentis ad id militibus invadendi ſignum dat; à quibus ita acriter eſt procurſum, ut primo impetu fermè vallum ab Oppidanis factum ſuperaverint. At Brixiani, qui ſalute Patriæ nil antiquius ducebant, obſtinatis ad moriendum animis audaciam hoſtium fortiter dimicando retardârunt. Pugnatum eſt pluribus horis aſpero crudeliq; certamine, quo ex oppugnatoribus ducenti & eo ampliùs, ex Brixianis quadraginta deſiderati ſunt. Canens receptui Nicolaus, arbitratus Oppidanos, hâc pugnâ feſſos, negligentiùs, dum corpora quieti dant, mœnia obſervaturos, è veſtigio ad oppugnandam aliam Vrbis partem cum omni exercitu advolat. Hinc quoque, aditu fruſtrà tentato, conſtanti Oppidanorum animo atq; egregriâ operâ cum magno ſuorum interitu propellitur. Rarum profectò militem non ſine vulnere in Caſtra perduxit, adeo lapidibus, baliſtis, bombardis, ferventi aquâ & pice, à defendentibus inceſſebantur. Parùm profectò abfuit tàm frequenti militum cæde, quin ſeditio in exercitu oriretur, execrantibus undiq; Ducem mlitibus, qui tot præclaros bello viros, cùm nulla ſpes vincendi ſubeſſet, mediâ & hyeme, locis frigidiſſimis, veluti pecora cruciatibus & morti obijceret. Dictitabant paſſim, gliſcente jam ſeditione, ſe injuſſu Ducis ſigna relicturos, cùm non cum homini-

bus

bus tantùm, ſed cum hyeme & Deo ſit dimicandum. Tùm verò Picenninus & Mantuanus Princeps ſuorum querelis, & deſperatione oppugnandæ Vrbis moti, quòd jam finis Decembris menſis aderat, exercitum in hiberna dimiſerunt. Ex civibus octingentos, ex mercenarijs, qui in præſidio erant ducentos, ex hoſtibus ultra duo millia in eâ oppugnatione cecidiſſe traditum eſt; & ne ulla omninò feſſis requies daretur, Italianus Philippi Præfectus cum duobus equitum millibus in captis ſuperiore æſtate Oppidis ad impediendos commeatus relictus, varijs incurſionibus Brixiam vexabat, nullâ ad colligendum animum ſumendáſque vires requie conceſsâ. Eâdem hyeme, trigeſimo nono anno ſupra quadringenteſimum & milleſimum, Picenninus, Mantuanus ac reliqui Duces Mediolanum ad Philippum profecti, de ratione belli gerendi aliquamdiu collocuti, in hanc ſententiam devenêre: ut, ubi per anni tempus caſtra metari liceret, copias in hoſtem moverent. Magna interim Venetis cura erat convehendi in Vrbem, quidquid ad tolerandam obſidionem pertineret. Et quanquam Picennini & Mantuani induſtria, multis erectis in vallibus ac montibus Caſtellis, omnem propè devehendæ annonæ facultatem ademerat; tamen Gattæ diligentiâ & virtute, varijs artibus hoſtes eludentis, annonæ aliquid continuò obſeſſis immittebatur. Appetente deinde vere, ubi pabuli copia eſſe cœpit, Picenninus ad

exercitum contendens, aſcito belli ſocio Mantuano Principe, Lodronum Oppidum Mantuanum contendit, relicto Italiano, Nicolao, Guerrerio non longè ab Vrbe Brixiâ, ne vel oppidani, quique in præſidio erant, incurſionibus agros à Philippo captos vexarent, vel Gatta commeatus ad Vrbem, diuturno bello afflictam, expeditè mitteret. Capto poſt longam oppugnationem Lodrono, convalles, quæ intra Lodronum ac Brixiam ſunt, Picennino ac Mantuano ſe ſe dedunt præter Vallem Tropiam. Verùm, abeuntibus inde Ducibus nullo relicto præſidio, ad Venetos paulo pòſt defecêre omnia. Malè etiam ab Italiano ad pontem Sarchæ fluminis pugnatum eſt. Ad mille enim ex Philippi militibus ſuccubuêre. Quâ quidem victoriâ Venetorum res aliquantulùm reſtitui viſa eſt. Datur præterea à Præfecto Brixiano opera, ut Caſtellum in monte Borano ad ripam Lacûs Salodium inter & Madernum muniatur, quò & Claſſis, quæ jam à Venetis magno conatu parabatur, tutior eſſet, ac inde liberiùs commeatus immitti poſſent. Locus hic admonet rem difficillimam, & Perſarum rebus geſtis nequaquam diſſimilem, enarrare, quam ideò monumentis literarum mandandam cenſui, ut Poſteri cognoſcerent, noſtrâm quoq; ætatem præſtantis ingenij atque animi viros habuiſſe, ſive domi ſive foris res geſtæ noſtrorum temporum conſiderentur; unde & optimorum Ducum & militum tanta co-

pia

pia manavit, quantam octingentis jam anteà annis Italia non tulerat. Gerebantur hæc ad Benacum, qui Veronæ, Brixiæ Tridentique fines interiacet, unde Mincius fluvius in Padum illabitur. Longitudo Lacûs triginta millibus paſſuum patet; latitudo, ubi plurimùm, decem, ubi minùs, tria millia paſſuum utrumque littus diſterminat. Extremus angulus ad Tridentum vergit, ex cujus agro Sarcha flumen Benacum influit, quod ego Benacum appellandum puto; unde & Lacus nomen accepit. Oppida habet & Caſtella circumquaq; non ad utilitatem ſolùm, verùm etiam ad voluptatem poſita. Rident colles, apricantur villæ, & ſi quid odorati in Italiâ eſt, id omne ea terra producit; ferax oleo, vino, & omni genere pomorum. Hanc ego potiorem Italiæ partem rerum omnium copiâ & amœnitate puto. Nullibi purior aer, & in quo loqui cum Dijs magis velim. Montes habet à ſuperiore parte dexterâ ac lævâ altiſſimos; inde in colles, mox in plana deſcenditur. Piſces producit optimos, maximè verò Carpionem, tota Italia celeberrimum. Ubi mitiùs exit, Piſcheria eſt Oppidum Veronenſis agri, quod tùm Mantuanæ ditionis erat. Ut itaque Venetorum Caſtella, quæ adhuc circa Lacum eorum ditione tenebantur, faciliùs expugnarentur, ſimul ne quà daretur hoſti facultas Brixiæ jam diù obſeſſæ annonam aquâ ſubvehendi, minora navigia per Mincium in Lacum Picenninus ac Mantuanus

ſub-

ſubmittunt. Obſtare tùm horum conatibus Veneti, & ut Urbs fidiſſima in officio permaneret, biremes aliquot per Atheſin flumen rapidiſſimum ad viginti millia paſſuum remulco traxêre; inde junctis curribus machiniſq; ſubditis, eas uſque ad Lacum quendam, quem accolæ Sancti Andreæ vocant, per aſperrimum montem ad octo millia paſſuum annexis funibus ſubvexêre. Supererat deſcenſus per declivia ardui aſperrimiq; montis, & qui vix inermi deſcenſum daret. Inde per ſilvas & abrupta ſaxa demittere naves in Lacum neceſſe erat. Quare calonum & ruſticorum labore & diligentiâ, quorum magnum numerum ad id undiq; contraxerant, exciſis priùs & dimotis arboribus ac ſaxis, quæ ei rei impedimento eſſe videbantur, repletáq; interjectâ valle funibus deſuper appenſis, naves magno cum labore & diſcrimine ſenſim in Lacum à Penedâ ad Torbolim, fruſtrà adverſante Philippi claſſe, demisêre. Mirabile opus, & quod Xerxis deinceps, qui Athon, Hannibalis qui Taurinum, montes excidêre, res geſtas minùs admirabiles poſteris faciat. His in Lacum deductis, refectiſque, quæ laxatæ attractu & illiſione videbantur, annonâ ad Brixianam ripam, & inde poſtremò jumentis per fauces Vallis Ledri, quibus Ponale nomen eſt, cum difficultate itinerum in Urbem delatâ, famem aliquâ ex parte ſedàvit. Major tùm cura Picenninum & Mantuanum inceſſit augendæ claſſis, quâ hoſtes à tranſvehendo commeatu

meatu prohiberent. Verùm Italianus & Joannes Gonziacus, Præfecti claſſis, fruſtrà occupare ſtationes hoſtium, prohiberéq; navigationem tentantes, repulſi, magno accepto incommodo, irritos conatus omiſêre. Tùm Picenninus & Mantuanus veriti, ne, ſi hoſtes Riperiam Salodij (ita enim accolæ vocant) occupâſſent, liberè traijcere Lacum, ac commeatus obſeſſis Brixianis importare pro arbitrio poſſent, Gavardum, quod ab hoſtibus captum intellexerant, contendunt; ubi & Cavalcabovem, & Guerrerium, Marzanum, Scariotum, Venetorum Duces, primo impetu fundunt, & Gavardum recipiunt. Inde Salodium moventes, claſſe, milite, ſagittis, bombardis, commeatu optimè priùs munitâ, ad hoſtem, qui inter Salodium & Madernum claſſe & terreſtribus copijs conſederat, ire pergunt, ut eodem tempore claſſe & exercitu decerneretur. Præmittere tamen Italianum priùs inſtituit cum delectâ militum manu, qui Bolanum montem Salodio imminentem, dejecto Venetorum præſidio, occuparet, quique Caſtellum ad tutelam loci à Venetis ædificatum caperet, ac captum diriperet. Dum hæc mandata ab Italiano diligenter fierent, ipſe cum Mantuano Principe inſtructis aciebus in hoſtem terrâ ac Lacu contendit. Non detrectabant omninò pugnam Veneti; cedendo enim paulatim inſtantes ſuſtinebant. Tandem verò pulſis ab Italiano ruſticis, qui montem Venetorum mandato occupaverant, captóque

Caſtello, effusâ fugâ, omnes Grignanum petiêre. Eadem fuit & claſſis fortuna. Conſederat ad Madernum Philippi exercitus, cùm ſubito tanta vis peſtilentiæ eſt orta, quanta nunquam ante ullo in loco. Hinc per excellentiam, ſi quo in loco ſævire paulo magis hic morbus cœpit, Madernianâ peſte laboratum dicimus. Nullum enim animans ſuperſtes eo in loco fuiſſe traditur. Vnde, priuſquàm lues diutiùs per exercitum vagaretur, Philippi Duces caſtra Piſcheriam, atque inde in Veronenſem agrum moventes, bellum longè aliâ ratione gerere inſtituunt. Traijcere enim Atheſin meliùs eſt viſum, & captis Oppidis, quæ ad Vicentinos vergunt, Veronam obſidere; quâ in poteſtatem redactâ, videbant, Brixianos & Bergomates deditionem properè facturos, omni ſpe auxilij ſublatâ. Traijcere ſine claſſe non licebat, cùm Veneti Gattâ Duce & claſſe & exercitu ulteriorem ripam, quo minùs id fieret, accuratè obſervarent. Tùm Mantuanus rem haud ſanè contemnendam, & quam poſteri famâ celebrent, aggreſſus eſt. Ex Pado enim ante Hoſtiliam Galeones per æſtuaria & paludes cum magno labore & gravi impenſâ uſque ad foſſam Cercæ (id ejus Vici nomen eſt) oblimitatam vetuſtate & ſitu, pertraxit. Quâ brevi multitudine calonum ac ruſticorum uſq; ad Atheſin ad quatuordecim ferè paſſuum millia purgatâ, influente continuò paludis aquâ, retenta linteis per intervalla, quo faciliùs corpora navium ſuſtinerentur,

rentur, claſſem ad flumen pertraxit. Reſcindere aggerem neceſſe erat ductum inter foſſam & Atheſin; quòd ne fieret, hoſtes bombardis ad eam partem directis, ac Claſſe inſtructâ, prohibere ſunt conati. Verùm inſtantibus continuò Ducibus, & nunc claſſiarios, nunc milites ad benè de ſe promerendum adhortantibus, reſciſſo aggere immiſſa claſſis eſt, quâ & tranſvecti pedites ſunt, & levis armaturæ equites permulti, propoſito præconis voce præmio ei, qui in hoſtem tranſmiſiſſet, Tanta profectò hæc fuit multitudo, & adeò ad operam Ducibus navandam prompta, ut & claſſem hoſtium fugaverit, & tamdiu cum Gattâ in littore ex adverſo dimicaverit, quoad pons ad id paratus ad trajiciendas omnes copias perficeretur. Tùm verò Veneti de ſe actum exiſtimantes, effusâ fugâ Vicentiam petiêre. Fugientes Picenninus ac Mantuanus inſecuti, hoſtium impedimenta & milites aliquot ex itinere feſſos in caſtra retraxêre, Poſtridiè verò, motis caſtris, ac Claſſe per flumen devehi juſsâ, Ligniacum & Portum, duo munitiſſima Oppida, oppugnare adorti, facto priùs ponte, quo pro arbitrio trajicere flumen liceret; quæ tandem bombardis quaſſata, poſt dierum aliquot oppugnationem in fidem recipiuntur. Inde in Vicentinos moventes, dedentibus ſe ultrò inter eundum aliquot Veronenſium Caſtellis, Leonicum, Montembellum, Brendolam, Montechium, Montorſum, ac omnem illam oram, quæ

Veronenſes ac Vicentinos interiacet, ſine ullo marte in deditionem accepêre. Ad Soave aliquantulùm laboris fuit, quod poſt menſem bombardis tandem ac vi militum deditionem facere eſt compulſum. Verſi deinde ad obſidendam Veronam, ſubvectâ priùs per Atheſin claſſe, non longè ab Vrbe Atheſin ponte junxerunt, duobus Caſtellis in utrâque ripâ munitis, validóque præſidio firmatis, quo liberiùs ex Mantuano agro in caſtra deferri commeatus poſſent. Stativa locaverant ipſi Duces ad eam partem Vrbis, quæ ad Vicentinos vergit; ubi crebra committebantur certamina, nunc erumpentibus, qui in præſidio erant, Duce Bartholomæo Bergomate, nunc laceſſente Picennino ac Mantuano, quorum equites aliquot inſtandi ſtudio uſque in Vrbem præſidium hoſtium ſunt inſecuti. In eâ oppugnatione magnam adeptus eſt laudem Carolus Principis Mantuani filius, Adoleſcens magnitudine animi & corporis robore, quo cunctos excellebat, inſignis. Is enim adeò Veronenſes vexavit, ut nemo unus obſeſſis infeſtior ſit habitus. Crebræ etiam fiebant incurſiones in convalles Veronenſium; unde in exercitum magna continuò ducebatur præda, magna pecorum vis & captivorum numerus. Provocare ex his unus, qui in præſidio erant, ad ſingulare certamen Picennini militem eſt auſus, cui indignabundus mulierem armatam in equo ſedentem magnanimus Dux obviàm mi-

ſit,

ſit, contemnens temerarij ac dicacis hoſtis jactantiam, Concurrêre ſimul collatis haſtis, inſpectante ac ridente toto exercitu. Quibus diffractis, cùm deprehendiſſet miles Venetus, ſe cum muliere decertâſſe, ægrè retentus eſt, quin ſibi manum injiceret. Dùm hæc à Philippo & Mantuano Principe agerentur, Veneti de Imperio actum putantes, niſi unum aliquem egregium bello Ducem mercede conducerent, Jacobum Donatum ad Florentinos jam anteà miſerant oratum, ut, ſi Reipublicæ Venetæ, ſi ſaluti ac libertati Italiæ benè conſultum velint, Franciſcum Sfortiam properè cum omnibus copijs in Venetiam, Philippi ac Mantuani armis pœnè oppreſſam, mittant. Tùm verò Florentini periculo Sociorum moti, Franciſcum orant, ut arma pro Venetis ſumat, publicâ fide polliciti, ſe ei, quæ de Romanâ Eccleſiâ teneret Oppida, (id enim maximè petebat) conſtanter defenſuros. Suſcepit tantum bellum Franciſcus, hoc inito fœdere, ut in quinquennium unicus Venetorum ac Florentinorum belli Dux eſſet, útq; utriuſq; Populi ſumptu quinque equitum, duorum peditum millium ſtipendia ei quotannis penderentur. Is itaque, inſtantibus Venetis, quos Picenninus ad eam deſperationem redegerat, ut de relinquendâ continente perſæpè cogitaverint, ex Piceno in Flaminiam, atque inde in agrum Ferrarienſem movens, non longè ab antiquâ Adriâ, pontibus ac ratibus ad id præparatis, Padum traijciens,

 alio

alio itinere præmiſſis impedimentis, quò expeditiore agmine incederet, Patavinos attingens, omnes Venetorum copias ad ſe properè vocat; quibus recognitis ac luſtratis (equitum enim duodecim, peditum quinque millia fuiſſe in exercitu conſtat) repreſſurum ſe propediem palàm eſt profeſſus hoſtem, nimiâ victoriâ exultantem. Tùm Picenninus ac Mantuanus, cognito Franciſci adventu, omiſsâ Vrbis obſidione, Soavium, quod in eorum poteſtate erat, cum exercitu contendunt, tormentis, machinis, bombardis, reliquóq; oppugnationis apparatu trans Atheſin miſſis. Duo erant omninò itinera, quibus adire Veronam Franciſcus poterat, quorum alterum per montes, alterum per planitiem faciendum erat. Montanum arduum reddebat natura loci, & Caſtella à Mantuano occupata ac communita. Aditum verò planitiei lata impediebat foſſa, crebris munita propugnaculis, turribus, vallo atque eminenti aggere quinque millium paſſuum longitudinem à Soavio, montano Oppido, in ſubjectas ad Atheſin paludes extendens; opus certè dignum, quod litterarum monumentis mandetur. Id eo conſilio à Ducibus Philippi erat actum, quo utraque via Veneto exercitui ad liberandam obſidione Veronam prohiberetur aditus. Longè enim Veneti numero copiarum ſuperiores tùm habebantur. At Franciſcus tranſire omninò inſtituens, Leonicum, quod à Soavio octo millia paſſuum diſtat, Oppidum valido

do Mantuani præſidio munitum, oppugnare eſt adortus, quo faciliùs Veronam, nihil hoſtile à tergo relinquens, adire poſſet. Verùm Leoniceni, qui Mantuani rebus plurimùm faverant, ultimum ſuplicium veriti, omnia pericula, utpote non pro fortunis tantùm, ſed pro vitâ & ſalute certantes, ſubibant. Tandem verò, cùm plures ſaucij crebris oppugnationibus eſſent, & in his Oppidi Præfectus, Franciſco everſionem Oppidi comminante, deditionem fecêre, venicam eâ ratione magis ſperantes, quam ſi ultimum conatum tentâſſent. Recepto Leonico, Franciſcus, poſitâ irâ, omnibus pepercit, exiſtimans eâ clementiâ, cæteros quoque, qui deſiviſſent, Leonicenorum exemplum ſecuturos. Neque hæc quidem opinio hominem fefellit. Sponte enim omnia fermè de Veronenſibus ac Vicentinis Caſtella, ad eam diem capta, ad Venetos ſine ullo marte rediêre. Inde movens Franciſcus per plana iter facturus, cùm clauſa omnia deprehendiſſet, ad montana verſus non longè à caſtris hoſtium caſtra locat, eo conſilio, ut, expugnato Caſtello, quod Philippi Duces in monte, qui faciliorem tranſitum dabat, communierant, tranſire celeriùs ac tutiùs poſſet, ad liberandam obſidione Veronam ac Brixiam iturus. Non fefellit Picenninum ac Mantuanum hoſtis conſilium, qui, dimiſſis in planitiem aliquot equitum turmis, per collem ipſi pariter ad hoſtem cum reliquo peditatu & equitatu contendentes, prælium

ſtatim

ſtatim inituri erant, niſi, correpto ſubitâ febri ſiniſtro fato Picennino, veritus Mantuanus, ne quid incommodi abſentiâ & valetudine Ducis caperetur, aciebus paulùm ſubſiſtere juſſis, anteſignanos adiens; Si unquam anteâ, Milites, inquit tempus fuit, quo veſtram ac Ducis Picennini virtutem oſtenderetis, nunc per opportunum certè vobis oblatum eſt. Nam & quo ſub Duce, quámque clariſſimo jam anteà militaveritis, veſtrâ operâ oſtendetis, & vos non militis tantùm audaciâ & manu, ſed Ducis peritiſſimi virtute & fortitudine ſcire uti, ubi opus eſt, facilè apparebit. Tyronum ſit omninò illa lex, ut nihil plùs minúſve agant, quàm ab Imperatore mandatum eſt; vos autem diutinâ militiâ, crebris prælijs, Caſtellorum atque Vrbium expugnationibus, ac continuatâ perſæpè cum æſtate in armis hyeme, jam non militis tantùm, ſed optimi Ducis artes didiciſtis, quibus vel quemvis juſtum exercitum ductare, caſtris locum metari, acie cum hoſte decernere facilè poſſitis. Qui enim milites in totâ Italiâ ſunt, qui vel tolerantiâ in rebus bellicis, vel amore in Ducem, vel patientiâ in laboribus & periculis, inedijs & vigilijs, vel magnitudine rerum geſtarum cum Brachianis militibus poſſint conferri? Vos reliquiæ Brachij, optimi ac præſtantiſſimi Ducis eſtis; vos illi, qui ad Imolam pauci tot millia hoſtium ſuperâſtis, qui Flaminiam cepiſtis; qui, fugato Florentinorum exercitu, Lucam obſidione

liberâ-

liberâſtis, qui Venetorum claſſem ad Cremonam ſuperâſtis, qui Ligures, Gentem indomitam, extrema quæque pati coegiſtis; qui trajecto Pado atque Olio, nunc demùm Atheſi, fugatis Venetorum copijs, tot munita Oppida vi & armis cepiſtis. Imperatorem, dicetis, Venetos novum & bello clarum auctis copijs ſubmiſiſſe. Quid hoc, quæſo, aliud eſt, quàm ſeges & materia gloriæ veſtræ? Sub eo militant, quos toties fudiſtis; hi fugientes Ducem etiam nolentem ſecum trahent. Retineri à paucis plures nullo modo poterunt, cùm vobis atque illis ita diſpares ſint animi, ut victoribus ac victis eſſe conſueverunt. Neque exiſtimate, eos quidem nunc audere, quorum illa concurſatio trepidatio non audacia eſt. Tot enim ſuis cladibus virtutem veſtram, veſtra arma ſunt experti, ut ne nunc quidem aucti novo Duce, novis copijs, gradum præ timore firmare valeant. Illa arma auro & argento diſtincta, illæ phaleræ, illa ephippia, illa opulenta caſtra, ſi paululùm annixi eritis, veſtra ſunt. Hoſtem comptum & lautum dari mihi obviàm ſemper velim. Veſtráne paſſuros creditis arma, qui ſolem, qui frigus pati vix poſſunt? Quid habent ſimilitudinis veſtra hæc præuſta membra calore ac gelu, veſtri nervi, veſtri artus laboribus durati, cum delicatis eorum corporibus? Nihil eſt, Milites, quod magis verear, quàm ne hi à vobis ſuperati, ſuâ ignaviâ & timiditate victi dicantur. Non eſt hic Franciſcus

Sfortia, quem Veneti laudibus ad Cœlum ferunt, alter Hercules; nec, ſit ſit, vos, qui plura prælia propè feciſtis, quàm ille excogitavit, rumore ſuperari decet. Egregium belli Ducem hoſtem habetis, qui, ſi viceritis, & veſtram honeſtabit victoriam, & Picenninum noſtrum mancum ac debilem, quem ſubitâ febri correptum cernitis, omnibus Ducibus, qui tempeſtate noſtrâ fuêre, præponendum meritò facietis. Urget vos quidem ad pugnam, Milites, gloria, quam tot prælijs tanto labore vobis peperiſtis; urgent Oppida & Caſtella veſtris oculis ſubjecta, quæ, ſi ceſſeritis, cùm fidem veſtram ſecuta ſint, graviſſima quæq; ab hoſte patientur, neque alius à tergo relinquitur exercitus, qui eos defendat, ſi nos ceſſerimus. Urget præterea Dux veſter, quem claudum crebris vulneribus, ac correptum ſubitâ febri, retinere neceſſitas non potuit, quò minùs huic prælio intereſſet. Hunc de vobis atque omni Italicâ militiâ optimè meritum inter vepres jacentem, victum non ab hoſte, ſed à ſubitâ valetudine, confodi atque obteri ab hoſtibus patiemini? Hunc, inquam, qui tot labores, tot pericula adijt, ut militare decus ſuum jus retineret? hîc eſt obſtandum hoſti milites, ne ſi tranſierit, uno veluti momento præmijs laborum noſtrorum privemur. Obſeſſum eſt Bergomum, obſeſſa Brixia, obſeſſa Verona, quæ Civitates propediem in manus noſtras ſunt venturæ, ſi aditum hoſti intercluſerimus. Summovere ſub-

ſubeuntem hoſtem ex loco ſuperiore perfacilè eſt. Putet unusquisque non corpus ſuum tantùm, ſed Picenninum illic jacentem, ſed conjuges ac liberos, Patriam ac Penates armis protegere. Putate, quæſo, non Philippum ſolùm, ſed omnes ejus Civitates veſtras manus intueri, quæ talem deinceps fortunam habituræ ſunt, qualem ſpectata virtus veſtra fecerit. Hæc cùm Mantuanus dixiſſet, & jam hoſtes tranſire montem conarentur, compoſitis aciebus cum ſuis in primam aciem provolans, ſublato clamore in ſubeuntes impetum facit. Annixi hoſtes jugum jam magnâ ex parte captum retinere, acriter prælium cient. Diffractis haſtis, dum obſtinatis animis concurritur, gladijs cominùs rem gerunt. Submittebantur (ut fit) integri feſſis, quouſque ad Caroli Gonziaci turmam ventum eſt, qui animorum plenus in hoſtem invectus, eum parùm referre gradum coegit; verùm dum in hoſtes incautiùs fertur, vulnere in oculum accepto, ex acie & ipſe exceſſit. At Picenninus, audito clamore bellico, non retardatus febri, equum aſcendens, ac omnes acies in hoſtem ſecum movens, eum retrò ad Sanctum Joannem, quem accolæ Rognam vocant, cedere coegit. Tùm Franciſcus fruſtrà eò tentato itinere, paulò ulteriùs exercitum movens, Montem Eccleſiæ (ita accolæ vocant) vi cepit. Inde in vallem ſubjectam deſcendens, Veronam, nullo vetante proficiſcitur. Hanc ob rem Philippi

Duces, motis à Soavio caſtris, ad Porcile, ubi Atheſin ponte junxerant, contendunt, obſervaturi, quorſum Franciſcus tenderet. Qui Veronâ abiens, quòd Civitas peſtilentiâ laboraret, tranſmiſſo Atheſi, ad tertium ab Vrbe lapidem viâ, quâ Hoſtiliam itur, menſe Auguſto, caſtra locat Thombæ; id ei loco nomen eſt. Tùm Picenninus ac Mantuanus, remotis à foſsâ ad Soavium ductâ præſidijs omnibus incenſisq; ubiq; Caſtellis ac munitionibus, flumen & ipſi cùm trajeciſſent, reſoluto ponte, demiſsâq; cum claſſe ad Ligniacum, omni materiâ, ad Inſulam Porcariciam conſedere, quâ ex re Franciſcus eveſtigiò ad oppugnandum Soavium contendens, Oppidum aliquamdiu ſummâ vi ab Oppidanis & præſidio defenſum in deditionem recepit. Movens inde ad reliqua Caſtella, quæ adhuc in fide Mantuani remanſerant, cùm brevi omnia ad deditionem Venetam redegiſſet, iterùm ad Thombam redijt. Inſtabant tùm Veneti, ut Brixianis jam biennio obſeſſis commeatus properè ſubveherentur, veriti, ne bello, peſte, fame, tribus graviſſimis malis eodem tempore vexati, tandem victi ſuccumberent. Herbis enim undique conquiſitis, & animalibus, à quibus humana abſtinet conſuetudo, famem plebs ſedare cogebatur. Franciſcus igitur, ut obſeſſis faciliùs ſubmitti commeatus poſſent, ad occupandam Riperiam Gardæ, (ita enim accolæ vocant) Bardolinum firmo Mantuani præſidio munitum primò cum exercitu contendit;

quo

quo capto, ſperabat, cætera ejus tractûs Oppida facilè ad deditionem compelli, atque inde tutiùs ac commodiùs Brixianis frumentum navibus ſubmitti poſſe. At Nicolaus, Mantuanúſque, quid hoſtes molirentur, facilè deprehendentes, Piſcheriam cum exercitu profecti, inde quoq; terrâ ac Lacu, inſtructâ claſſe, ad hoſtem moventes, Franciſcum levi prælio movere caſtra compellunt. Qui, occupato Cavajonis Monte, unde Veronam tutus receptus erat, ſequenti die, nullo abeundi ſigno dato, ad Thombam denuò revertitur. Movêre & ad Vigaſium Philippi Duces, quod quidem Caſtellum Veronam ac Mantuam interiacet. Dum Franciſcus, intercludi ſibi omnes aditus ad liberandam obſidione Brixiam cernit, Atheſin trajiciens, ac in Tridentinum agrum movens, Arcum, muniſſimum Oppidum in ſuperiore parte Lacûs loco edito poſitum, oppugnare eſt adortus, ut inde per montana loca jumenta commeatum importantia Brixiam tutiùs mitterentur; infenſus etiam, quòd Comites Oppidi cum Philippo & Mantuano Principe toto eo bello ſenſiſſent. Motus itaq; Picenninus ſociorum periculo, inſtante jam hyeme cum aliquot turmis equitum ac magno peditatu Piſcheriam primò, mox inde claſſem conſcendens, Ripam Tridenti, quod Oppidum parùm ab hoſtibus diſtabat, appulit, ubi communitis caſtris, impedire hoſtes numero copiarum ſuperiores, crebris prælijs eos laceſſendo, quo

minùs Arcum, aut Caſtella circumquaque poſita, oppugnaret, inſtituit. Tandem verò eò ſemel res eſt adducta, ut, dum ipſe cupidiùs quàm cautiùs pugnat, à reliquo exercitu ſecluſus, magno accepto incommodo, fugâ ſalutem in ſubjectas valles ſupra caſtra hoſtium petere ſit coactus. Hunc dum ab hoſtibus circumventum defendere Carolus Gonziacus parat, acriter dimicans, abundante undique multitudine, capitur. Superveniente ſtatim nocte, (nam ea diremerat prælium) Picenninus, multis hoſtium ab inſequendis ſuis obviàm factis, à Todeſchino, ingentis magnitudinis & roboris famulo, humeris, tanquam cadaver, incolumis defertur. Debilitatus enim altero latere propter accepta in prælijs vulnera, non facile incedebat, niſi hinc atque inde ſuorum manibus ſublevaretur. Sunt, qui tradant, Himericum Severinatem, qui tùm cum Franciſco militabat, homini in itinere obviàm factum, tanti viri periculo motum, ex equo deſcendiſſe, eique equum, quo tutior eſſet, in fugâ dediſſe. Alij verò hoc factum Cerpelioni, Viro ſtrenuo, adſcribunt. Neque hoc quidem vero diſſonat; adeò enim æquè omnibus charus erat Picenninus, ut hoſtes ipſi perſæpè, eò inter primas acies adhortandi causâ (ut fit) verſante, tela inhibuerint, tanquam piaculum commiſſuri, ſi Virum optimum & de re militari benè meritum læſiſſent. Perlatus in caſtra, concurrente undique toto exercitu magnâ

gnâ lætitiâ perfuſo, quòd alij captum, alij Ducem mortuum ſuſpicarentur, inviſitur. Sedavit etiam mirum in modum hominis incolumitas dolorem, quem Mantuanus Princeps de capto ab hoſtibus filio ceperat. Emendaturum enim ſe Picennino vivo acceptum incommodum propediem ſperabat, quæ quidem ſpes nec hominem fefellit. Sequenti enim die, inito prælio, cum maximâ hoſtium admiratione, qui Picenninum heſternâ pugnâ aut mortuum aut omninò ſuperatum crediderant, conſtantiſſimè aliquot horis eſt pugnatum. Tandem verò neutram in partem ſe inclinante victoriâ, cùm uterque receptui ceciniſſet, Dominicus Cæſenas ab equitibus Mantuanis captus in caſtra perducitur, quocum poſteà Carolus commutatus eſt, cùm uterque aliquamdiu, hic Veronæ, ille Mantuæ, diligenti cuſtodiâ fuerit aſſervatus.

LIBER SEXTUS

DUm hæc ad Arcum & Ripam agerentur cùm magno utriuſque exercitûs incommodo, cùm ob nives & hyemem frigidiſſimam, tùm vel maximè propter annonæ difficultatem, quæ eò ſubvehi ſine magno periculo non poterat, Centurio quidam, cui Gaſpar Regienſis nomen fuit, cum duobus commilitonibus, quorum alter Gaſpar Theutonicus, alter Joannes Cremonenſis eſt appellatus, ad Mantuanum Principem, ſub quo mili-

militabant, in caſtra perveniunt, affirmantes, eam partem Vrbis Veronæ, quam Citadellam vocant, negligenter ab hoſtibus cuſtoditam capi noctu facillimè poſſe, ſi eò properè cum exercitu proficiſcatur; luſtrâſſe ſe omnia diligenter, nec quenquam vigilum præſenſiſſe hoſtem adeſſe. Perducit hos Mantuanus ad Picenninum, qui eadem illi ſecretò affirmantes, Ducem ingenio ferocem ad tentandam fortunam perpulêre. Motis itaque caſtris, & terrâ ac Lacu Piſcheriam pervenêre, unde poſteà, paratis ſcalis ac dolabris, ſequenti nocte accelerato itinere (ut in tali re fieri oportebat) Veronam pervenientes, admotis muro ſcalis haud magno negotio Citadellam cepêre, nomine propè vigilum ſentiente, ſtridente maximè eâ nocte Aquilone vento, ad quem vitandum ob immenſum frigus, relictis magnâ ex parte ſtationibus, cuſtodes ſeſe intra tabernacula receperant. Captâ Citadellâ, ac refractâ eâ portâ, quæ in Vrbem ducit, dum acies explicant Vrbem invaſuri, quædam cohortes, quæ in præſidio erant, cum aliquot civibus ire obviàm auſæ, ab irrumpentibus facilè funduntur. Magna fuit Mantuani cura, ne Vrbs diriperetur, néve cuiquam civium fieret injuria, dimiſſis circumquaque Proceribus, qui militibus laqueum minarentur, ſi prædam facerent. Captæ eodem impetu portæ omnes. Tres ſupererant Arces: duæ in monte ſitæ, quarum altera Sancti Felicis, & hæc extra Vrbem

ducit

ducit; altera Sancti Petri,quæ tota in Vrbem verſa eſt, nominatur; tertia in plano ſita eſt, ponte lapideo Atheſin ad Septentrionem conjungens, & hæc Caſtrum Vetus ab accolis vocatur. Tùm Picenninus nil actum exiſtimans, niſi Franciſcus Sfortia aditu Veronæ intercluderetur, Franciſcum filium cum aliquot turmis Equitum ac cohortibus peditum ad occupandum Caſtellum,quod Chiuſam vocant, properè mittit. Is, fruſtrà tentatâ expugnatione, acriter Præfecto loci reſiſtente, re infectâ ad Patrem redijt, qui tùm unà cum Mantuano demoliri bombardis murum illum duplicem curabat, qui à Caſtro Veteri ad Citadellam ducitur, poſitis ad Arenam machinis, ne eo munimento hoſtes recuperare Vrbem poſſent. Hunc murum Vetruvij Cerdonis opus ego crediderim; quod ejus quòque Epigramma indicat in frontiſpicio portæ ſitum, quâ in Suburbia Divi Zenonis itur. At Franciſcus Veronam captam ab hoſtibus intelligens, Præfectos copiarum ad ſe vocat, conſulturus quid in tantâ perturbatione rerum faciendum cenſerent. Horum variæ fuêre ſententiæ. Erant enim, qui omninò recuperandæ Vrbis ſpem ponendam dicerent, quòd hoſtes eam magno cum exercitu occupâſſent, quódq; vererentur, ne cives cum Mantuano ſentirent: Picenninum ad omnia præcavenda Ducem ſagaciſſimum eſſe; verique ſimile eſſe, eum ſingulos obſediſſe aditus, quibus adiri Vrbs poſſet; ſatius

eſſe Vicentiam ac Patavium petere, eáſque Civitates, quo minùs ad hoſtes deficerent, in fide retinere. Subjiciebant alij difficultatem itineris nivibus montibúſque aſperrimis impediti: tantum ubique glaciej eſſe, ut vix pedites ſtare, equi etiam inanes, nedum ſeſſorem pati poſſent, maximè verò, ſi aut in itinere aut ad Vrbem feſſi ac pœnè enecti frigoribus dimicare cum integris cogerentur; ſatius eſſe, exercitum integrum retinere, quo reprimi pro tempore conatus hoſtium poſſent, quàm eodem amiſſo, rem Venetam in ſummum diſcrimen adducere. His atque alijs in eandem fermè ſententiam dictis, Franciſcus rei Venetæ in ſummum diſcrimen adductæ ſubveniendum cenſens, etiam quovis periculo adito, e veſtigiò ſigna movens cum delectis equitibus peditibúsque (veſper jam erat) per montes nivibus opertos iter faciens, ad primam vigiliam decem millibus paſſuum confectis, in vico deſerto ſubſtitit; ubi nil pabuli repertum quod equis daretur. Illuceſcente deinde aurorâ, motis Caſtris in planitiem ad Atheſin deſcendit. Ibi recreatis parumper quiete & pabulo equis, inediâ & labore itineris feſſis, Veronam ſtructis aciebus petens, ad Arcem Sancti Felicis, quâ in Vrbem dabatur ingreſſus, perveniens, recuperandæ Civitatis ſpem mente concipit. Demiſſis itaque repentè cohortibus quibuſdam & turmis, magno cum clamore hoſtes invadit. Fiunt obviàm Philippi Duces cum pau-

cis equitibus; nondum enim omnes ejus copiæ ſupervenerant. Pugnatur acriter in eâ parte Vrbis, quam Inſulam vocant. Tandem verò, cùm pauci à pluribus pellerentur, in pontem, quem accolæ Novum appellant, Picennini ac Mantuani milites ſe ſe recipientes, vim hoſtium aliquamdiu ſuſtinent. Ibi dum ab equitibus, ut fit, manus conſeruntur, dúmque plures parvo in loco conglobati reſiſtunt, pons ligneus, quo lapideus conjungi ac disjungi pro arbitrio ſolet, nimio pondere preſſus concidit. Qui ultra flumen erant, ad unum omnes capti ſunt, quia eis ſubmitti auxilio integræ acies ob ruinam pontis non poterant. Summerſi fermè omnes, qui è ponte in flumen ceciderant, feſſi diutinâ pugnâ & pondere armorum preſſi. Accurrens deinde ad pontem navium Franciſcus traductis copijs, Picenninum ac Mantuanum, fidem civium ſuſpectam habentes, penitùs Vrbe quatriduò poſt captam eandem expulit. Multi in prælio periêre; plures vivi capti ſunt, qui paſſim per Vrbem locorum ignari vagabantur. Sunt, qui opinentur, Vrbem captam, quæ ex fœdere Mantuano debebatur, Philippum invidiâ motum retineri noluiſſe, quòd non opportunè copias omnes, ut decebat, auxilio ſubmiſerit. Ferunt Italianum, cùm acriter â Picennino increparetur, quòd accitus non veniſſet auxilio, oſtendiſſe Philippi literas, quibus prohibebatur, quovis juſſu præterquam ſuo movere pedem. Franciſcus recuperatâ

ratâ Vrbe, miſſisque in hiberna militibus, Brunorium Præfectum cohortium Torbolim confeſtim mittit ad perficiendam claſſem jam dudum inchoatam, quâ & Philippus & Mantuanus pelli poſſeſſione Lacûs poſſent, & annona Brixianis commodiùs ſubmitteretur. Ipſe verò tamdiu Veronæ in Citadellâ hiemare conſtituerat, quoad per anni tempus caſtra facere liceret, Venetis hominem fruſtrà rogantibus, ut Brixiam, ductis ſecum, quos poſſet, equitibus, gravi & longâ obſidione liberare conaretur. Verebantur enim, ne quid incommodi Brixianis vel ferro vel fame accideret. Anno verò quadrageſimo ſupra quadringenteſimum & milleſimum Mantuanus Princeps ac Picenninus, diviſis paſſim per Mantuanum ac Brixianum agrum hiemandi gratiâ militibus, Mediolanum proficiſcuntur, inituri cum Philippo rationem aliquam belli gerendi. At Philippus, ut variæ mentis erat, ita varia conſilia agitans, concepit animo, diſtrahi Franciſcum â Venetis poſſe, ſi Florentinos bello vexaret; qui paribus auſpiciis atq; impensâ Franciſcum mercede conduxerant. Nicolaum itaque mediâ hieme menſe Februario, immoratum paulùm in agro Parmenſi reficiendorum equorum gratiâ, in Hetruriam cum ſex millibus equitum mittit. Is Pandulphi Malateſtæ filios partim metu partim pollicitationibus in partes ſuas trahens, auctus eo copiarum numero, Florentinos gravi bello aggreditur. Hi verò, ac-

cerſito

cerſito Petro Jampaulo, egregio copiarum Duce, rogatóque Eugenio Pontifice, qui tùm in Vrbe Florentiâ morabatur, ut milites Pontificios ad defendendam Hetruriam ex fœdere acciret, ire obviàm Picennino inſtituerant. Verùm, cognitâ Joannis Vitelleſchi cum Philippo conjuratione, qui tùm exercitui Eccleſiaſtico Cardinalis & Patriarcha præerat, cùm non amicus, ut præ ſe ferebat, ſed hoſtis in Hetruriam cum ſex millibus equitum venturus eſſet, junctiſque cum Picennino copijs Florentinis, inimico & hoſtili animo perſecuturus, dant operam qui tùm Florentiæ in magiſtratu erant, ſive veris ſive fictis Eugenij literis, ut, dum copias per pontem Adriani trajicit, ab Antonio Ridio, Arcis præfecto, interficeretur; quod etiam factum eſt. Liberati eo timore Florentini, callidè cum Eugenio agunt, ut Ludovicus Patavinus, qui poſteá in demortui locum Patriarcha creatus eſt, cujúſque operâ Vitelleschum è medio ſublatum crediderim, copijs Eccleſiæ in unum coactis, Reipublicæ Florentinæ iret auxilio, renovato â Venetis & Florentinis cum Pontifice fœdere partitâque bellicâ impensà. Interim verò Nicolaus ex Flaminiâ in Hetruriam movens, ac capto Oriolo & Modiglanâ in Mugellanam vallem deſcendens, longè ac latè omnia Feſulas uſque incurſionibus vexans, pecora undique & ruſticos cum magno populi Florentini incommodo abigebat, auſus quoque, exulibus adhortantibus, Arnum tra-

trajicere, & Remolum, quod parùm ab Vrbe diſtat, occupare, movens deinde è Mugellanâ valle in Caſſentinatem, Romenam ac Bibiennam, oppida ſatis munita, ad defectionem compulit, mota credo exemplo Comitis Popij, qui Picennino commeatum & inſtrumenta bellica ſubminiſtrabat. Acriter deinde oppugnare Sancti Nicolai Oppidum incipit, quo potiri cùm nullo modo poſſet, inde Tiphernum mox Cortonam obequitans, cùm incolas ad defectionem minis & pollicitationibus movere non poſſet, Peruſiam, non ut hoſtis, ſed ut civis, cum quatuor millibus equitum profectus, Vrbem ingreſſus, Legatum, qui tùm cum imperio erat, ad Pontificem Eugenium cum mandatis quibuſdam miſit. Interim capto ærarij Magiſtro, quem vulgò Theſaurarium vocant, totum Civitatis ſtatum repentè mutavit. Delegit enim cives decem, qui vitæ ac necis in reliquos omnes poteſtatem haberent. Veriti tamen Peruſini, ne Tyrannidem occuparet, cum homine pepigêre, ut acceptis quinquaginta millibus nummûm auri ab Vrbe diſcederet. Qui receptis pecunijs Cortonam movens, Vrbem proditione recepturus, patefactâ conjuratione, ac proditoribus partim interfectis partim Vrbe pulſis, Tiphernum reverſus eſt. Movent & Florentini Anglare, auctis copijs ſocijs auxilio futuri, ſi quid Nicolaus per vim moliri conaretur. Dum hæc in Hetruria â Nicolao gererentur, in Venetiâ Franciſcus Be-

na

nacum eâ claſſe, quam diximus â Venetis ad Torbolim paſrari, ſuperato ingenti clade navali prælio Italiano Philippi Præfecto, in ditionem Venetam redegit. Ponte deinde ſupra Mincium juncto traductóque exercitu, Brixiam contendens, captis in itinere aliquot Caſtellis, Vrbem gravi obſidione liberat. Circumferens deinde ad recuperanda Brixianorum ac Bergomatum Oppida à Philippo occupata, brevi omnia in poteſtatem redegit. Ad Vrceos novos, quod firmo Philippi præſidio defendebatur, plus laboris, quàm putârat, eſt habitum; quod & eodem tempore Oppidum oppugnare, & cum hoſte Oppidanis auxilio veniente decernere neceſſe fuit. Verùm Franciſcus multitudine copiarum fretus, cùm aliquamdiu acriter pugnatum eſſet, hinc inſtante Italiano, Alouiſio Verme, Borſio Eſtenſi, hinc erumpente tanto impetu præſidio, ut & trepidatum ad ſigna ſit, hoſtes fundens, ex quibus mille & quingenti equites ſunt capti, oppido per deditionem potitur, permiſſis abire, qui in præſidio erant, cum equis armiſque. Capto deinde Soncino, totam ferme Glaream Abduæ ad defectionem compulit. In oppugnatione Caravaginâ Leonem fratrem bellicâ laude inſignem amiſit. Converſus poſtremò in Mantuanum Principem, qui ad tuendos fines cum militibus ſuis, abſente maximè Picennino, ſe ſe receperat, captis inter eundum Cremonenſis agri oppidis fermè omnibus, inter Canetum

netum & Platinam, oppida ſtatim capta, caſtra ponens, Arcem, quæ ad pontem eſt, quo flumen Olium trajicitur, octo dierum oppugnatione vi cepit, demolitus muros ac turrim ingentem creberrimis bombardæ ictibus. Tendens inde Marchariam ſecundo amne, Oppido haud ita multo pòſt potitus, Arcem diu bombardis quaſſatam, crebríſque oppugnationibus laceram, acriter defendente præſidio, tandem, cùm integri continuò feſſis ſubmitterentur, cúmque nulla quies oppugnatis daretur, multis utrínque cadentibus, vi cepit. Captâ Marchariâ Caprianam movens, Caſtello atque Arce potitus, Piſcheriam contendens, Oppidum opulentiâ inſigne, ſitúq; amœnum atque Arce munitiſſimum, ſegniter defendentibus, qui in præſidio erant, in deditionem recepit, execrantibus etiam hoſtibus, & dignos laqueo affirmantibus, qui tantam Arcem tàm timidè & ignaviter defendiſſent. At Picenninus commutatam in Venetiâ fortunam intelligens, fugatâ ad Benacum Philippi ac Mantuani claſſe cum magno claſſiariorum interitu, liberatâ obſidione Brixiâ, recuperatis â Franciſco omnibus Brixianorum Oppidis, proſtratis ad Soncinum Philippi copijs, ob háſque res frequentibus literis & nuncijs accitus, fatigatúſque militum precibus, qui magnâ ex parte Ciſalpini erant, motis â Tipherno Caſtris, ad Burgum ſuæ ditionis Oppidum, quod è Regione Anglarij poſitum eſt, pervenit, eâ mente, ut vel vi

vel

vel aſtu cum Florentinis decerneret, qui, ut diximus, ad Anglare conſederant. Ad tertium itaque Kalendas Julias, (dies is Petri ac Pauli celebris erat) Picenninus ſtructis aciebus exercitum properè educens, emenſus planitiem paſſuum quatuor mille, cum haud procul ab Anglario eſſet, ex captivis deprehendens gregarios hoſtium fermè omnes pabulatum iviſſe, ratus occaſionem benè pugnandi ſibi oblatam eſſe, prælium iniquo loco commiſit; erat enim in clivum ſubeundum. Non detrectavêre certamen Florentinæ copiæ, quòd ad iniquum pugnandi locum hoſtem pertractum videbant. Tribus aciebus rem geri placuit, & quis cuique præeſſet, imperatum. Subſidiariæ cohortes cum ſignis apud Ludovicum Patavinum Legatum Pontificis diſpoſitæ, quæ, ubi opus foret, laborantibus ſubvenirent; pedites ac ſagittarij per clivum undique à lateribus acierum diſpoſiti, qui è loco ſuperiore ſubeuntem hoſtem propellerent ac ferirent. Dimicatum eſt ad quinq; horas conſtanter in eo campo, qui ad ſiniſtrum eſt Anglario Tiphernum proficiſcentibus, hortante ſuos Picennino, ut priſtinæ virtutis memores, partum tot victorijs decus hac unâ pugnâ retinerent, propoſitâ, ſi viciſſent, redeundi in Ciſalpinam ſpe, ſi victi, turpitudine & ſervitute. Adhortabantur & ſuos Florentini Duces, actum de hoſte, qui iniquo loco prælium commiſerat, clamitantes, ſi paululùm ſuſtinerent, feſſum jam ac nutantem cernentes.

nentes. His adhortationibus utrinque redintegratur prælium, quo Picenninus Florentinos non nihil perturbaverat, ni properè ſubſidiariæ acies, admonente ita faciendum eſſe Bartholomæo Roverellâ, à Legato immiſſæ eſſent, quæ integræ Bracchianum militem calore & diutinâ pugnâ feſſum nactæ, perfacilè fundunt. Victus Picenninus fugatúſque Burgum cum paucis repetit; ex cujus exercitu ad centum quadraginta equites perijſſe, plures vulneratos, ad mille & quingentos vivos captos fuiſſe conſtat, cum aliquot ſignis militaribus, quæ poſteà Florentiam in Triumphi ſpeciem ſunt delata. Sequenti die Picenninus, relicto Burgo in poteſtate Oppidanorum, cùm his tantùm, qui ex prælio ſuperfuerant, iter per Flaminiam faciens, ad Philippum redijt. Dixiſſe hominem ferunt, actum de Imperio Philippi fuiſſe, ſi Dij mentem Florentinis dediſſent, retinere veteranos ac Præfectos eâ pugnâ captos, (ad quingentos enim fuiſſe conſtat) qui omnes liberaliter habiti dimiſſique, Ducem haud ita multò pòſt ſecuti ſunt. Oppidani Burgenſes veriti, ne in eos aſperius animadverteretur, quòd à Pontifice deſciviſſent, impetratâ per Oratores veniâ & corporum ac rerum omnium incolumitate, ſe ſe Legato dedidêre. Gratiſſima ea victoria tùm Eugenio tùm Florentinis fuit. Videbatur enim Hetruria deinceps in tuto fore, ſuperato hoſte acerrimo longéque ſummoto. Tùm Ludovicus ob rem

benè

benè ac feliciter geſtam Cardinalis ab Eugenio creatur. Eâdem æſtate Florentini Comitem Popij, qui cum Picennino ſenſerat, ex Hetruriâ pepulêre. Collocutus de inſtaurando exercitu cum Philippo Picenninus, acceptâ poteſtate, magnam pecuniarum vim hortando, rogando, auferendo, nullo rerum aut hominum diſcrimine habito, brevi undique coegit. Quibus ſolvendo non erat, arma, veſtes, frumentum pro imperio ſubminiſtrabant; quibus rebus milites hieme præſertim uterentur. Franciſcus autem partitis per hiberna militibus omnia ad bellum ſequenti æſtate gerendum diligenter parat. At verò Nicolaus Ferrarienſis amicorum vicem dolens, maximè verò Principis Mantuani, cujus ſuperiore æſtate multa Oppida ac Caſtella à Venetis capta fuerant, miſſis ad Philippum & Florentinos Oratoribus, pacis mentionem intulit, Venetis ſi non apertè, occultè tamen adverſantibus, qui eâ de re agi, præſertim cùm ad eos inclinaret victoria, moleſtè ferebant. Mittitur & à Philippo Ferrariam Blanca filia, quam jam anteà in Uxorē Franciſco ſpoponderat, hortante Nicolao, quò faciliùs puella ſequeſtra de pace inter acerbiſſimè diſceptantes conveniret; venerant enim omnes in ſpem poſſe agi de pace, quòd pluribus indicijs Philippum ſtaturum promiſſis deinceps exiſtimabant. Verùm cùm res de induſtriâ protraheretur, cúmque Franciſcus cerneret Picenninum copias ſummâ vi inſtaurare,

ne quid incommodi per ſocordiam acciperetur, Joannem fratrem cum quatuor millibus equitum Soncinum (quod Oppidum præcipuè hoſtibus oppoſitum erat) celerrimè mittit, quo ſubitos Inſubrium conatus celeriùs ac commodiùs propulſare poſſet. Idibus verò Februarijs Picenninus, collectis ex Placentino & Parmenſi agro copijs omnibus, quas peditum atque equitum decem millia fuiſſe conſtat, tranſmiſſo Pado, ſimulans ſe Urceos petiturum, ad ſiniſtram flexit, ac noctu Olium flumen ad Rhodianum omni nudatum cuſtode trajecit. Dilabentibus deinde in proxima Oppida Venetorum equitibus, quòd ſe impares tantis Philippi copijs viderent, Picenninus Clarium oppugnare adortus, Oppidanos præ timore dedere ſeſe ac prodere præſidium compulit; quos ad octingentos equites fuiſſe conſtat. Inde Palatiolum movens, confugiente in Arcem præſidio, Oppidum cepit. Dimiſſis verò, qui Arcem expugnarent, ipſe exercitum circumferens, plurima ejus regionis Caſtella brevi occupavit. Captâ ſeptimo die Palatioli Arce, præſidium incolumitatem pactum cum equis & impedimentis abire permiſit. Hæc celeriùs à Picennino ſunt geſta, quàm geri à Franciſco intelligi potuerint; qui è Piſcheriâ, ubi tùm hiemabat, cum trecentis equitibus movens, ac Brixiam contendens, trepidos civium animos mirum in modum confirmavit, verentes ne res in antiquum ſtatum redigerentur, longéque pejora,

 quàm

quàm quæ paſſi fuerant, ferre iterùm cogerentur; maximè verò, quòd & ſparſi rumores erant, Franciſcum à Venetis capitali ſupplicio interceptum eſſe. Abeunte deinde Mediolanum Picennino, diſtributis per hiberna militibus ad reficiendos equos frigore ac pabuli inopiâ aliquantulùm maciatos, & ipſe Veronam ad comparandum exercitum revertitur. Dum hi apparatus fierent, cúmq; jam ver appeteret, Mantuanus Princeps Ludovicum & Carolum filios cum aliquot turmis equitum ac cohortibus ad recuperanda caſtella quædam à Franciſco ſuperiore æſtate capta mittit. Quâ expeditione Canetum, Pontem Olij, Marchariam, & quædam Cremonenſis agri Oppida partim vi, maximè verò Arces, partim deditione ceperunt. Conjuncturus properè cum Picennino copias, ubi Philippi nuncijs eſſet accitus, Philippus diſtrahere Franciſcum à Venetis conatus, cum Alphonſo Rege agit, ut, quæ Sfortiani in Regno Oppida poſſiderent, bello ſtatim vexaret. Plurimùm enim Alphonſus Philippo debebat; quòd bello navali à Genuenſibus captus, quibus tùm Philippus præerat, Mediolanúmque perductus, non ſolùm vitâ & libertate â Philippo, verùm & magnis ac Regijs muneribus ab eodem magnificentiſſimè donatus, in Regnum liberrimè remittitur. Hâc itaque in re Philippo morem gerens Alphonſus, Franciſcum tamen à bello inito revocare nuſquam potuit. Is, ubi primùm copia eſſe

 cœpit

cœpit, cum equitum quindecim millibus, peditum ſex Brixiam petens, tranſmiſſo Mellâ flumine Lignanum contendit, quo in vico Picenninum noverat cum decem millibus equitum, tribus peditum conſediſſe. Hoc autem eò animo fecit, ut hoſtibus pugnandi copiam faceret. Non detrectavit certamen Picenninus, etſi numero copiarum inferior erat, ſuorum virtute & loci munitione fretus. Cient pugnam in primis aciebus Duces, & ſuos quiſque, antiquam belli gloriam & dignitatem factionum commemorans & extollens, adhortatur. Vehemens ſtatim committitur prælium, utroque exercitu non minùs pro vetere ſimultate, quæ Sfortianos inter Bracchianóſque maxima intercedebat, quàm pro honore & Imperio certante. Multæ utrinque diffractæ turmæ; multi equites capti atque interfecti, adeò acri concurrebant animo. Tandem verò cum ad duas horas utrinque conſtanter pugnatum eſſet, Franciſcus receptui canens, quòd iniquo loco rem commiſſam videbat, in caſtra copias reduxit, ſatis ſibi factum ad belli famam exiſtimans, quòd ultrò hoſtem ad pugnam provocâſſet, nec per eum ſtetiſſet, quo minùs æquo campo collatis ſignis dimicaretur, multitudine copiarum fretus, quas Micheletus patruus ſuo paulò ante adventu auxerat. Hâc unâ pugnâ ferociâ elatus exercitum circumferens, Menerbium atque alia Oppida in deditionem recepit. Pontolium deinde contendens, recepto Oppido in

Bergo-

Bergomates movet, Martinengium oppugnaturus Oppidum, magno & firmo Picennini præſidio munitum. Inerant enim quadringenti equites & pedites ſexcenti Jacobo Gaviano Præfecto ac Duce. Eò itaque cùm veniſſet, alio ſimulato itinere, ne Picenninus inſtando facere caſtra hominem vetaret, Oppidum ſtatim coronâ cingens, latam circa foſſam duxit, quò tutior ab hoſtili impetu fieret, maximè ad eam partem, quâ facilior aditus ad caſtra dabatur, ſi eodem tempore & Oppidum oppugnandum, & Picennino carpente, eſſet reſiſtendum. Oppugnabatur quotidie Oppidum machinis & tormentis, quibus muri ſolo æquari conſueverunt, cùm Picenninus ſolvendæ obſidionis causâ eò cum exercitu contendens, poſitis mille paſſus prope hoſtium caſtris, quotidie frequentibus prælijs Franciſcum ad univerſæ rei dimicationem provocat; qui remiſſo priore manum cum hoſte conſerendi ardore, ad expugnandum Oppidum totus ferebatur. Utriuſque erat opinio, in ejus ſolius Oppidi aut expugnatione aut defenſione omnem belli fortunam conſiſtere; ideò caſtra utraque novis in diem ſubſidijs augeri, ut non de uno Oppido certamen, ſed de Imperio totius Italiæ, propoſitum videretur. Paraverat magnas copias Mantuanus, paraverat Franciſus Picenninus, qui tùm erat in Parmenſi agro: quibus Picenninus auctus rem Venetam in magnum diſcrimen adduxiſſet; eò enim etiam ſine his redactus erat eo-

eorum exercitus, ut neque gregarius miles ire pabulatum ſine periculo, neque commeatus ſubmitti tutò, neque inde exercitus abduci ſine magno diſcrimine poſſet. Protractâ uſque in vigeſimum diem obſidione, crebris prælijs commiſſis non ſine tantorum exercituum pernicie aliquâ, cùm ſub ipſis oculis tàm præclariſſimorum Ducum dimicandum eſſet, præter ſpem omnium pax ſubitò per Præcones enunciata eſt, jam anteà occultè agitata inter Philippũ & Franciſcum, Euſebiolo quodam cognomento Chaimo ultrò citróque commeante, ignaro Picennino. Hanc ob rem ferunt poſteà Euſebiolum Mediolani à factione Bracchianâ interfectum. Picenninus itaque, tantâ re perceptâ, Deos hominéſque accuſans, præcipuè verò Philippi inconſtantiam, qui victor pro victo pacem peteret, in tabernaculum ſeſe recipiens, ut in publicum eo die prodiret, præ dolore & indignatione à ſuis impelli nunquam potuit. Poſtridie verò, datis decem dierum inducijs, factâque liberâ ultrò citróque commeandi poteſtate, ac ſolutâ Oppidi obſidione, Duces ambo, eâ ætate maximi, cum admiratione omnium inermes cum inermi comitatu inter bina caſtra prodeuntes, amicè humanitérque ſalute datâ invicem ac redditâ collocuti, in mutuum complexum occurrentes, circumſtantibus lacrymas excuſsêre, admirantibus credò ac pariter lætantibus, quòd ij, quos odijs ac æmulatione, concitatâ propè ſtudio partium ad

armá

arma totâ Italiâ, longo tempore certantes viderant, nunc demùm concordibus animis compoſitâ pace in mutuos amplexus, quod eſt benevolentiæ ſignum, deveniſſent. Excuſavit uterque, ſe, quæ adhuc fecerat, non malevolentiæ aut ſimultatis causâ, ſed pro honore & gloriâ feciſſe. Digredientibus inde Ducibus, ac paſſim circa fines utriuſque ditionis dimiſſis militibus, quòd nondum certa pax erat, petentibus maximè Venetis omnia ſibi reddi ante compoſitam pacem, quæ Philippus de Bergomatibus, & Brixianis, quæque Mantuanus Princeps de Veronenſibus tenerent. Verùm Franciſcus Venetias celeriter contendens, quò & Nerius Capponius Florentinus Orator, Venetos ad pacem adhortaturus, pervenerat, multis hinc inde in medium ſententijs dictis, liberâ tandem poteſtate componendæ pacis à Senatu impetratâ, Caprianam, quò ſciebat totius Italiæ Legatos propediem venturos, proficiſcitur. Multa in eo conventu dicta, multa agitata ſunt; nec adhuc certa pax habebatur, niſi Philippus Legatos properè miſiſſet, qui Franciſco dicerent, & filiam Blancam, quam ei in matrimonium collocaverat, & Pontremolum & Cremonam in dotem cum agro Cremonenſi, præter Picigitonum & ea Caſtella, quæ Mantuanus de Cremonenſibus poſſidet, quæ Torellus ac Palavicinus, in ejus poteſtate fore. Qui properè Cremonam cum omni exercitu profectus, non aliter inſtructis aciebus, ac ſi ei cum

hoſte eſſet decertandum, longè ab Vrbe tria millia paſſuum ad Templum Divi Sigiſmundi Blancæ uxori, Eraſmo cum aliquot turmis equitum Philippi nomine adſtante, annulum connubij pignus dedit. Quo facto, ſtatim Eraſmum conſecutus, qui per Vrbem Cremonam iter faciens, (inde Mediolanum abiturus) ejus poſſeſſionem dotis nomine Franciſco reliquit. Is munitâ Arce ac portis firmo præſidio, ingenti apparatu nuptias celebrat. Accitis deinde à Caprianâ Legatis, hanc de pace ſententiam expreſſit anno quadrageſimo ſecundo ſupra quadringenteſimum & milleſimum, ut, quæ Philippus, & qui cum Philippo ſentiebant, bello cepiſſent, quæque item Veneti eorúmque ſocij, præter Aſolam, Lonatum, Piſcheriam, quæ Mantuani Principis ante id bellum fuerant, redderentur, utque, qui ejus ſententiæ ſtare noluiſſet, communis omnium hoſtis haberetur. Iniqua certè ſententia, & quæ ab ingenio Philippi non multum abhorrebat, adeò ferè ſemper amicis adverſando, hoſtibus poſtremò favit. Conſulere enim inimicis & hoſtibus, ac ſocios & amicos peſſundare, ea demùm homini magna voluptas fuit, ut ex rebus ab ipſo geſtis apparet. Ægrè id admodùm Eugenius Pontifex tulit, quòd Franciſcus cæteris Socijs, ſe poſt habito, de amiſſis reſtituendis caviſſet, exiſtimationémque ſuam, non redditâ Bononiâ, contempſiſſet. Hanc ob rem Picenninum belli Ducem in Picentes, quos Franciſ-

cus bello ſubegerat, accivit. Qui Bononiâ abiens, quæ ejus imperio obtemperabat, dum Peruſiam contendit, Tiphernates Florentini Populi ſocios & amicos ad defectionem compulit, Eugenio rem pergratam facturus, Florentinis infenſo, quòd Franciſcum pecuniâ ad retinendum Picenum juvarent & milite. Alphonſus item Rex, qui ſuperiore anno Neapolim jam diu obſeſſam per cloacam ingreſſus, pulſo inde Renato ceperat, Picennini virtute ac famâ permotus, hominem non ſolùm Ducem, quem exercitui ſuo præficeret, delegit, verùm etiam honoris gratiâ eum in adoptionem familiæ Aragonenſis recepit. Is, acceptis ab Eugenio atque Alphonſo in ſumptus belli pecunijs, Picentes ingreſſus, multa Oppida, fruſtrà renitente Franciſco Sfortiâ, in deditionem Eccleſiæ redegit. Dum hæc in Picentibus geruntur, Mantuanus Princeps anno quadrageſimo quarto ſupra quadringenteſimum & milleſimum, ſeptimo Kalendas Octobris, dolore ſtomachi moritur. Valetudinis causâ cùm balnea peteret, ingraveſcente in itinere morbo, in patriam rediens, non ita diù vixit. Ejus funus, modicâ impensâ ductum, omni pompâ ob ejus modeſtiam præclarius eſt habitum, totâ Civitate in mærorem ac luctum versâ. Moritur quidem Vir magnitudine animi, clementiâ, gratiâ, liberalitate, magnificentiâ, humanitate, cum quovis optimo Principe conferendus. Quatuor reliquit filios, à Victorino Fel-

trenſi, Viro optimo atque doctiſſimo, & qui Socraticum ingenium redolebat, moribus ac diſciplinâ tùm Græcâ tùm Latinâ imbutos. Diviſâ quadrifariàm ditione, majori natu Ludovico, quem in gratiam biennio ante mortem ſuam receperat, Mantuam, Marchariam, Godium, & quicquid ad Veronenſes & Ferrarienſes vergit; Carolo, Regiolum, Gonzagam, Suzariam, Luzariam, & quicquid ex Cremonenſibus poſſidebat; Joanni Lucido, acerrimi ingenij ac præſtantis animi Viro, etſi corpore ob giboſitatem minùs valebat, Caprianam, Voltam, Rodengum, Cereſariam; Alexandro, ſancto, religioſo, juſtiſſimo, magnifico, liberali, Canetum & quicquid ex Brixianis tenebat, ex teſtamento reliquit: tres minores natu adhortatus, ut Ludovico obtemperarent; Qui & Patris teſtamento & Populi conſenſu ditionem adeptus, ad eam firmandam animum adjecit. Tentatâ itaque cum Philippo ſocietate, cùm ea minùs ſuccederet, Florentinorum militiam ſecutus eſt, dimidio ſtipendij à Venetis accepto. Quieſcentibus in Ciſalpinâ rebus, Hannibal Bentivolus in Arce Pelegrini Oppidi, jubente Picennino, ob ſuſpicionem conjurationis aliquamdiu aſſervatus, deceptis cuſtodibus, Bononiam rediens, convocato ad libertatem populo, Franciſcum Picenninum Vrbis Præfectum cum præſidio comprehendit. Quo facto, exules omnes, tùm ſuæ tùm diverſæ factionis, maximè verò Baptiſtam Cannedo

nedolum in patriam revocat. Miſſi deinde ſunt à Bononienſibus ad Venetos & Florentinos Legati, ſocietatem & amicitiam petentes; quâ quidem impetratâ domum redeuntes, Arcem, quæ adhuc in poteſtate hoſtium erat, cum Sociorum copijs ad id miſſis capiunt, ac captam ſtatim diripiunt. Poſt verò in Alouiſium Vermem converſi, qui tùm cum tribus millibus equitum, peditum duobus in agro Bononienſi erat, hominem primo ſtatim impetu fudêre. At Philippus ægrè ferens Bononienſes cum Venetis ac Florentinis ſentire, amicos quoſdam Baptiſtæ ſubornat, auxilium eis pollicitus, ut Hannibalem interficiant, quo Principes ipſi cum ſuâ factione in Civitate remaneant. Hannibal autem, à ſuis plerumque ad præcavendum monitus rogatúſque, ut hominum fraudem vi repelleret, reſpondit, id ſe nunquam facturum, cùm pro comperto nil habeat, malléque ab eiſdem, vel à quovis alio, injuriam pati, quàm fidem datam fallere. Tùm Betocius Cannedolus, fraudi ac proditioni intentus, Bononienſem quendam ſubornat, cui tùm caſu filius natus erat, ut Hannibalem compatrem ſibi deligat. Quo exorato, dat operam, ut ſequenti die infans ad ſacerdotem deferatur. Conferunt & ſe eòdem, qui ad eam rem jam anteà delecti fuerant. Baptizato puero, Hannibalem pater ad Ædem Sancti Joannis Baptiſtæ, cujus tùm fortè ſolenne erat, invitat. Obtemperat & eâ in re proditori Hannibal, nullam fraudem

 ſubeſſe

ſubeſſe ratus; qui dum in viâ eſſet, à conjuratis circumventus, reſiſtentibus aliquamdiu ſocijs, tandem cum duobus famulis charitate Domini vim propulſantibus interficitur. At Bononienſis Populus, indignitate rei motus, ſumptis properè armis, Cannedolæ factionis Principes obtruncat; maximè verò Baptiſtam, cujus cadaver & per Vrbem tractum, & cum magnâ ignominiâ combuſtum eſt. Veneti autem & Florentini ad Civitatem vicinam & utrique Reipublicæ in rebus bellicis peropportunam cohortes aliquot celeriter mittunt, ne à Philippo in tanto tumultu invaderetur; à quo certè haud ita multo pòſt bellum graviſſimum imminebat, rogantibus exulibus, ni mors Nicolaum Picenninũ præripuiſſet. Sequenti tamen anno, ægrè ferens, Bononienſes Venetorum ac Florentinorum partes ſequi, Eugenium ad repetendam bello Bononiam adhortatur, milites ac impenſæ partem pollicitus. Quâ re permotus Pontifex, inito cum eo atque Alphonſo fœdere, Sigiſmundum Malateſtam cum magno equitatu in Picentes contra Franciſcum mittit, quò facilius diſtractis Florentinorum copijs, Bononia premi ad deditionem à Philippo poſſet. Is enim haud ita multo pòſt Guilielmum Monferratum & Carolum Gonziacum cum magnis copijs miſit; qui agrum Bononienſem hoſtiliter ingreſſi, captis quibuſdam Oppidis, incurſionibus omnia longè ac latè vaſtabant. Moti Sociorum periculo Florentini, Aſtorgium

Faven-

Faventinum cum equitibus mille ac quingentis ducentiſq; peditibus confeſtim auxilio mittunt; qui Bononienſibus auxilio ſit, donec aliud à Venetis & Florentinis decerneretur. Dum hæc in Flaminiâ agerentur, præter omnium opinionem Philippus Franciſcum Picenninum cum magno exercitu Kalendis Maij in Cremonenſes mittit; qui captis paſſim ruſticis, utpotè nil tale metuentibus, tantum terroris Cremonenſibus primo impetu injecit, cum bombardis die ac noctu eos vexaret, ut parùm à capiendâ Vrbe abfuerit. Moti tùm Veneti ac Florentini Franciſci ac communi periculo, Cremonam ac Bononiam eodem tempore tueri inſtituunt. Tentare rem primò pro Bononienſibus ſatius viſum eſt, quòd eos minùs idoneos ad ſuſtinendum bellum propter factionem & exules in patriam ire conantes exiſtimârunt. Misêre itaque ſtatim Tibertum Brandolinum, Ducem impigerrimum, eò cum aliquot turmis equitum ac cohortibus peditum; qui cum Populo Bononienſi cúmque his, quos Florentini auxilio miſerant, in hoſtes tendens, ſimultate & odio inter ſe certantes, (ad Sanctum Joannem hi conſederant) pertracto in partes Bononienſium pollicitationibus & præmijs Guilielmo, ac Carolo haud magno negotio fuſo ac fugato, Oppida omnia ab hoſtibus capta ſtatim recepit. Pacatâ Bononiâ, auxiliares copiæ Venetorum ac Florentinorum mandato bifariàm diviſæ, pars Franciſco, qui ad mœnia

Vrbini

Vrbini ab Eugenio & Alphonſo vi retruſus erat, pars Cremonenſibus graviter à Franciſco Picennino preſſis auxilio miſſa. Veneti, decernere aperto marte cum Philippo inſtituentes, Legatos, qui bellum ei indicant, ni oppugnare Cremonenſes deſtiterit, mittunt. Oratoribus per internuncios reſponſum, (neque enim alloqui hominem fas erat) eos alibi quàm Mediolani tutiores fore. Quo reſponſo commoti Veneti, Micheletto copiarum ſuarum Duci imperant, qui tùm Brixiæ erat, ut in agrum Cremonenſem, quem magnâ ex parte Philippus occupaverat, confeſtim moveat, & cum hoſte ubicunque eum nactus fuerit, decernat. Is mandata diligenter facturus, trajecto Olio, ad Caſale majus celeriter contendit, hoſtémque in Inſulâ Padi munitiſſimo loco conſidentem, vado trajiciens, caſtris exuit, ac magnam vim equitum cepit, cùm inde niſi ponte, & quidem perangusto, in Parmenſes evadere non liceret. Recuperatis deinde Oppidis omnibus, liberatâque obſidione Cremonâ, aucto etiam Ludovici Gonziaci adventu exercitu, Platinam & Caſtella quædam agri Cremonenſis in deditionem Venetornm redegerat, in Glaream Abduæ moventes, nil præter Cremam citra Abduam Philippo reliquêre. Flumen deinde trajicientes, ac Mediolanum uſque parato ad dimicandum exercitu contendentes, cujus primas acies Ludovicus ductabat, cùm elicere ad certamen Philippi copias non poſſent, incen-

incendijs & rapiinis omnia paſſim replevêre, direpto Briantiæ monte. Brevio deinde capto, quâ ponte Abdua jungitur, Lecum Larij caput oppugnare adorti, acriter, qui in præſidio erant, defendentibus, cùm integri feſſis ac ſaucijs navibus ſubmitti poſſent, multis in eâ oppugnatione militibus deſideratis, equiſque ad extremam maciem ob inopiam pabuli perductis, re infectâ tandem abiêre, de Franciſco Sfortiâ ſoliciti, quem in partes Philippi deſcendere intellexerant. Interim verò Ludovicus Patavinus, Pontificis Legatus, qui his præerat copijs, quæ in Picentibus contra Franciſcum militabant, cognitâ Italiani ac Jacobi Gaviani, qui partim Philippi, partim Eugenij ſtipendijs militabant, ad Franciſcum tranſitione, eos, antequam id fieret, ad Roccam Contrariam comprehendi jubet, & captos ſupplicio capitali affici. Uterque enim mille & quingentis militibus præerat. Hâc re permotus Franciſcus, cùm ampliùs ſuſtinere hoſtes non poſſet, quippè à multis ſimul oppugnatus, & à nemine adjutus, adhortante hominem ad eam rem Eugenio & Alphonſo, qui ditionem Venetam augeri indignabantur, Philippi militiam ſecutus, ejus copijs præficitur. Ante verò Picenum receptum Eugenius contra Florentinos, qui hoſtem ſuum juverant, majora mente concipiens, Alphonſum & Philippum contra eoſdem exciverat; exiſtimans, ſi ſuis, ſi Regis, ſi Philippi copijs eos adoriretur, eam Vrbem, in quas

vellet partes facilè adductum iri. Verùm interventu mortis diſturbata ſunt omnia. Moritur enim Eugenius ſeptimo Kalendas Martij anno quadrageſimo ſexto ſupra quadringenteſimum & milleſimum; in cujus locum Cardinalium omnium conſenſu Thomas Sarzanus, qui Nicolaus quintus eſt appellatus, Pontifex creatur. Modicis hic quidem parentibus natus; ſed virtute, doctrinâ, magnificentiâ & liberalitate tanto Pontificatu dignus. Tibure ſubſtiterat Rex, quò ex propinquo Vrbi loco faciliùs communicare cum Eugenio rationes belli gerendi poſſet. Verùm, eo mortuo, dubius animi, retróne cederet an Florentinos bello perſequeretur, duo Senenſes, qui civilibus diſcordijs alebantur, hominem ad Hetruriæ Imperium adjicere animum perpulêre; quod perfacilè eſſet conſecutus, ſi Senas profectus, eam Civitatem ſponte ſeſe dedituram in poteſtatem ſuam redegiſſet. Collaudavit Senenſes Rex, eíſque ad ſolicitandos animos Civitatis dimiſſis affuturum ſe in tempore pollicetur. At Nicolaus Pontifex, pacis & quietis amator, Cardinalem Morinenſem Ferrariam mittit, componendæ pacis commune domicilium, quò Legati interventu & autoritate ad pacem magis impellerentur partium animi. Miſſi eò properè Alphonſi, Philippi, Venetorum, Florentinorum Legati; qui poſt longam diſceptationem hanc Philippo optionem dêre: ut vel inducias in quinquennium à Venetis Florentiniſque

niſque acciperet, utrâque Parte poſſidente, quæ tenebat, vel pacem, permutatâ Cremâ cum his Oppidis, quæ ultrà Abduam vel in ripâ Abduæ bello Veneti cepiſſent, Caſſiano tantùm in poteſtate Pontificis relicto, quod illi ex fœdere debebatur, cui primò illatæ eſſent injuriæ. Hoc additum, quò pax diuturnior haberetur. Miſſus ex Legatis Philippi unus, qui & optionem faceret, hominem pridie ejus diei, quo Mediolanum pervenerat, apoplexiâ mortuum intelligit ſexto Idus Auguſti anno quadrageſimo ſeptimo poſt quadringenteſimum & milleſimum. Tùm Morinenſis, cognitâ Philippi morte, Legatos omnes ad ſe properè vocat, & nihilo ſegniùs quàm anteà de pace agit. Interrogati Veneti, iréntne in eam ſententiam, quam priùs approbaverant, reſpondent: Philippi morte ejus rei nil ſibi integrum relinqui; ad Senatum ſe de eâ re priùs velle perſcribere; tùm demùm facturos, quod à Civitate mandaretur. Hâc morâ interpoſitâ, qui aderant Legati, cognitâ Venetorum cupiditate, quòd totius Italiæ dominatum appeterent, ſoluto conventu, domos quique ſuas revertuntur. Veneti, qui tùm ad Soreſinam in agro Cremonenſi ſtativa habebant, quòd Cremonam tumultuantem adjuvantibus Guelphis recipi poſſe in deditionem ſperabant, cognitâ Philippi morte, Laudam properè contendunt. Quâ receptâ, dedentibus ultrò civibus, ad Caſale moventes, Oppidum oppugnaturi. Placentinos eâ-

dem, quâ Laudenſes, deditione in fidem ſuſcipiunt, miſſis eò properè mille & quingentis equitibus, qui Vrbi præſidio eſſent, ſi qua vis ingrueret. Capto Caſale, Columbanum inde petunt; quo haud ita multo pòſt in deditionem recepto, dum, quorſum tenderent conſultaretur, à Papienſibus Legati ſupervênere, Venetorum amicitiam & ſocietatem petentes; quibus ſtatim reſponſum eſt: Nolle Venetos Vrbes in Inſubriâ ſocias, ſed vectigales & ſtipendiarias; irent, & Civitatem bono animo Venetis, paulo pòſt omnia occupaturis, dederent. At Franciſcus Sfortia, qui tùm ex Piceno pulſus, in Bononienſi agro conſederat, refecturus exercitum diutino bello armis, equis, viris exhauſtum, occupari omnia à Venetis Soceri morte intelligens, magnis itineribus Cremonam contendens, à Mediolanenſibus ſtatim ſummo omnium conſenſu exercitus ac copiarum Dux contra Venetos deligitur. Qui, Pado amne ponte conjuncto, caſtelliſque ac machinis, quo minus Veneti Placentiam claſſe contenderent, firmato, redactis in unum, quas tùm potuit, Mediolanenſium copijs, Abduam trajiciens, non longè ab hoſtibus, ad Caravagium conſidentibus, caſtra ponit. Ibi parva quædam certamina ad tentandam credo hoſtium virtutem ſunt commiſſa. Tùm verò Papienſes, ſumptis ob adventum Franciſci paululùm animis, cùm ab Imperio Mediolanenſium propter vetus inter eos odium abhorrerent,

rent, cúmque item extrema quæq; pati mallent, quàm Venetis, qui eorum ſocietatem eſſent aſpernati, obtemperare, Vrbem Franciſcò, Præfecto Arcis non abnuente, dedunt; quo additamento Sfortia Inſubriæ Dominatum ſtatim mente concepit. Agebantur hæc in Ciſalpinâ, cùm Alphonſus eodem tempore cum exercitu in Senenſium maritima deſcendens, quibus amicus eſſe videbatur, eorum libertatem ſubvertiſſet, ni Florentinus Populus, cognitâ Regis calliditate, Legatum Senas miſiſſet, qui Civitatem admoneret, Alphonſum regnandi cupidum Senenſes bello non minùs, quàm Florentinos petere. Cognito periculo, etſi commeatus ei non negabant, non tamen quempiam ex Regijs militibus ingredi ſua mœnia ſunt paſſi. Rex itaque cognitâ Senenſium diligentiâ, cum equitum ſeptem, peditum quatuor millibus in Volaterranũ agrum deſcendens, multa Caſtella partim deditione partim vi cepit. Inde in Piſanos flectens, ac Guardaſtallo capto, Campiliam profectus, firmo præſidio munitam, oppugnare adoritur. A quo Simonettus, qui tùm ejus ſtipendia faciebat, cum parte equitatûs digrediens, ac Caſtilionum Piſcariæ contendens, Oppidum in Alphonſi poteſtatem brevi redegit. Eò deinde cum reliquo exercitu profectus Rex, captâ Arce, cùm nil aliud propter aſperitatem hiemis fieri poſſet, in maritima Senenſium hibernatum miſit. At Florentini, comparato exercitu, omnia Caſtella ab hoſtibus

capta præter Caſtilionum brevi recepêre, direptis quibusdam, quòd fidem hoſtium ſpontè ſecuta eſſent. Reliquâ hieme conducendo militi intenti, Sigiſmundum Malateſtam, Alphonſi ſtipendio conductum, ab eo ad ſe deficere pecunijs compulêre. Franciſcus interim, comparato ingenti exercitu, in quo robur Italicorum militum inerat, quippe Bracchianis ac Sfortianis ſimul junctis, ac Carolo Gonziaco cum duobus millibus equitum ſtipendia Mediolanenſium faciente, ad Placentiam, firmo Venetorum præſidio munitam, caſtra medio autumno poſuit, partémque mœnium bombardis ac machinis demolitus, creſcente Pado, adeò ut Galeones, quos ipſe Papia ex veteribus Philippi navalibus eò deduci juſſerat, ad mœnia appellerentur, navali ac terreſtri oppugnatione Vrbem aggreſſus, eam tandem poſt longam & aſperam nec incruentam pugnam vi cepit, ac captam diripuit. In oppugnatione tantæ Vrbis, in quam maximè utriuſque partis conatus effundebantur, maximum diſcrimen Dux ipſe adijt. Nam, dum Vrbem obequitans milites ad prælium adhortatur, dum ſcalis ſcandi muros juvat, eâ maximè, quâ mœnia defenſoribus nudata viderentur, equo bombardâ mortuo, humi jacens, attonitus aliquamdiu jacuit. Tandem verò ſuorum manibus ſublevatus in alium equum, ita pugnantes ſuâ præſentiâ ad irrumpendum concitavit, ut ſuſtineri ampliùs ab hoſte jam feſſo nequiverint. Ad mille & quingentos

gentos

gentos equites ex Venetis cum Thaddæo Marcheſio eo die captos reperio, præter pedites, & qui ſpontè Venetorum militiam ſequebantur. Magna hæc Franciſci laus eſt habita, quòd hieme, tantâ imbrium inundatione, ut ægrè in tabernaculis retentus ſit miles, tantam Vrbem vi ceperit. Eâdem hieme de pace inter Venetos & Mediolanenſes mentio eſt orta, inſtantibus apud Venetos ſocios Florentinis, quòd Regis potentiam, qui tùm in Hetruriâ erat, vererentur. Verùm de eâ nil actum, quòd Laudam Veneti, Mediolanenſibus id maximè petentibus, reddere graverentur. Sequenti æſtate Franciſcus, ubi primùm pabuli copia eſſe cœpit, expugnatis quibuſdam Venetorum Caſtellis, in eorum claſſem, quâ Cremona infeſtabatur, pedeſtribus ac navalibus copijs verſus, eam cedere retrò ad Caſale majus coegit; quò & hoſtem inſecutus, cùm ejus claſſem in navalia ſubductam bombardis diſjiceret, ad tantam deſperationem Præfectum Venetum redegit, ut, incensâ claſſe, quam tueri non poterat, effuſo curſu in Oppidum ſe receperit. Hæc ad Caſale feliciter geſta ſunt propè ſub oculis Venetorum, qui tùm ab eo loco non plus quàm paſſuum quatuor millibus cum ingenti exercitu Micheletto Duce conſederant. Qui, dum ſequenti die tentare fortunam inſtituiſſet, denſo imbre prohibitus, in caſtris ſe continuit. Inde Franciſcus abiens, non ampliùs de Cremonâ ſolicitus, ſublatâ hoſtium claſſe,

in Glaream Abduæ movens, ad Caravagium, firmo hoſtium præſidio munitum, caſtra locat, Oppidum vel vi vel longâ obſidione in poteſtatem Mediolanenſium redacturus. Movent & eò Veneti de exiſtimatione ſuâ actum putantes, ſi Oppidum à Mediolanenſibus occuparetur. Qui poſitis è regione hoſtium circiter mille paſſus caſtris, ſuis temporibus ſe affuturos, ſi oppugnatione vexarentur, oſtendunt. Crebra quotidie, utpote tàm propinquis caſtris, committebantur prælia; quibus frequenter Mediolanenſes, perraro Veneti ſuperiores erant. Provocante quodam ex Mediolanenſibus, ut militum mos eſt, cùm è ſtationibus inceſſere alter alterum conſuevit, Joannes Franciſcus Balneus, unus ex Ludovici Gonziaci Equitibus, domi nobilis ac manu promptus, in provocantem infeſto tendit ſpiculo. Citat & ille equum calcaribus, ut venienti fiat obviàm. Tùm verò Joannes Franciſcus, diffractâ nequidquam haſtâ, ab hoſte dexterum humerum tranſfigitur; quo vulnere adeò debilitati ſunt nervi & contuſi, ut mancus ac debilis remanſerit, toto fermè exercitu caſum Juvenis fortiſſimi ac pulcherrimi ingemiſcente. Ecce, dum per orbem pugnandi ſors Ludovico Gonziaco evenit, cum quibuſdam turmis ſuorum in campum procedens, pulchritudine laudis excitus, in medios repentè infeſtâ lanceâ provolat hoſtes, equo, armis, ephippijs, deauratâ galeâ, cono & criſtâ inſignis. Venientem hoſtes

facto

facto globo circumveniunt; circumventum, & quidem ſolum, tot ſimul omnes gladijs, ferreâ clavâ, circa tempora atque humeros exſtantes diverberant, ut paulùm abfuerit, quin tot ſimul ictibus conſternatus caperetur. Accurrunt ex ſuis properè aliquot, receptum ex hoſte dimicando ægrè in caſtra reducunt, ubi tamdiu quievit, quoad tumor oculorum ac totius capitis cura Medicorum reſideret. Tandem verò Oppidanis; & qui in præſidio erant, longâ obſidione feſſis, ſuos admonentibus ſe diutius vim Mediolanenſium ferre non poſſe, Veneti partim irâ, partim pudore moti, collatis ſignis iniquo etiam loco, cum hoſte decernere inſtituunt, adverſante Ludovico & id nequaquam agendum reclamante. In eandem ſententiam veniebat & Michelettus Dux veteranus. Verùm, prævalentibus in ſententiâ junioribus, & qui plus manu quàm conſilio valebant, quique primas ineundi prælij partes ob ferociam animi ſibi depoſcebant, inſtructis aciebus ad hoſtes nil tale metuentes eſt ventum. Quos quidem facilè erat fundere, ſi Tibertus Brandolinus peditem, qui clauſtra hoſtium refringeret, ſecum, ut inſtitutum fuerat, duxiſſet. Tamdiu enim, dum portas refringunt, in ipſo caſtrorum aditu ſunt immorati, quoad Franciſcus, phalange Bracchianorum, qui tùm fortè in armis erant, hoſtibus oppoſitâ, reliquas acies inſtruxit; quibus ex ordine ſubſequentibus atque acriter inſtantibus, non ſolùm à caſtris

hoſtem ſubmovit, verùm etiam in fugam convertit. Erat inter utrumq; exercitum via paludibus undique arctata; ad qnam primæ Venetorum acies retruſæ, neque cedere, ut in pugnâ facere plerumque neceſſe eſt, propter ſubſequentes, neque pugnare in tàm anguſto loco propter inſtantes hoſtes poterant, Quæ profectò in ipsâ viâ oppreſſæ penitùs & obtritæ cecidiſſent, niſi à noviſſimimo agmine fugiendi initium eſſet ortum. Tùm Mediolanenſes cedentem hoſtem inſecuti, caſtris opulentiſſimis exuunt, & equitum ac peditum circiter quinq; millia comprehendunt. Pauci, quòd pugnare non licuerit, in eo prælio, plures in paludibus involuti, deſiderati ſunt. Magna fuit omnium eo prælio jactura, ſed Ludovici major, qui præter equos & arma, egregiam ex auro & argento ſupellectilem amiſit. Poſteà verò Franciſcus, Bracchianis, eo invito, ad expugnandam Laudam ex mandato Mediolanenſium proficiſcentibus, cum reliquo exercitu Brixiam contendens, cujus Oppida fermè omnia, famâ tantæ victoriæ dedentia ſe, receperat, Vrbem obſidione cinxit. Variè tùm Venetorum tùm Mediolanenſium eâ victoriâ verſabantur animi. Veneti, ne, captâ Brixiâ, quam amiſſo exercitu tueri nullo modo poſſe videbant, reliquas quoque Civitates ad defectionem ſpectantes amitterent, verebantur. Mediolanenſibus ſuſpicio injecta erat, validiores opes Franciſci in eorum perniciem verti poſſe. Franciſcum

ciſcum vexabat dominandi cupiditas & Mediolanenſis Ducatûs jus hæreditarium; quòd, ut ipſe ajebat, Philippi gener, qui ſine virili ſtirpe interierat, & hæres meritò haberetur. Exortâ itaque inter Franciſcum & Mediolanenſes ſimultate, Venetis agendi cum Franciſco de pace occaſio data eſt, quæ his legibus compoſita eſt, ut, ſumptis in Mediolanenſes armis, quicquid ultra Abduam Padúmque, Franciſci, quicquid verò citra Abduam caperetur, Venetorum eſſet; collatis eidem à Florentinis ac Venetis ſingulis menſibus ſedecim millibus nummûm auri, immiſſiſque aliquot turmis auxilio, donec Mediolano potiretur. Inito hâc ratione fœdere, allectiſque ad ſe, quos potuit, pollicitationibus copiarum Ducibus, in Mediolanenſes converſus, omnes fermè eorum Civitates in deditionem recepit, corruptis pecuniâ & largitionibus portarum atq; Arcium cuſtodibus. Defendebant acriter libertatem Mediolanenſium Bracchiani, defendebat Carolus Gonziacus; qui junctis copijs magnas perſæpè clades Sfortianis, Mediolanum etiam mediâ hieme obſidentibus, intulêre. Sed illa vel præcipua laus Caroli fuit, quòd, erumpente ſecum populo, exercitum Franciſci, quo Modoetia oppugnabatur, fuderit, primoribus ordinum partim cæſis, partim captis. Miſſus deinde ad defendendam contra Venetos Cremam & Laudam, corruptus à Franciſco pollicitationibus & Dertonæ Dominatu, nomen illud fortitudinis,

fidei,conſtantiæ, quo ad cælum uſque laudibus ferebatur, tranſitione & deditione Cremæ Laudæque penitùs exſtinxit. Dij ei meliorem dediſſent mentem. Ad ſummam certè gloriam nil homini deerat, ſi magnitudinem rerum geſtarum, ſi nobilitatem, ſi proceritatem corporis, quâ conſpicuus habebatur, inſpicis; ſed ita fit, in magnis præſertim Viris, fortunâ, quæ plurimùm in rebus humanis dominatur, impellente, cùm plus apud eam cupiditas poteſt & ambitio, quàm ratio. Acceptâ Laudâ, Franciſcus Cremam Venetis ex fœdere dedit; qui longè aliter evenire Franciſco, quàm arbitrati fuerant, cernentes, timentéſque, quòd Mediolanum penuriâ rerum omnium propediem deditionem facturum ſciebant, ne, ſi tantæ Vrbis taliſque Provinciæ potiretur homo dominandi cupidus, non eum modum, quem ipſi cupiebant, ingenti cupiditati ſtatueret, mutato conſilio, ſed ſerò, equitibus, quos miſerant auxilio, ab eo amotis, negatâ pecuniâ, ſocietatem cum PopuloMediolanenſium ineunt; hâc tamen lege, ne omninò non conſultum Franciſco diceretur, útq; Potentatus ille Mediolanenſis bifariàm diviſus, ab eis faciliùs aliquando occuparetur, Mediolanenſibus Laudam & Modoetiam, Franciſco Parmam, Placentiam, Novariam, Dertonam, Alexandriam adjudicabant. Franciſcus verò callidè eiſdem artibus, quibus Veneti uſi fuerant, agendum ratus, ad Senatum ſcribit, ſe in ejus poteſtate

ſemper

ſemper futurum, miſſurúmque propediè m Alexandrum fratrem, quo cum inita fœdera ex eorum ſententiâ confirmari poterunt. Clàm deinde & properè unum ex ſuis, cui maximè fidebat, ad Florentinos mittit, ſciſcitatum, futurúſne ei auxilio eſſet populus Florentinus in bello; quod non magis ſuâ ipſius quàm Populi Florentini causâ gerebatur. Cui ita reſponſum publicè invenio: Satis Franciſco videri debere, quòd à Florentinis uſque ad ea tempora ſit actum, dum & ſecum & cum Venetis ſentiret. Nunc verò quando cum Mediolanenſibus ac Venetis de eâ pace ei conveniret, quæ ad totius Italiæ ſalutem & quietem ſpectaret, nolle Franciſco vel cuiquam bellum gerenti ad diſturbanda omnia fomenta præſtare. Hæc publicè; privatim verò pecuniâ, opibus, conſilijs Coſmi & quorundam, quibus Venetorum potentia ſuſpecta habebatur, eſt adjutus. Hunc enim, quem Venetis objicerent, (ſi quando opus eſſet) habere cupiebant. At Veneti, cùm Alexander Sfortia, miſſus à fratre, diem conſulto de die duceret, hominem tandem adhibitis etiam minis eò perpulêre, ut ipſe pacem cum Mediolanenſibus initam confirmaret. Quâ ſpretâ, Franciſcus Vrbem Mediolanum acrius obſidere cæpit, diligenter obſervans, ne quâ commeatus importarentur. Agebantur hæc in Inſubriâ, cùm Alphonſus, tentato nequidquam Hetruriæ Dominatu, vetante Federico Vrbinate Florentinorum Duce, Plumbinum,

num, quod per aliquot menſes oppugnaverat, multis ultrò citróque illatis & acceptis cladibus, obſidione ſolutâ, in Regnum ſe recepit, miſſurus in Ciſalpinam exercitum, quò Mediolanum, quod ei (ut ipſe aſſerebat) jure hæreditario debebatur, armis repeteret, adjuvante Mantuano Principe, qui tùm ejus ſtipendijs & imperio militabat. Quod profectò haud difficile factu Regi fuiſſet, Mediolanenſibus id maximè expetentibus, ſi Carolus tamdiu Laudam, (ut pollicitus erat) & Cremam in poteſtate Mediolanenſium retinuiſſet, quoad Ludovicus, qui illam Caroli fratris tranſitionem ægrè admodùm tulit, Regijs copijs auctus, quas jam Flaminiam attigiſſe conſtabat, movere in Franciſcum, Mediolanum acriter obſidentem, potuiſſet. Mediâ enim hieme mandato Regis cum duobus millibus ac quingentis equitibus, cúmque peditibus quingentis in Bononienſes hoſtili animo profectus, quò regijs militibus viam ad tranſeundum in Inſubriam faceret, dum ad Budrium conſediſſet, (id ei loco nomen eſt) à Populo Bononienſi Aſtorgio Faventino Duce nocte intempeſtâ cum magno clamore & impetu invaditur; qui ſtructis aciebus, quòd per exploratores adventare hoſtes præſenſerat, non ſolùm eorum impetum ſuſtinuit diu acriter dimicando, multis utrinque cadentibus, verùm etiam eoſdem in fugam compulit. Hi beneficio noctis, cùm, quò iretur, non ſatis milites cernerent, è manibus Ludovici evaſêre.

Aſtorgius eâ pugnâ equo deturbatus, cùm obſcurâ nocte non dignoſceretur, ſublevatus in equum à quibuſdam è ſuis, effuſo curſu Bononiam petijt. Compoſitâ deinde cum Bononienſibus pace his legibus, ut regijs militibus frumentum & hiberna eâ hieme præberentur, in patriam redijt. Tùm verò Mediolanenſes multis tranſitionibus Ducum ac militum deſtituti, multis cladibus domiti, fame pœnè enecti, cùm ob inopiam rerum omnium cibis his uterentur, à quibus humana conſuetudo abhorret, adjuvantibus & quidem negligenter Venetis Sigiſmundo Malateſtâ copiarum Duce, interfecto populari tumultu eorum Legato; quòd minimè ſani conſilij autor haberetur, Vrbem amiſsâ tandem libertate, quam triennio poſt Philippi mortem, inteſtino externóque bello agitati, acriter defenderant, Franciſco dedunt anno quadrageſimo nono ſupra quadringenteſimum & milleſimum. Qui eveſtigiò repetitis bello, ſi quæ reſtabant, aut Caſtellis aut Oppidis, Ducis nomen aſſumpſit. Eâ re permoti Veneti, arbitratiq; nequaquam tutum fore Ducem armis aſſuetum, laudis & gloriæ cupidum, eorum Potentatui fines adjeciſſe, hominem, antequam coaleſceret, Ducatu pellere inſtituunt. Initâ igitur cum Alphonſo ſocietate, qui Franciſcum inimico & hoſtili animo perſequebatur, Florentinis reliquiſque Socijs; ſi in eâ ſcribi vellent, facultatem relinquunt. Ii, cognitâ Venetorũ cupiditate, nullo novo fœdere opus fore oſten-

oſtendunt . cùm pax ubique firma haberetur. Turbati hoc reſponſo Veneti, quòd Florentinorum aſtu certam prædam ſibi è manibus ereptam cernebant, pellere omnes Florentinos, qui mercaturæ vacabant, è Civitatibus ſuis decreto inſtituunt, Alphonſum Regem, ut idem faceret, adhortantes. Quod quidem decretum omnibus inhumanum longè viſum eſt, Venetis præſertim meritorum Populi Florentini erga ſe oblitis, quòd eorum ope Brixiâ ac Bergamo potiti eſſent, quódque item eaſdem Civitates obſeſſas, & deditionem propediem facturas, Florentinorum opibus & copijs retinuiſſent. Gravabantur & Florentini, Venetos falsò queri, eorum ſcilicet auxilio occupatum à Franciſco Mediolanum eſſe, cùm ab illis id factum meritò dici poſſit, quòd Mediolanenſibus, adhortante Florentino Populo, pacem reddere noluerint; quòd libertatem eorum extorſerint; quòd fugato ſuo eorum exercitu ad Caravagium ſeſe, venditâ Mediolanenſium libertate, Franciſci armis redemerint, cùm nullum prius de eâ re verbum ad Socios ſcripſiſſent; quódque rurſum, pro arbitrio mutatâ ſententiâ, cum Mediolanenſibus ad extremam famem obſidione redactis, fœdus inierint, inſcijs item Florentinis neque ſtatim, ut decebat, militem ac commeatum extrema quæque ob libertatem patientibus, in tempore deditâ operâ, quo omninò in eorum Poteſtatem devenirent, ſubminiſtraverint, Jacobo Picennino & Sigiſ-

Sigiſmundo Malateſtâ ad id magnis copijs adjuvantibus; quare eos non de Florentinis, ſed de ſuâ immoderatâ dominandi cupiditate & ambitione queri debere. Interim verò, mutatis veteribus amicitijs, nova pacis bellique gerendi fœdera iniebantur, veteribus amicitijs novas addendo. Pellexerant in ſocietatem ſuam Veneti Sabaudiæ Ducem, Marchionem Montisferrati, Corregij Dominos, Bononienſes, Peruſinos, quos contra Florentinum Populum concitare fruſtrà conati ſunt; pacti cum Alphonſo, ut, dum ipſi Franciſcum adorirentur, Florentinos bello detineret. At Franciſcus Florentinorum amicitiâ ac potentiâ fretus, aſſumptóque in ſocietatem belli Mantuano Principe, quod maximum rebus ſuis additamentum eſt habitum, cùm & vicinus eſſet, & fidiſſimus in tanto rerum motu ſocius haberetur; ad bellum ſe conſtanti animo parat; omnia diligenter obſervans, quæ aut obfutura aut profutura viderentur; capto haud ita multo pòſt Carolo, eódemq; in carcerem conjecto, quòd hominem tranſiturum ad Venetos intelligebat. Hujus enim hæc erat opinio, in partes ejus nolle omninò deſcendere, quocũ frater militâſſet. Nam cùm ante bellum Mediolanenſe charitate & benevolentiâ omnes fratres ſuperâſſent, ad id poſtremò inimicitiarum devenerant delatorum linquis ac maledicentiâ, ut bello pluſquam civili inter ſe poſteà contenderint. Ludovicus itaque de ſalute fratris ſolicitus, vadem ſe Franciſco

pro octingentis millibus nummûm auri præſtans, Carolum è vinculis liberavit; cui quidem ad tempus in Papienſi agro conſcriptus eſt peramœnus habitandi locus, Laumelinam accolæ vocant; unde poſt aliquot dies, non fidei, non vadimonij memor aufugiens, facto per Alpinos Ligures itinere, in Mutinenſes & Ferrarienſes deſcendens, ad Venetos confugit; quorum animos ad id bellum, quod anteà mente conceperant, mirum in modum concitavit. Habituros enim ſe hominem exiſtimabant, quem & Franciſco & Ludovico fratri autoritate & gloriâ rerum geſtarum objicerent. Non negaverim ego Carolum magni momenti in eo bello futurum, ſi eos milites ſecum habuiſſet, quos, eo capto, Franciſcus ad alia ſigna ad alioſque Præfectos redegit, ne Ducem proprium ſecuti, graviori bello ab eiſdem premeretur. Noluêre etiam Veneti, ut arbitror, Viro per ſe magno potentiam, Reipublicæ Venetæ aliquando gravem futuram, addere. Huic igitur bellum fuit gerendum milite collectitio, alieno imperio, alienis auſpicijs aſſucto. Quare non mirum, ſi minora, quàm quæ opinione de ſe concitaverat, eo bello præſtitit. Ludovicus, vertente ſolum fratre, cùm ei ſolvendum Franciſco ob vadimonium eſſet, Caroli Oppida, quæ in Regienſi ac Cremonenſi agro poſſidebat, ne in alienam poteſtatem devenirent, dedentibus ultrò Oppidanis, in fidem recepit, tamdiù ea retenturus, quoad ei à Carolo octin-

octingenta millia nummûm auri redderentur, quos ipſe ut vades Franciſco perſolverat. Hinc auctæ ſunt inimicitiæ, Carolo ubique fratrem calumniante ut raptorem & alieni appetentem, nec id modò apud Venetos, quorum partes ſequebatur, ſed & apud Federicum Imperatorem prædicare auſus eſt, & ſuum jus repetere. Is ante bellum in Italiam veniens, Coronam Imperij à Nicolao Pontifice accepturus, dies aliquot Ferrariæ ſubſtitit, quò ſe contulerant videndi ac ſalutandi hominis causâ multi ex totâ Provinciâ Principes: maximè verò Ludovicus cum tribus Gnatis; quorum Federicus & Joannes Franciſcus Equeſtri Dignitate ſunt nobilitati; tertius Franciſcus, qui inter hos ætate medius erat, cùm ſacris initiatus eſſet, à tali Dignitate abſtinuit, majorem poſteà conſecuturus, cum ad ætatem perveniſſet. Federicus, hinc Venetis, hinc Ludovico ac Duce trahere in partes ſuas hominem conantibus pollicitationibus ac precibus,magno comitatu per Italiam iter faciens, Bononienſibus, Florentinis, Senenſibus, ubi & Leonoram Regis Luſitaniæ filiam duxit uxorem, ſplendidè ac magnificè eum ſuſcipientibus, Romam tandem pervenit. Ibi acceptâ Imperij Coronâ, atque inde Neapolim contendens, cognito Alphonſo Rege, à quo ſumptuosâ ac magnificâ impensâ cum tanto comitatu eſt habitus,in Patriam demùm revertitur. Appetente verò jam æſtate Veneti,comparato ingenti exercitu,Cremonenſem

agrum ingreſſi, omnia priùs longè ac latè populati, Soncinum atque Oppida vicina oppugnare ſunt adorti; quæ in potestatem eorum haud ita multo pòſt venêre, captis ibi aliquot equitum turmis, quòd ſeriùs, quàm decebat, Franciſcus exercitum comparaverat. Stabat Ludovicus in armis, & quò ire juberetur à Franciſco exſpectabat, nondum enim ex agro Mantuano moverat. Accidit eâ tempeſtate ſcelus tragicum & quale nunquam anteà auditum; factùmne id conſultò & alieno imperio, an ſtultitiâ, haud ſatis cognitum eſt. Teutonicus quidam Vrbem Mantuam ingreſſus, Eccleſiam majorem adiens, inde exictus puerorum diſcentium vocibus, Gymnaſium, quod Templo adjacet, petit. Aberant tùm fortè Ludimagiſtri. Ingreditur veſanus, & gladijs unum atque item alterum puerum primo ingreſſu jugulat; ad reliquos conſternatos digreſſus, non prius deſtitit, quam ſeptem varijs vulneribus interfecerit, omnes jugulaturus, ni quidam ex propinquo clamore ac fletu puerorum exciti, Gymnaſium ingreſſi, hominem vulneribus à tantâ cæde retardâſſent. Pertractus in carcerem, inter primam curationem vulneris exſpiravit, reſciſſis ab eodem medicamentis vulneréq; refricato. Dignoſci tormentis & cruciatu non potuit, imperióne cujuſquam an temerè id feciſſet. Sunt qui dicant, eùm in animo habuiſſe filios Principis, qui tum fortè vitandæ peſtilentiæ causâ ad Burgùm fortem conceſſerant,

rant,interficere, & ſimilitudine rei captum; quòd haud procul à faciendâ fide aberat,eum in locum Curiæ propinquum, ubi diſcendi causâ pueros commigrare arbitrabatur, conceſſiſſe. Verùm hæc conjectura magis quàm certo aliquo indicio approbantur, cum tormentis quæri ſubitâ morte nihil licuerit. Admiratus deinde Ludovicus, qui per aliquot dies in armis ſteterat, nihil à Franciſco imperari, trajecto Pado in Corregienſes,qui continuis incurſionibus agrum Mantuanum vexabant, exercitum ducens, eos non ſolùm à populationibus coercuit; verùm intra mœnia tanto cum pavore coegit, ut brevi eos ſpoliaturum ditione appareret, ſi paululùm immorari ad expugnanda eorum Oppida voluiſſet. Reductis itaque celeriter copijs, ſolis contentus excurſionibus,quibus magnam prædam abigebat, in agrum Brixianum movet, quò & Franciſcum perveniſſe cum exercitu intellexerat. Junctis deinde cum magnâ congratulatione duobus caſtris,Binam,ubi ponte Olium conjungitur,primâ oppugnatione cepêre. Ad reliqua deinde Oppida converſi,Pradelboinum, Manerbium, Quintianum, & alia quædam parva Caſtella occupant, ſubſequentibus haud procul Venetis Gentile Duce, quò reliqua Oppida in fide retinerentur. Nunquàm tamen paludes egredi ſunt auſi,& aperto marte collatis ſignis decernere. Protrahi rem volebant, in morâ ſpem omnem victoriæ reponentes, quòd exiſtimabant

Franciſcum propter inopiam ærarij impenſæ bellicæ haud diu ſuffecturum. Simul etiam ſperabant Mediolanenſes, extortæ quondam libertatis memores, Franciſco tanto bello implicito, aliquid novi ad excutiendum ſervitutis jugum molituros. Parva quædam interdum committebantur certamina, dum uterque exercitus ad Quintianum ſtativa habet. Ad Cavernagum aliquid incommodi à Venetis acceptum eſt eâ æſtate, ubi Alexander Sfortia cum mille equitibus ad tutandam eam Oram & ad continendos in officio Laudenſes conſederat, nullis firmatis ſtationibus, nullâ inſidiarum curâ habitâ; vagi item diſperſique equites ac gregarij vagabantur. Eos itaque aggreſſus Carolus Montonius, Bracchij filius, qui tùm ſtipendia Venetorum faciebat, nullo negotio ſuperat, capitque plurimos, ægrè Alexandro cum paucis evadente. At Ferdinandus juſſu Patris cum equitum circiter octo, peditum quatuor millibus, in Hetruriam contra Florentinos movens, agrum Cremonenſem longè ac latè populatus, ad Foianum Oppidum Aretinum caſtra ponit; quod tandem poſt dies quadraginta, multis utrinque in expugnatione deſideratis, in deditionem recepit. Inde per agrum Senenſem iter faciens, occupato Rencino, Caſtellinam Oppidum in colle ſitum oppugnare eſt aggreſſus, bombardis ad demolitionem murorum & machinis uſus, acriter oppidanis, & qui in præſidio erant, defendentibus. Florentini autem, quos

quos ad ſex millia equitum fuiſſe conſtat, SigiſmundoMalateſtâ Duce in colle,quem PoggiumBonicium accolæ vocant, ſtativa locaverant, obſervaturi occaſionem bene gerendæ rei, ſi vel dum longius pabulatum hoſtes eunt, vel dum Oppidum intentius oppugnant, terrendo à tantâ obſidione averterentur. Verùm Ferdinandus, omiſsâ potiundæ Caſtellinæ ſpe, hibernaturus in maritima Senenſium deſcendit, agrum Volaterranum, quacúnque iter facit, graviter populatus. Tùm Florentini, cum pollentes Venetorum atque Alphonſi opes terrâ ac mari reformidarent, ad externa auxilia confugere inſtituunt, Franciſco id approbante. Miſſus itaque in Galliam Angelus Acciajolus Equeſtris Ordinis Florentinus Orator ad Regem Franciæ, commemoratâ Florentinorum benevolentiâ in Regiam domum, hominem eò perpulit,ut & Duci Sabaudiæ & Allobrogibus, qui jam in Franciſcum arma ſumpſerant, imperaret, ne Franciſcum Florentini Populi Socium & amicum dicto aut facto læderent, affirmans ſe illi hoſtem futurum qui ſecus feciſſet, & Renatum impulerit, pecunias ei ac militem pollicitus, Regnum Neapolitanum repetere, quo dejectus ab Alphonſo vi fuerat.Hâc legatione adeò ſecundæ Florentinorum ac Ducis res ſunt factæ, ut Veneti pacem deinceps haud quaquam ſint aſpernati. Fiduciam tamen præ ſe ferentes prædicare audebant, timiditate Franciſci factum, quòd nuſquam ad

ſum-

ſummam dimicationem ſit ventum ; paratos ſe eſſe, quoties id facere in animo haberet. Ad Gedum illi; ad Calviſanum caſtra Franciſcus habebat; media inter utróſque intercedebat planities, quâ facilè decerni aperto marte poterat. Mittit Franciſcus præcones, qui hoſtibus diem indicant, quo ſe venturum ad eam planitiem cum armato exercitu ſciant, ut idem ipſi facientes tandem decernatur, uter utri ſuperior ſit atque imperet. Referunt præcones, Venetos non detrectare certamen, & affuturos, ubi ſigna hoſtium viderint. Venerat certa dies; in acies Franciſcus ſuos ſtatim educit; quo quiſque in loco dimicet, diligenter oſtendit; ex unaquâque turmâ duos robuſtiſſimos equites deligit, quos in ſubſidijs locet; pediti ſuus adſcribitur locus; ſecundam Ludovico attribuit aciem; quid cuíque faciendum ſit, dum acies inſtruit, edicit. Steterat jam ad multam diem in armis, nec ex hoſtibus quiſquam progrediebatur. Oppugnare tùm eorum caſtra inſtituerat, ni ſubitâ pluviâ id facere eſſet prohibitus. In caſtra inde rediens, publicatâ literis ac nuncijs hoſtium ignaviâ & timiditate, inſtante jam hieme milites per ea Oppida, quæ ex hoſtibus ceperat, hibernatum mittens, Mediolanum ad parandum in ſequentem æſtatem bellum proficiſcitur. Tùm Carolus Gonziacus, acceptis à Venetis cohortibus ac turmis aliquot, Canedolum & Caſtella duo, quæ ab Vrbe Mantuâ quinque millia paſſuum diſtant, cepit, quò faciliùs.

faciliùs Vrbem Mantuam incurſionibus ac rapinis vexaret, tentarétque, ſi qua facultas ejus potiundæ daretur. Verùm Ludovicus, cognitâ civium benevolentiâ & charitate erga ſe, de eâ re minimè ſolicitus, æſtatem & occaſionem benè gerendæ rei exſpectabat. Interim verò, cùm oppugnari à collectitijs Veronenſium ac Vicentinorum copijs Duce Ludovico Malvitio, & Chierichino Caſtellare, eſſet nunciatum; ſubito ipſe mediâ hieme eò cum paucis militibus contendens, non ſolùm oppugnationem ſolvit; verùm etiam eodem impetu pleróſque ex hoſtibus cædit; ac plures vivos capit. Vere autem jam appetente Caſtellum, quod Veneti è regione Pontis molini munitiſſimo vallo ac foſsâ erexerant; firmóque præſidio munierant, ne eâ in Veronenſes tranſire Ludovicus poſſet, bombardis primo per aliquot dies vallum demolitus, tandem expugnando vi cepit, pulſo inde Carolo, qui eò cum aliquot turmis tuendi præſidij causâ venerat. In eo certamine Guido Bencionus Venetorum Præfectus, cum aliquot equitibus à Jacobo Cremenſi, qui peditibus Ludovici præerat, capitur. Expugnato ac direpto hoc Caſtello, Ludovicus collectis undique militibus cum Tiberto Brandolino, qui ſuperiore hieme in partes Franciſci venerat, ad Godium copias jungit, Carolo obviàm iturus, quem ſciebat in Mantuanos cum quatuor millibus equitum, peditum duobus propediem moturum. Dum ibi ſtativa haberen-

berentur, & fortè dolore dentium Ludovicus laboraret, trepidi ſupervenêre nuncij hoſtem paulò poſt affuturum confirmantes. Imperaverat forté Ludovicus, ne quis gregarius eâ die pabulatum iret. Sumptis itaque repentè armis copias in hoſtem ducit. Locus, ubi certatum eſt, longè à Godio duo millia paſſuum diſtat, Villambonam accolæ vocant; quò cùm veniſſet Ludovicus cernerétque hoſtes planitiem tenere, in quos per ſubjectum clivum erat ſubeundum, de ratione conſerendæ pugnæ cum Tiberto Brandolino, cui primas partes in prælio dederat, brevi locutus, ita pro tempore milites affatur: Adeſt dies illa, quam ſemper optâſtis Milites; dari vobis obvium hoſtem loco plano ac patenti votis etiam à Deo petijſtis; hîc apparebit, veráne ſint quæ vos adhuc polliciti eſtis, an quæ hoſtis exprobrando vobis objicit. Nullum præclarum facinus edetur hodiè, cujus non ego ſpectator ſim, cujúſq; deinde rationem non habeam. Plana ſunt omnia; non vallo; non foſsâ, non arboribus, non palude quiſquam ſe detentum dicat, quo minùs rem egregiè gerat. Nil erit quod veſtram virtutem obtegat, ſi viceritis; nil item quod ignaviam & timiditatem, ſi victi; hoc vobis perpetuum dedecus pariet; illud ſecuritatem cum felicitate & gloriâ, Utrum malitis non attinet rogare, cum vos alijs prælijs optimè nôrim, cúmque virtute & gloriâ nil antiquius putetis. Aliquantulùm planitiei inter nos & hoſtem

inter-

intercedit; in illâ putate patriam, parentes, liberos, uxores inter ſpem & metum conſidentes, veſtras victrices manus, veſtra arma intueri; rogare ut virtute, ad quam nati eſtis, direptionem, ſervitutem, captivitatem, ſtuprum, flagitium; quæ omnia pro arbitrio victorum victi patiuntur, fortiter dimicando ab eorum cervicibus avertatis. Liberam reddetis Vrbem hâc unâ pugnâ; agros, villas, Caſtella, vicos, ruſticos, à populationibus, incendijs, everſionibus, interitu, quæ mala hoſtes proponunt, liberabitis. Hos ſi viri eſtis, Milites, qui nunc timidè capita conferunt, quorum galeas ob pavorem nutantes cernitis, quóſque ægrè ſuſtinere arma videtis; hos, inquam, primo impetu, ſi paululùm modò annixi fueritis, non fundetis ſolùm, verùm etiam ea omnia pati cogetis, quæ nobis ac patriæ noſtræ minantur. Nobis delicias & muliebrem cultum objiciunt, quòd comam ad ſpeculum pectere conſueverimus, quòd umbrâ & tecto remolliti, vix calorem & frigora, nedùm armatum hoſtem pati poſſimus. Hæc vobis delenda nota eſt; hoc objectum dedecus manu ac fortitudine avertendum, ut & modeſtius poſthàc de vobis loquantur, & diſcant non in dicacitate ac linguâ, ſed in animo & gladijs virtutem ac fortitudinem locatam eſſe. Hâc unâ pugnâ video nobis magnam laudem propoſitam, Milites, magnum propoſitum præmium, quòd & rabidas hoſtium fauces à viſceribus Reipublicæ noſtræ, quæ ve-

ſtras manus nunc inſpicit, veſtrum auxilium implorat, retrudetis, & Franciſcum Sfortiam, cujus auſpicijs militamus, quocum poſteà juncturi ſumus ordines, magnâ curâ & ſolicitudine liberabitis, & arma illa hoſtium prælucida, ſpolia auro & argento diſtincta, equos pinques & validos in noſtra hæc feliciſſima caſtra transferemus. Unde victores in Patriam primò, mox ad alium exercitum contendentes, civibus faventibus ac ſocijs, ſpeciem triumphi cum laude ducemus. His adhortationibus commoti milites, tanto clamore & alacritate pugnam expoſcunt, quantâ nunquam anteà. Conceptâ itaque ſpe victoriæ, duas ex ſuis ad lævam præmittit acies; his præerant Guido Balneus & Parmenſis quidam. Qui mandato Ludovici in hoſtem magno impetu delati, omnem vim pugnæ in ſe ſtatim vertunt; fractis haſtis, gladijs rem cominùs gerunt. Ægrè jam ſuſtinebant inſtantem hoſtem, capto præſertim Guidone ac vulnerato Parmenſi, cum ſubitò Ludovicus robuſtiſſimorum juvenum familiam bifariàm diviſam laborantibus ſuis auxilio ſubmittit. Ad dexteram Franciſcum Siccum, Juvenem egregium, cum delectâ equitum turmâ ire in hoſtem adhortatur; ſub hâc quingentos haſtatos ac ſagittarios, quibus Jacobus Cremenſis præerat, & cui multum fidebat, collocat, quò & hoſtem ferire, & equos adverſariorum ſubfodere, tecti à ſuis, tutiùs poſſent. Hi ſimul in hoſtem delati, pulchritudine gloriæ accenſi,

cenſi, cum equites ſuam & pedites mallent illam victoriam eſſe, adeò acriter & conſtanter aliquamdiù dimicârunt, inſtando & hoſtem urgendo, non labore, non vulneribus retardati, ut jam Ludovico & Tiberto, qui tùm inter dimicantes nunc adhortando, nunc admonendo, quid fieri oporteret, verſabantur, ſpem victoriæ facerent. Duces igitur non ampliùs cunctandum rati, integros feſſis, non tamen cedentibus, ſubmittentes, agmen hoſtium aggreſſi, in quod totius exercitûs robur fuerat collatum, lecto ex omnibus aciebus fortiſſimo quoque, poſt longam & acerbiſſimam pugnam fundunt, fruſtrà Carolo ſuos adhortante, nunc Ducis nunc militis munera obeunte. Reliq; acies, utpote ſine capitibus ac nervis, in unâ fugâ ſalutem ponentes, nullo ad reſiſtendum conatu facto, Veronam effusâ fugâ petunt; quas ideo Ludovicus inſequi noluit, quòd patenti planitie fatigari miles gratuitò videretur, quódque nollet, ſuis incompoſitè ruentibus ad prædam, (ut fit) dari hoſtibus ad reſumendas vires animum. Ex quibus in prælio diuturno & atroci (ad quatuor enim horas conſtanter dimicatum eſt) nonnulli cecidêre, plerique cum ſignis militaribus vivi capti, maximè verò primores ordinum; quorum de numero Joannes Comes Cimaroſtus, Melchior Urbinas, Viri in re militari præſtantes, ſunt habiti. Non tamen omninò hæc pugna Mantuanis incruenta fuit. Ex haſtatis enim Ludovici, qui cum equi-

 tibus

tibus hoſtium congredi ſunt auſi, multi interfecti ac vulnerati ſunt; eorum autem, qui adhuc in ſpe vitæ erant, magna cura eſt habita, adhibitis omnifariàm ad recuperandam valetudinem remedijs. Rediens ad Vrbem cum captivis Ludovicus, in triumphi ſpeciem Vrbanam multitudinem gratulabundam obviàm accipit; cui reddere gratias non licuit ob fatigatam continuo clamore vocem, dum militem adhortatur, dum prælium ciet, dum errantes in ordinem cogit. Acceptâ deinde more militari à captivis fide; quos non in carcere & vinculis, ſed in liberali conditione relinquebat, ad recuperanda Caſtella ſuperiore hieme à Carolo capta cum exercitu proficiſcitur. Quibus expugnatis ac everſis, amiſſo eâ oppugnatione Bartolotto Cipatâ, Viro forti ac fidiſſimo, qui ventrem tragulâ ictus, inter primam curationem vulneris ſtatim exſpiravit. Cognito Franciſci conſilio, quem tùm ad Senigam cum paucis copijs conſediſſe intellexerat, quíque Jacobum Picenninum exercitûs Veneti Ducem non longè à ſe cum magnis copijs habebat, (mortuo enim in expugnatione Manerbij Gentile, Picenninum copiarum ſuarum Ducem Veneti elegerant) nocte intempeſtâ Godio movens, paulò poſt ortum ſolis Gedium, quod decem millibus paſſuum à Brixiâ diſtat, pervenit; quo etiam eodem tempore Franciſcum venturum ex compacto ſciebat, eam belli ſedem ad obſidendam Brixiam deligentes. Ludovicus

vicus itaque Burgum Gedij ingreſſus, compulſo in Oppidum Georgio Zazarâ præſidij Veneti Præfecto, nondum poſitis caſtris, adeſſe Picenninum cum ingenti exercitu, & pulvere & clamore ſentit. Quare præmiſſo Bartholomæo Bonato ad Franciſcum, quem haud procul abeſſe ſperabat; ut laborantibus auxilio citato agmine veniret, fiduciam præ ſe ferens, acies in adventantem hoſtem ducit, relicto ad impedimenta modico præſidio, ne ab erumpentibus Oppidanis direpta, militem deſiderio rerum ſuarum à prælio retraherent. Non eſt auſus Picenninus, cognito ex pulvere Franciſci adventu, cum Ludovico congredi. Retrò itaque movens ad Porzanum caſtra locat. Superveniente deinde haud ita multo pòſt Franciſco, conjunguntur ſimul duo exercitus, gratulantibus invicem, Ducibus ac militibus. Verùm dum in metandis caſtris Franciſco locus, quem Ludovicus primò occupaverat, aſſignaretur, quòd munitior eſſet; quódque commodior fr equentibus villis ad habitandum videretur, Franciſco reclamante, eorum eſſe debere, qui eum armis primò occupaverant; Ludovico ac Tiberto relinquitur. Obſeſſi Oppidani, & diu bombardis ac machinis vexati, cùm nullū viderent in Venetis, qui haud longè paludibus ſe continebant, præſidium eſſe, rerum ac corporum incolumitatem pacti Oppidum Franciſco dedunt. Stativa deinde ibi reliquum æſtatis habita, hoſtibus eodem loco, quo anteà conſederant

rant,ſe item continentibus, ne circumferre exercitum ad occupanda Oppida Franciſcus poſſet. Certatum tamen inter eos aliquando eſt levibus quibuſdam prælijs; quibus raro Veneti, perſæpè Sfortiani ſuperiores facti. Interim verò Renatus recuperandi Regni Neapolitani cupidus, ad quam rem Franciſcus ac Florentini copias & opes pollicebantur, ſi Alpes tranſmittens contra Venetos exercitum moviſſet; fruſtrà tentato cum duobus millibus equitum per Allobrogas itinere, æſtatéque in eâ re pœnè conſumptâ, Saonam alio itinere, atque indè ad Franciſcum pervenit, qui acceſſu tanti Regis & non parùm copijs atque animo auctus, hoſtem pavidum & certamen detrectantem movere caſtra ad montana Brixiæ coegit. Inde exercitum circumferens ex Brixianis & Bergomatibus, ad quadraginta Oppida partim vi partim deditione cepit. Ad Urceos eſt aliquamdiu immoratum; quod ſummis expugnatum viribus, tandem ad deditionem compulit. Aucto ibi exercitu Alexandri Sfortiæ adventu, quem Florentini cum aliquot turmis fratri auxilio miſerant, Pontemvicum, quod hoſtes vallo, foſsâ ac firmo præſidio munierant, vi cepit ac captum diripuit evertitque, quòd initio æſtatis ab eo defecerat. In hâc expugnatione plurimùm enituit Gallorum opera. Verùm hi, ut Gallorum natura eſt, frigoris ac caloris impatientes, urgentem jam hiemem peroſi, hibernatum in Placentinum agrum proficiſcun-

ciſcuntur. At Franciſcus Aſolam, Oppidum magnum ac opulentum, in poteſtatem Ludovici redacturus, quod anteà quoque paternæ ditionis fuerat, Marchariam cum exercitu proficiſcitur, inde in Aſolanos moturus; verùm imbribus ac nive detentus, tumultuantibus etiam jam propter aſperitatem hiemis gregarijs, omnibus dimiſſis per hiberna militibus, Mantuam ipſe rogatu Ludovici proficiſcitur; ubi triduum immoratus, Regióque ſumptu & apparatu habitus, Mediolanum revertitur. Renatus verò, relicto in Italiâ filio, in Galliam redijt, malè in Franciſcum & Florentinos animatus, quòd pecunias ei in ſumptus belli avarè ac malignè ſubminiſtraverant. Frigeſcentibus unà cum hieme jam omnium animis, exhauſtiſque item aſſiduâ bellorum impensâ Populorum ac Principum ærarijs, de pace jam anteà à Nicolao Pontifice tentatâ mentio fieri eſt cœpta, ad quam Veneti & Florentini, militarem licentiam peroſi, ſummo ſtudio ferebantur. At verò dum ultrò citróque (ut fit) commigrarent Nuncij, timentes Veneti, nè perſuaſu Ludovici à Franciſco pax intermitteretur, Jacobum Picenninum cum magnâ equitatûs parte ad Voltam celerrimè mittunt; quâ captâ, dum ad Godium excurſionis magis quàm obſidendi Oppidi causâ, ubi tùm Ludovicus ægrotabat, deſcendit, Angelum Comitis (hoc enim à Franciſco, quem Comitem appellabant, nomen acceperat) obviàm cum aliquot peditum

cohortibus euntem, Ludovico fruſtrà reclamante, tanto cum impetu fundit ac fugat, ut unà cum fugientibus Bracchiani Burgum Godij irrumpentes, Mincium pro arbitrio ponte trajecerint, ac incurſionibus omnia circumquâque infeſta reddiderint. Hâc victoriâ & incurſione contentus Jacobus, quòd Venetis abundè factum ſatis exiſtimabat, concitato (ut ipſi arbitrabantur) ad petendam pacem Ludovico, in hiberna redijt. Interim verò Simonettus Ordinis Eremitarum ultrò citróq; commeans, cùm nunc Venetos, nunc Franciſcum, ad concordiã pluribus eſſet adhortatus, eos tandem perpulit, ut pacem initis fœderibus firmarent; quæ omniũ conſenſu quinto Idus Aprilis anno quinquageſimo quarto ſupra quadringenteſimum & milleſimum publicè eſt pronunciata, his fœderibus, ut quæ cujuſq; ante id bellum fuiſſent, redderentur, præter Glaream Abduæ, quam Franciſcus de Venetis, & Caſtilionum Piſcariæ, quod Alphonſus de Florentinis ceperat. Hoc ut firmiùs haberetur, utque Alphonſus Dignitatis Regiæ habitam rationem dignoſceret, ad eum mittendos Legatos Principes ac Civitates cenſuêre. Quò cùm undiq; conveniſſent, cúmq; Dominicus Capranicus, Sanctæ Crucis Cardinalis ac Summus Pœnitentiarius, Vir magnæ prudentiæ & autoritatis, Legatus à Pontifice miſſus, hortando ac monendo pacis & concordiæ ſequeſtrum ſe fore oſtenderet, ita ad fœdus poſt longas diſceptationes eſt perventum, ut, quam Ve-

neti & Franciſcus pacem compoſuiſſent, eadem firma ab omnibus haberetur; útque, ſi quæ deinceps diſſenſio diſcordiáve inter eos orta eſſet, ejus tollendæ jus poteſtatémque Pontifex haberet; útque, qui arma alteri intuliſſet, cognitâ à Pontifice causâ, is ſtatim omnium hoſtis haberetur. Datâ itaque publicâ per omnes fide jure jurandóque adhibito, fœdus denuò Neapoli firmatur anno fermè poſt ſuperiorem pacem; quâ nulla memoriâ Patrum aut major aut firmior eſt habita. Omnes enim præter Genuenſes in eandem ſententiam venêre. Relicta eſt tamen Legatorum negligentia anſa quædam ad bellũ, quâ Alphonſus, mortuo Nicolao Pontifice, Sigiſmundum Malateſtam bello aggreſſus eſt. Ludovicus igitur finito bello ad opera pacis converſus, & Vrbem ædificijs publicis ac privatis, & agros culturâ ad amœnitatem & voluptatẽ ornare inſtituit. Planities eſt inter Godium & Mantuam paſſuum decem millibus ſuopte ingenio ſterilis; quam ad fœcunditatem reduci poſſe videbat, ſi Mincij pars per eã derivaretur. Ductâ itaq; cum ingenti impensâ à Godio Mapellũ uſq; foſsâ ſatis profundâ ac latâ, fabricatíſq; per intervalla retinaculis quibuſdam ad retinendam aquam, foſſam ipſam navigationi ac pratorum irrigationi utilem fecit. Varias item piſcinas ad Mapellum exſtruxit, unde magna piſcium copia Vrbi ſubminiſtratur. Ædificavit præterea eodem in loco non inciviliter. Dum hæc in pace à Ludovico agerentur, Carolus

lus mercede à Senenſibus conductus, in Hetruriam tranſiens, bellum contra Jacobum Picenninum gerebat; qui unà cum Comite Pitiliano, adjuvante clàm Alphonſo, Senenſes bello vexabat. Verùm ſedato tandem Calliſti induſtriâ eo bello, Ferrariam Carolus rediens, longâ febri & profluvio ventris diu vexatus, Decembri menſe moritur. Ejus corpus, quod ita eum velle cognitum erat, Ludovicus, miſſis Ferrariam uſque Sacerdotibus aliquot ac Nobilibus Civitatis lugubri veſte indutis, honeſtâ pompâ in Patriam deferri juſſit; & ſolennibus exequiarum celebratis ante fores Templi Divæ Mariæ, quam de Gratiâ accolæ vocant, ex voto mortui ſepeliri mandavit. Uxori fratris ac filijs tantum pecuniarum quotannis aſſignari juſſit, quantum ad ducendam honeſtam ac liberalem vitam ſatis eſſet. Quos demùm in Civitate recipiens, ut nepotes decet, obſervari ac diligi mandavit. Mortuo deinde Alphonſo, ac nòn ita multo pòſt Calliſto Pontifice Tertio, Æneas Cardinalis & Epiſcopus Senenſis, qui Pius Secundus eſt appellatus, Vir ſingularis ingenij atque eruditionis, Pontifex maximus omnium conſenſu declaratur decimo tertio Kalendas Septembris anno quinquageſimo octavo ſupra quadringenteſimum & milleſimum. Cui de more gratulatum, pollicendámque in divinis humaniſque rebus integram fidem, Ludovicus Raimundum Lupum Jureconſultum, & Zachariam Zaggium, præſtantis

ingenij Virum, Oratores miſit. Poſteà verò, cùm intellexiſſet, Pium convocare omnes Principes & Civitates, quæ Imperio potirentur, ad ſe ſtatuiſſe, quò bellum communi omnium impensâ & conſenſu Turco inferretur, propoſuiſséque duas Civitates Mantuam atque Utinum, ut, utram mallent, eligerent, Pio ſcribit, ſe ac Civitatem ſuam in ejus poteſtate ſemper futuram. Quare Pius, cùm eò libentiùs venturos Principes Italos ac externos ſenſiſſet; propter integritatem & fidem Ludovici, ſe habiturum Conventum in Vrbe Mantuâ Kalendis Junij ad Reges & Principes ſcribi ac publicè enunciari jubet. Firmatâ autem priùs ditione Eccleſiæ, quæ ante ejus Pontificatum in Umbriâ à Picennino, rerum novarum cupido, nonnihil incommodi ſenſerat; receptiſque ab eodem Aſſiſio ac Nuceriâ, compulſo prætereà Ferdinando Rege, quod difficilimum factu videbatur, ad dandas inducias Sigiſmundo Malateſtæ, cui bellum Picennino ac Federico Vrbinate Ducibus intulerat, quò Mantuam omnibus, ubi conventum Chriſtianorum indixerat, exſtincto bello tutò proficiſci liceret; ipſe mediâ hieme ab Vrbe diſcedit; per eas Civitates iter facit Pontificali comitatu, quæ civili diſcordiâ ad bellum potiùs quàm ad pacem ſpectare videbantur; populos ad quietem & pacem adhortatur. Poſtremò verò Mantuam perveniens, effuſis obviàm Sacerdotibus (ut fit), effuſo populo, in Vrbem, gratulabundo

Principe, gratulantibúſque omnibus ſummis infimisque, ad ædes Principis eſt perductus, ubi cum omni Familiâ commodè divertebat. Ibi verò, antequam ſe in cubiculum reciperet, Franciſcus Gonziacus Protonotarius, quem poſteà in numerum Cardinalium Pius retulit, eleganti oratione Patris nomine Pio gratias egit, quòd ejus adventu ac præſentiâ, quem mirum in modum à doctrinâ, ab experientiâ rerum, à ſanctitate vitæ laudabat, Vrbem Mantuam illuſtrare dignatus eſſet, indicto ibi tanto Conventu; Vrbem deinde, cives, agros, tecta, fortunas, in ejus poteſtate ad nutum fore ſemper oſtendit. Ludovico autem ea præcipua cura fuit, locatis per magnificas ædes Vrbis Cardinalibus ac Prælatis, ut commeatus omnifariàm abundè omnibus ſubminiſtraretur. Quâ diligentiâ tanta rerum copia ſupervenit, ut affirmarent Aulici, nuſquam ſe viliùs ad uſum hominis pertinentia emiſſe. Undique jam eò ventum erat; magnus aderat Principum numerus, magna Legatorum vis; ex totâ enim Europâ nulla Natio fuit, aut Gens, quæ non ad tantum Coventum, déque tantâ re indictum, Principes aut Legatos miſerit. In quo, Pio ipſo graviter dicente, bellum Turco communi Chriſtianorum omnium decreto indicitur; propoſito periculo, quod cervicibus omnium Chriſtianorum immineret. Motæ ſunt omnibus lacrymæ, cùm eorum calamitas ante oculos poneretur, qui à Barbaris quotidie abdu-

abducebantur. Incenſi animi, cùm luce clariùs oſtenderet, Barbaros, occupatâ totâ Græciâ ac Illyrico, Italiam tandem atque omnem Europam pervaſuros. Cùm de bello gerendo omnibus conſtaret, quâ id ratione geri deberet, eſt addubitatum. Rogari itaque ordine ſententias placuit, maximè verò Italorum quorundam; quæ quidem variæ ſunt habitæ. Affirmabant Veneti, comparatâ claſſe maritimâ,& eâ quidem ingenti,Turcum pelli Græciâ ac Conſtantinopoli poſſe; ad eàmque rem ſe paratos fore oſtendebant, ſi pecunijs juvarentur. Non negabat Franciſcus Sfortia claſſem eâ in re magno uſui fore, verùm terreſtri quoque bello tantum hoſtem detinendum cenſebat, Pannonio, Teutonico, Bohemico quidem milite, ſubmiſſis ab Italiâ ad uſum tantæ rei pecunijs, néque ſibi placere, bellum illud longinquum apud homines alijs moribus aſſuetos Italico milite geri,cum labore itineris pœnè victi priùs ſint ceſſuri, quàm in conſpectum hoſtium pervenerint. In hanc ſententiam ivêre fermè omnes, maximè verò Ludovicus Gonzaga. At Sigiſmundo Malateſtæ longè aliter viſum; nam & milite Italico ac Duce bellum illud gerendum affirmabat;nec ſecùs eâ tempeſtate uſui fore Italis,ac quondam Romanis, qui tot bella extra Italiam, atque in ipſis quidem fortaſſe locis, cúmque eâdem Gente proſperè geſsêre, militante Theutone, Gallo, Hiſpano, Numidâ equite ſub ſignis Romanis Romano-

manóque Imperatore; proinde militem Italum Italorum impenſâ ad tantum bellum mitti ſibi non diſplicere. Dum hæc à Pio conſtanter ac fortiter agerentur, confutatis acerrimè tribus ſuis actionibus Gallorum querimonijs calumnijsque Renati, quondam Neapolitani Regis, quòd Ferdinandum Alphonſi filium in eodem Regno confirmâſſet, ſubitò ad diſturbanda omnia, ne tantum bellum, támque neceſſarium præverteretur, tota Europa, relicto externo hoſte, in ſeipſam animos atque arma convertit. Germani autem partim in ſemetipſos, partim in Ungaros arma convertunt; quorum opera eò maximè bello uti Pius inſtituerat, quòd bellicoſi ſint, quódque Turcis finitimi. Movetur item Britannia duplici factione, cùm pars veterem Regem in Inſulâ, pars novum, fugato vetere, retinere vi & armis conaretur. Hiſpania prætereà arma capit, Barcinonenſibus auxilio futura, quos Aragoniæ Rex, Gallorum armis adjutus, tùm bello premebat. Italia poſtremò, de quâ Pius in eâ expeditione maximam ſpem conceperat, quòd milite optimo, pecunijs, commeatu, abundaret, tota fermè in bellicum furorem convertitur. Acri enim bello vexare tùm cœperat Joannes Renati Regis filius Ferdinandum; quâ ex re duplex ſtatim factio in totâ Provinciâ eſt orta, cujus pars Renato, pars Ferdinando auxilio eſſet. Pius itaque, ſuperveniente Alberto Marchione Brandenburgenſi cum Joanne Franciſco

ciſco Ludovici ac Barbaræ neptis filio, qui aliquot annis apud Patrueles in Germaniâ vitam duxerat, hominem ad ſuſcipiendum bellum in Turcos adhortatus, ac enſe donans, quem ſacrare Pontifices ac donare conſueverunt, omiſſo Mantuano Conventu in Hetruriam rediens, Viterbium ab adversâ factione occupatum, præmiſſis quibuſdam militibus haud magno negotio recuperat. Picentes, ob fines inter ſe certantes, partim ratione, partim metu ad pacem redegit. Umbros ſimili ratione diſceptantes, autoritate ſuâ tandem ſedavit. Senenſium Rempublicam, ſedato inteſtino bello, quo triennio antè laboraverant, pacavit. Exules quoſdam, Viros certè præclaros, in patriam reduxit; Nobilibus Reipublicæ adminiſtrationem reſtituit. In Sabinorum perfidiam animadverſum, quòd hoſtem publicum commeatu ac tranſitu juviſſent. Romæ graviſſimos ſicariorum tumultus repreſſit & exſtinxit. Tyrannos quoſdam ad res novas ſpectantes, è finibus Eccleſiæ bello ſubmovit. Federicum Urbinatem copiarum ſuarum Ducem cum Alexandro Sfortiâ in Marſos miſit, qui Jacobum Picenninum remorarentur, à Renato mercede conductum, ne in Apuliam tranſiens cum Gallis exercitum jungeret. Ferdinando Sedi Romanæ amiciſſimo, ad Sarnum ingenti clade fugato, auxilio fuit, quo minùs Regno ſpoliaretur, veritus, ne, ſi Galli Regnum occupâſſent, victoriâ elati libertatem Italiæ ſubverterent.

terent. Hæc certè maxima Mantuanæ Vrbis ac Ludovici laus fuit, quòd Curiæ Romanæ Aulici, ſummi infimi quique, nuſquam comptiùs ac benigniùs tantâq; rerum omnium vilitate & copiâ ſuſceptos ſe aut habitos prædicaverint. Balthaſari Caſtiliono & Carolo Agnello Ludovicus negotium dederat, curarent ne Aulici in conducendis domibus, in comparando commeatu, importando ac exportando res ſuas pro arbitrio, aliquid detrimenti caperent. Ipſe præterea muneribus, donis, liberalitate, tùm in Pontificem, tùm in Cardinales & Prælatos perſæpè uſus, omnium animos tantâ ſibi benevolentiâ devinxit, ut biennio poſt Cardinalium omnium conſenſu Franciſcus filius, decimum & ſeptimum annum agens, curante Bartholomæo Bonato, Cive Mantuano, decimo tertio Kalendas Januarij unà cum Urgellenſi, Papienſi, Atrebatenſi, Ravennate, in numerum Cardinalium referretur. Qui Patris nuncio in Patriam accitus, (Papiæ enim ſtudiorum gratiâ tùm erat) Mediolanum iter faciens ad viſendum Franciſcum Ducem, adeò graviter tùm ægrotantem, ut de ejus vitâ admodùm dubitatum ſit, in viâ Patrem offendit, accelerantem precibus Blancæ Mariæ; quæ verebatur ne Mariti interitu ſeditiones & tumultus in Civitatibus orirentur; exiſtimans Ludovici præſentiâ & autoritate Provinciam in pace retineri poſſe. Paululùm collocuti, ſimul Ludovico Patre præ gaudio lacrymante, mandata filio, ut Pa-

trem

trem decebat, dando, atque inde digreſſi, Pater Mediolanum, filius Mantuam pervenit; ubi, egregio nobilium Virorum comitatu à Parentibus accepto, auctâque pro Dignitate familiâ ac ſuppellectile, iter Romam ingreſſus per quaſcunque Civitates iter fecit, miſſis obviàm præſtantibus dignitate Viris, ſummo cum honore publicè ſuſcipitur; maximè verò à Senenſibus & Florentinis, qui eum publico hoſpitio & apparatu inſigni ſuſcipientes, omni comitate & gratiâ ſunt proſecuti. Appropinquanti verò jam Vrbi Romæ obviàm prodeunt Cardinales omnes uſque ad pontem Milvium, eundémque ad Sanctam Mariam Populi comitantur, ubi eâ nocte pernoctaturus erat. Poſtero die eò redeuntes, eum ad Pontificem Pium ex more deducunt, à quo frequenti Senatu Galerum Cardinalatûs accipit. At Ludovicus, Franciſco Sfortiâ jam convaleſcente, in Patriam rediens, totus ad ornandam Civitatem convertitur; ſtratis duobus Foris, plateis ac vijs lateribus & ſilice; refectis item publicis Ædibus, ubi & Prætor nunc habitat, & jura Civibus redduntur; arbitratus hanc impenſam & ad ſalubritatem Civitatis & ad ornatum pertinere, fimo, cæno, ſordibus, quibus obruebatur inficiebatúrque, tandem purgatæ. Federicus verò, ex Ludovici filijs major natu, Florentiam ad perſolvendum votum, quod ob vitatum periculum accepti ab inſano quodam vulneris Divæ Nunciatæ voverat, profi-

ciſcitur. Unde, perſoluto voto, à Florentinis comiter, ac magnificè habitus, in Patriam rediens, ex mandato Patris Margaritam, ex nobiliſſimâ Bajovariâ gente ortam, duxit Uxorem. Celebratæ ſunt hæ nuptiæ magno apparatu atque impensâ ſingulari, invitatis omnibus Italiæ Principibus, invitatis Civitatibus, quæ rerum potiuntur. Ludi item omnifariàm ſunt celebrati, choreæ ductæ, cantus, ſoni multifariàm auditi. Venerant item cum Principibus, maximè verò cum Galeatio Vicecomite, Ludovici Genero, qui, more militari propoſito præmio, haſtis concurrerent. In quo genere ludi Stephanus Siccus & Jacobus Bocalinus excelluêre. Celebratis autem his nuptijs, cùm jam tempus eſſet, ut Galeatius Dorotheam, quam Franciſcus Sfortia filio deſpondi jam anteà adhortationibus ac precibus à Ludovico Patre obtinuerat, uxorem duceret, majora mente concipiens, quòd jam Genuâ potitus erat, & Ferdinandum in Regno confirmaverat, Regi Gallorum, ab eo auxilium contra quoſdam Principes, qui in eum arma ſumpſerant, expoſcenti, filium Galeatium, quem nobilitari Regijs nuptijs cupiebat, cum tribus millibus equitum, duobus peditum, auxilio mittit. Indignatus ob tàm inſignem injuriam Ludovicus, qui bellum graviſſimum contra Venetos hominis causâ ſuſceperat, qui eum quovis honore cum maximâ impensâ ſæpiùs affecerat, qui rogatus & non ſponte filiam Galeatio ſponde-

ponderat, ejus militiam ſequi deſtitit. At Pius, compreſſo Sigiſmundi Malateſtæ furore, ſuperatiſque ad Trojam Apuliæ à Ferdinando gravi prælio Gallis & Picennino, duobus maximis & graviſſimis bellis liberatus, expeditionem Aſiaticam, quæ in Mantuano Conventu Regum ac Principum avaritiâ & ambitione fuerat omiſſa, repetit. Socios belli Regem Pannoniæ, Burgundiæ Ducem ac Venetos, quòd ij ad eam rem promptiores ac aptiores, maximè bello navali, eſſe viderentur, ſibi adjungit. Oratores ac nuncios cum literis Apoſtolicis ad Gentes & Nationes Chriſtianas mittit, qui Populos ad tantum bellum támque neceſſarium adhortarentur. Mittit item Franciſcum Gonziacum Cardinalem Sanctæ Mariæ Novæ in Patriam cum poteſtate decimæ ac trigeſimæ exigendæ; quibus pecunijs armatâ triremi, Anconam, quò omnes Cardinales, & qui ſanctam militiam ſequebantur, profecti erant, contenderet, ut inde eodem tempore ſolventes in hoſtem moverent. Interim verò Senas ipſe proficiſcitur, iturus, ubi ei per anni tempus liceret, ad Balnea Petriolana leniendæ ægritudinis causâ; ibi cognoſcit, Philippum Burgundum, qui ſemet venturum cum claſſe & milite voverat, à tantâ pollicitatione deſtitiſſe. Intelligit prætereà, multos eſſe Principes ac Populos, non exteros modò ſed Italos, qui ambitione & livore rem tantam diſturbare conarentur, quòd eos viderent nobiliſſima ac ampliſſima

ma præmia reportaturos, qui tantam belli molem ſubirent. Hos, ut Pontificem decuit, ad ſanitatem reducere conatus eſt. Relictis Balneis ad Vrbem proficiſcitur, ubi vehementi dolore pedum ac gravi febri aliquot dies laboravit; quo factum eſt, ut Anconæ Nonis Junij, quemadmodum decreto enunciaverat, adeſſe non potuerit. Delinitâ aliquantulùm ægritudine, ab Vrbe diſcedens, per Sabinos, Umbros, Picentes, Anconam lecticâ jacens defertur. In itinere magnam vim hominum, ex Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ venientium ad bellũ Turcis indictum, offendit; quorum magnam partem, maximè verò Germanorum, quòd minùs idonei bello gerendo eſſent, in Patriam remiſit. Dum claſſem, quæ paſſim in portibus ſuperi inferíque Maris ad tantum bellum fuerat ædificata, dúmq; Venetorum Ducem atque aliquot Cardinales cum triremibus Anconæ exſpectabat, diuturnâ & lentâ febri afflictatus, moritur anno ſexageſimo quarto ſupra quadringenteſimum & milleſimum, decimo ſeptimo Kalendas Septembris. Poſtridie ejus diei, quo tantus Pontifex moritur, Franciſcus Gonziacus Cardinalis, cum triremi viris atque armis optimè inſtructâ, cúmque navi onerariâ, quâ armamenta bellica, commeatus omnifariàm ad annum ſuffecturi, ad centum haſtati milites ex robore paternæ militiæ delecti, vehebantur, Polâ ſolvens, in Portum Anconitanum pervênit; ubi cognitâ

Pij morte, optimè de ſe, de Parente ac Civitate Mantuanâ meriti, ſuam atque item Chriſtianæ Reipublicæ vicem dolens, in mœrore aliquamdiù ac luctu fuit.

Vale.

EXPLICIT LIBER SEXTUS.

PETRI LAMBECII
HAMBVRGENSIS,
SACR. CÆS. MAJESTATIS CONSILIARII, HISTORIOGRAPHI ET BIBLIOTHECARII

ANNOTATIONES

IN

BAPTISTÆ SACCHI, VVLGO' APPELLATI PLATINÆ, LIBROS SEX HISTORIÆ VRBIS MANTVÆ ET SERENISSIMÆ FAMILIÆ GONZAGÆ.

PETRI LAMBECII
ANNOTATIONES
IN LIBRUM PRIMUM HISTORIÆ MANTUANÆ BAPTISTÆ SACCHI, VULGO' APPELLATI PLATINÆ.

BAPTISTÆ SACCHI] Ita hic Autor re verâ fuit appellatus, prænomine videlicet *Baptiſta*, nomine autem gentilitio *Sacchus* vel *de Sacchis*, ut præter expreſſam integram ſcripturam *Codicis Cæſarei*, ex quo Hiſtoria hæc Mantuana deſumpta eſt, teſtatur *Ludovicus Cavitellius*, Patricius Cremonenſis, Annalium Cremonenſium, Cremonæ apud Chriſtophorum Draconium A. C. 1588 in quarto impreſſorum, fol. 214 pag. 2 his verbis: *A. C. 1481 BAPTISTA DE SACCHIS, ex Vico PLATINA Agri Cremonenſis, & ab eo nuncupatus PLATINA, excellens Hiſtoriographus, qui ſcripſit Vitas Summorum Pontificum & multa alia Opera, Romæ ex epidemiâ mortuus eſt.* Eadem *prænominis*, *nominis gentilitij*, & *cognominis* ſcriptura integra fuit etiam in illo Codice manuſcripto, ex quo *Egenolphus Emmelius* Bibliopola Francofurti typis Nicolai Hofmanni A. 1608 in octavo primus in lucem edidit ejuſdem *Platinæ Libros tres de Perfecto Principe* ad Illuſtriſſimum *Federicum Gonzagam*, Mantuæ Marchionem, & *Franciſci Gonzagæ* Cardinalis Mantuani fratrem, ſub hoc titulo: *BAPTISTÆ SACCHI PLATINÆ* Διατύπωσις *ſive Deſcriptio Principis, continens, quæ Principi Viro, qui perfectus eſſe velit, cùm pacis, tùm belli tempore, facienda ſint, quæque fugienda.* Similiter idem *Platina* etiam à R. P. *Jacobo Philippo Bergomate* Ord. Eremit. Supplementi Pag. 1 verſ. 1.

Chronicorum libro ſexto & decimo quinto, à R. P. *Leandro Alberto Bononienſi* Ord. Præd. in Deſcriptione Lombardiæ Tranſpadanæ, à *Conrado Geſnero* in Bibliothecâ Vniverſali ſub literâ B, ab Eminentiſſimo Cardinale *Roberto Bellarmino* in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & à compluribus alijs rectè vocatur *Baptiſta*, non autem *Bartholomæus*, ut perperàm legitur apud *Joannem Trithemium* in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, apud *Angelum Rocchàm* in Deſcriptione Bibliothecæ Vaticanæ, apud *Raphaelem Volaterranum* Commentariorum Vrbanorum libro vigeſimo primo, & apud *Janum Jacobum Boiſſardum* in Elogijs Virorum doctinâ illuſtrium; nec audiendus hîc eſt *Gerardus Joannes Voſſius*, Vir alioqui doctiſſimus, dum Libri tertij de Hiſtoricis Latinis capite ſeptimo falſam hanc de prænomine (1) *Bartholomæi* opinionem æquè corruptis inſcriptionibus Epiſtolæ *Platinæ* ad *Jacobum Picolominæum* Cardinalem Papienſem & Epiſtolæ jam memorati Cardinalis Papienſis ad *Platinam* fruſtrà probare annititur; utpote cùm & ibi in ipſis autographis Epiſtolis prænomen *Baptiſta* abbreviatè ſcriptum fuerit per ſingularem literam initialem B, pro quâ temerarij interpolatores poſteà malè ſubſtituerunt prænomen *Bartholomæus*.

Pag. 1 verſ. 2. CREMONENSIS] Impropriè videlicet, eodémque modo, ut *Virgilius* vulgò vocatur *Mantuanus*, cùm is re verâ natus ſit *Andibus*; qui *Vicus* fuit *Agri Mantuani* haud procul à *Mantuâ*; unde & à *Silio Italico* cognominatur *Andinus*.

Pag. 1 verſ. 3. EX VICO PLATINA] Vulgò nunc *Piadena*. Meminit ipſe *Platina* hujus patriæ ſuæ in Vitâ *Cononis Papæ* his verbis: *Idem fecit Theodorus Exarchus Ravennas; cui quidem in Magiſtratu mortuo, non ita multo pòſt* J O A N N E S P L A T I N A *in Exarchatu ſucceſſit. Hunc ego crediderim dediſſe nomen* M E O N A T A L I S O L O, *quod* P L A T I N A *appellatur, in Agro Cremonenſi poſitum. Nam cùm inter Exarchos & Longobardorum Reges frequentia bella committerentur, haud diſſonum vero ſit, cùm ille locus propè medius inter Ravennam & Papiam ſit, quarum altera Longobardorum*

---

(1) Idem error exſtat apud R. P. *Philip. Labbæum* S. I. in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & in Indice Novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum Librorum.

rum, altera Exarchi ſedes haberetur, ibidem aliquando vel pugnatum eſſe, vel caſtra habita; quibus ex rebus locis ipſis plerumque nomina indita legimus. Hæc de patriâ ſuâ ipſe *Platina.* Mihi autem, ut verum fatear, conjectura illa nimiùm levis & imbecilla videtur, utpote quæ non ſolùm nullius antiqui Autoris teſtimonio roborata eſt, verùm etiam nec ſatis validâ denominationis analogiâ nititur. *Joannes* enim ille, qui A. C. 687 *Exarchus Ravennas* eſſe cœpit, non fuit cognominatus *Platina*, vel, ut apud (1) alios æquè perperàm legitur, *Platon*, ſed ὁ Πλατὺς ſive *Platys*, hoc eſt, *Latus*, germanicè *der Breite*; ut expreſsè teſtatur *Anaſtaſius* S. R. E. Bibliothecarius in Vitâ Papæ *Sergij I* his verbis: *Qui etiam Paſchalis clanculò non ceſſavit Ravennam ſuos mittere miſſos, promiſſâq; pecuniâ, vel alijs diverſis donis* J O A N N E M *Patricium & Exarchum, cognomento* P L A T I N, *cum ſuis Judicibus, nemine ſciente Romam venire perſuadere.* Hucuſque *Anaſtaſius.* Si igitur ab hoc *Joanne Platy*, ut *Platina* conjectat, *Vicus Platina* nomen accepit, neceſſariò ſequitur, ſecundam iſtius nominis ſyllabam non eſſe ſcribendam per *Jota*, ut vulgò nunc fit, ſed per *Ypſilon*, ideòque haud mirum eſt, in antiquis editionibus Hiſtoriæ *Platinæ* de Vitis Pontificum, ſeculo Æræ Chriſtianæ decimo quinto, ipſo adhuc *Platinâ* ſuperſtite, aut paulò pòſt ipſius mortem impreſſis, promiſcuè impreſſum reperiri *Platyna* & *Platina*; ut videre licet in editione Venetâ Joannis de Coloniâ Agrippinenſi ejúſque Socij Joannis Mathen de Geretzem A. C. 1479 in folio; ut & in editione (2) Norimbergenſi Antonij Koburgeri A. 1481 in folio, & in editione Joannis Vercellenſis A. 1485 in folio. Eadem promiſcua ſcriptura exſtat quidem etiam in illo ipſo *Codice manuſcripto Cæſareo*, unde Hiſtoria hæc Mantuana deſumpta eſt: mihi tamen, ut ſuprà jam indicavi, conjectura illa *Platina* de *Joanne* Exarcho Ravennate non placet, ſed longè probabilior videtur ſcriptura nominis *Platinæ* per *i* quàm per *y*; nempe ob vulgare nunc uſitatum nomen *Piadena*, quod mutatione literæ l in i, literæ t in d, & literæ i in e, prorsùs eodem modo formatum eſt, quemad-

(1) Vide Onuphr. Panvin. Rom. Princip. Lib. 1 pag. 99, & R. P. Phil. Labb. Chronolog. Hiſtor. Part. 1 pag. 543. (2) Hanc editionem R. P. Phil. Labbæus in Diſſertatione de Scriptor. Eccleſiaſt. minùs rectè vocat primam ſeu *antiquiſſimam*.

modum *Plavis*, fluvius Venetus, nunc appellatur *Piave*, & *Mutina*, Lombardiæ Ciſpadanæ Vrbs, nunc vocatur *Modéna*. Hinc etiam apud *Domnizonem Presbyterum* capite ſexto Libri ſecundi de Vitâ *Comitiſſæ Mathildis*, cui ipſe fuit ſynchronus, expreſsè legitur *Platêna* pro *Platina* in his barbaris verſibus:

Rex terras ultra tenuitque Padum ferè cunctas,
PLATENA, Nogara, niſi quæ ſunt Oppida clara;
Hæc loca nempe fidem tunc ſervârunt Comitiſſæ,
Regis terrorem deſpexeruntq; furorem.

Cæterùm meminit *Platina* jam memoratæ patriæ ſuæ in hâc quoque *Hiſtoriâ Mantuanâ* circa principium Libri tertij, ubi de *Alouiſio Gonzagâ* pag. 153 agit his verbis: *Immutatis deinde quibuſdam ad utilitatem Civitatis* (Rhegij), *confirmatiſque omnium animis ad ſervandam erga Mantuanos Principes fidem, ad Caſale majus, atque inde PLATINAM, MEVM NATALE SOLVM, Caſtella tùm ejus Imperio ſubjecta, proficiſcitur. Ibi dies aliquot ad confirmanda Arcium præſidia immoratus, Olium trajiciens*, &c.

Pag. 1 verſ. 4 & 5. PROOEMIVM IN HISTORIAM VRBIS MANTVÆ GONZIACÆQVE FAMILIÆ.] Meminit hujus Operis *Joannes Jacobus Friſius Tigurinus* in Bibliothecâ Vniverſali Geſnerianâ, à ſe auctâ, & Tiguri typis Chriſtophori Froſchoveri A.1583 in folio editâ, hoc modo: *Baptiſta cognomento Platina, patriâ*(1)*Cremonenſis, Apoſtolicus quondam Abbreviator, ſcripſit de Geſtis Romanorum Pontificum Librum unum; de Naturis rerum Librum unum; Epiſtolarum ad diverſos Librum unum; de Honeſta Voluptate & Valetudine Libros decem; de Falſo & Vero Bono Dialogos tres; contra Amores Dialogum unum; Dialogum de Vera Nobilitate; de Optimo Cive Dialogos duos; Panegyricum in laudem*(2) *Beſſarionis Cardinalis Nicæni; ad Paulum II Pontif. Max de Pace Italiæ componenda, atque de bello Turcis indicendo, Orationem; quæ omnia cum doctorum aliquot Virorum Panegyricis ſive Epigrammatibus in Parentalia Platinæ impreſſa ſunt Coloniæ 1529.* (3) *Claruit anno Domini 1451. Exſtat EJVSDEM DE REBVS VRBIS MANTVÆ GONZAGÆQVE FAMILIÆ*

(1) Vide ſuprà pag. 444. (2) Vide Lib. VI Commentariorum meorum de Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ pag. 274 & 275. (3) Malim ſcribi, *Clarere cæpit*. Obijt enim A.1481, Vide ſuprà pag. 443.

MILIÆ HISTORIA, LIBRIS SEX CONSCRIPTA; quam, Deo volente, (1) *Joannes Oporinus (Typographus Baſileenſis) brevi dabit in publicum.* Hucuſque *Joannes Jacobus Friſius*. Ejuſdem quoque Operis extat mentio apud R. P. *Antonium Poſſevinum Mantuanum* S. I. in (2) Apparatu Sacro ſub literâ B his verbis: *Baptiſtæ Platinæ Hiſtoriam Rerum Mantuanarum & Gonzagæ Familiæ, SEX Libris conſcriptam, Joannes Oporinus dudum pollicitus erat emittere, ſed nunquam prodiit. Et tamen hæc extat manuſcripta apud Sereniſſimum Mantuæ Ducem.* Hæc ibi *Poſſevinus*. Repetitur etiam in eodem (3) Apparatu Sacro ejuſdem Operis mentio ſub literâ P; ſed ibi mendosè ac perperàm legitur, illud conſtare *Libris ſeptem*. Ipſa illa verba ſunt hæc: *Platina Libros SEPTEM Hiſtoriæ Mantuanæ, ac tres de Inſtitutione Principis, Epiſtolaſque & Orationes reliquit, quæ nondum editæ fuerunt.* Corrigendus ergò eſt hic *Poſſevini* locus, &, itidem ut ſuprà, ſcribendum eſt *Libros ſex*. Emendandum quoque hâc occaſione eſt *Gerardi Joannis Voſſii* Opus de Hiſtoricis Latinis, utpote ubi Lib. 3 cap. 7, pag. 589 editionis ſecundæ, æquè mendosè legitur, jam memoratum Opus de Rebus Vrbis Mantuæ & Familiæ Gonzagæ conſtare tantùm *Libris tribus*, ejuſque rei teſtis perperàm citatur *Conradus Geſnerus*. Ipſe enim *Geſnerus* non meminit iſtius Operis Platinæ, ſed (4) *Joannes Jacobus Friſius* in Bibliothecâ Geſnerianâ à ſe auctâ, & quidem ita, ut expreſsè indicet, illud conſtare *Libris ſex*, non autem *tribus*. Ad eandem *Platinæ Hiſtoriam Mantuanam* alludit *Proſper Spiriteus* in hoc, *Platinæ* Elogio apud *Paulum Jovium* ſubjuncto Epigrammate:

Qui res Pontificum ſacras, & geſta piorum,
Quique DVCVM VITAS, nobile fecit Opus,
Vivit adhuc PLATINA; &, quanquam conceſſerit orco,
Nil tamen in Vatem parca ſevera poteſt.

FRANCISCVM CARDINALEM MANTVANVM] Hic eſt *Franciſcus Gonzaga*, *Ludovici* Marchionis Mantuæ & *Barbaræ* Brandenburgenſis filius, qui A.C. 1461 d. 18 Decembris, (non autem A. 1460, ut perperàm traditur in R.P. *Hippolyti* Pag. 1 verſ. 7, 8.

(1) Vide Lib. II Commentar. de Biblioth. Cæſar. pag. 540. (2) Editionis Venetæ A. 1603 in fol. Tom. I pag. 180. (3) Jam citatæ editionis Venetæ Tom. III pag. 95. (4) Vide ſuprà pag. 446.

lyti Doneſmondi Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ & Chronologiâ Mantuanâ) cùm decimum ſeptimum annum ætatis ageret, à Papâ *Pio II Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ* creatus, deinceps à Papâ *Paulo II Epiſcopatum Mantuanum* obtinuit, cùm annum ageret ætatis vigeſimum tertium. Ab eodem *Paulo II* etiam *Legatus Pontificius Bonomæ* conſtitutus eſt, atque inſuper à Papâ *Sixto IV* A. 1476 impetravit *Epiſcopatum Bononienſem*, quem unà cum *Epiſcopatu Mantuano* laudabiliter adminiſtravit uſq; ad annum Chriſti 1483, quo die 20 Septembris *Bononiæ* obijt. Plura de ejuſdem laudatiſſimi Cardinalis præſtantiſſimâ indole, eximijs virtutibus & regio animo legenda ſunt apud ipſum *Platinam* circa finem hujus Operis & in Hiſtoriâ de Vitis Pontificum Romanorum, apud *Raphaelem Volaterranum* in Commentarijs Vrbanis, apud *Carolum Sigonium* libro quarto de Epiſcopis Bononienſibus, apud *Alphonſum Ciaconium* in Opere de Vitis & Geſtis Pontificum Romanorum, apud *Ferdinandum Vghellum* Tomo primo Italiæ Sacræ in Catalogo Epiſcoporum Mantuanorum, & apud complures alios; ideóq; minimè hìc audiendus eſt *Onuphrius Panvinius*, qui in Epitome Pontificum Romanorum optimum illum Principem impudentiſſimâ calumniâ *hominem* vocat *damnatæ pudicitiæ, & ad venationes ac gaudia potiùs, quàm ad Eccleſiam natum*.

Pag. 2 verſ. 16. Ab interitu me liberâſti] Reſpicit Platina his verbis ad graviſſimum vitæ periculum, quod ſubijt ſub Pontificatu Papæ *Pauli II*, à quo tanquam conjurationis contra ſe factæ conſcius, licet re verâ (1) innocentiſſimus eſſet, crudeliſſimè tortus eſt, & vix ægrè hoc modo ignominioſam mortem evaſit, ut ipſe in Vitâ jam memorati Papæ *Pauli* tragicè narrat his verbis: *Mortuo Pio II, in ejus locum Paulus II ſuffectus, ſtatim ubi Magiſtratum inijt, ſive quòd ita pollicitus erat, ſive quòd Pij decreta & acta oderat, Abbreviatores omnes, quos Pius in ordinem redegerat, tanquam inutiles & indoctos (ut ipſe dicebat) exauctoravit. Eos enim bonis & dignitate indictâ causâ ſpoliavit, quos etiam propter eruditionem & doctrinam ex toto Orbe terrarum conquiſitos, magnis pollicitationibus & præmijs vocare ad ſe debuerat. Erat quidem illud collegium refertum bonis ac doctis viris. Inerant divini atque humani Iuris Viri peritiſſimi. Inerant Poëtæ & Oratores plerique, qui certè non minùs ornamenti ipſi curiæ afferebant, quàm ab eâdem acciperent, quos omnes*

(1) Vide Vitam ipſius apud *Paulum Iovium* in Elogijs Virorum publicatis ingenij monumentis illuſtrium.

omnes Paulus tanquam inquilinos & advenas poſſeſſione pepulit, licet emptoribus cautum eſſet literis Apoſtolicis, cautum etiam fiſci pontificij auctoritate, ne, qui bonâ fide emiſſent, è poſſeſſione honeſtâ ac legitimâ deijcerentur. Tentârunt tamen hi, ad quos res ipſa pertinebat, hominem è ſententiâ dimovere. Atq; ego certè, qui horum de numero eram, rogando etiam, ut cauſa ipſa judicibus publicis (quos Rotæ Auditores vocant) committeretur: Tum ille torvis oculis me aſpiciens; Ità nos, inquit, ad Judices revocas, ac ſi neſcires, omnia jura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe? Sic ſtat ſententia, inquit; loco cedant omnes; eant quò volunt; nihil eos moror; Pontifex ſum, mihiq; licet pro arbitrio animi aliorum acta & reſcindere & approbare. Hâc verò tam immiti ſententiâ acceptâ, ut lapidem immobilem volveremus, obſervabamus, & fruſtrà quidem die ac noctu in foribus Aulæ viliſſimum etiam quemq; ſervum rogantes, ut nobis alloqui Pontificem liceret. Reijciebamur non ſine contumeliâ, tanquam aquâ & igni interdicti ac profani. Hâc autem diligentiâ viginti continuis noctibus uſi ſumus; nil enim ferè niſi noctu agebat. Ego verò tantâ ignominiâ excitus, quod mihi ac ſocijs meis coram non licebat, id agere per literas inſtitui. Scripſi itaq; Epiſtolam his fermè verbis: Si tibi licuit indictâ causâ ſpoliare nos emptione noſtrâ juſtâ ac legitimâ, debet & nobis licere conqueri illatam injuriam injuſtámq; ignominiam. Rejecti à Te, ac tàm inſigni contumeliâ affecti, dilabemur paſſim ad Reges, ad Principes, eóſq; adhortabimur, ut Tibi Concilium indicant: in quo potiſſimùm rationem reddere cogaris, cur nos legitimâ poſſeſſione ſpoliaveris. Lectis literis, Platinam reum Majeſtatis accerſit; in carcerem trahit; compedibus revincit; mittit Theodorum Tarviſinum Epiſcopum, qui quæſtionem habeat. Is ſtatim me reum facit, quòd & libellos famoſos in Paulum ſparſiſſem, & Concilij mentionem feciſſem. Primum crimen ita confutavi, eos quidem dici libellos famoſos, in quibus ſcribentis nomen reticetur: at meum nomen in calce literarum extare; non igitur libelli famoſi ſunt. Quòd verò de Concilio mentionem fecerim, me non adeò grave crimen id putâſſe, cùm in Synodis à ſanctis Patribus ſtabilita ſint fundamenta orthodoxæ Fidei, prius ſparſim jacta à Salvatore noſtro ejúſque Diſcipulis, ut majores cum minoribus æquo jure viverent, ne cuiquam fieret injuria. Vnde etiam apud Romanos inſtituta eſt Cenſura, quâ & qui privati, & qui in Magiſtratu fuerunt, rationem habiti Magiſtratûs, & vitæ anteactæ reddere cogebantur. Cùm verò his rationibus nihil profeciſſem, revinctus compedibus, & quidem graviſſimis, mediâ hyeme, ſine foco, celsâ in turri ac ventis omnibus expoſita cöerceor menſibus quatuor. Tandem verò Paulus FRANCISCI GONZAGÆ, Cardinalis Mantuani, precibus fatigatus, ægrè pedibus ſtantem moleſtiâ carceris me liberat; ad-

monet ne ab Vrbe diſcedam. In Indiam, inquit, ſi proficiſcere, inde te trahet Paulus. Feci mandata. Triennio in Vrbe commoratus ſum, arbitratus hominem aliquam medelam meis incommodis interim allaturum. Atenimverò dum ſolamen hoc exſpecto, nunciatur ei, quoſdam adoleſcentes duce (1) *Callimacho in eum conſpiráſſe; cui præ timore vix reſpiranti, neſcio quo fato novus etiam terror additur. Advolat enim quidam cognomento Philoſophus, homo facinoroſus & exul, qui vitam primò & reditum in patriam deprecatus, nunciat, ac falsò quidem, Lucam Totium, Romanum civem, Neapoli exulantem, cum multis exulibus in nemoribus Veliternis à ſe viſum ac paulo pòſt affuturum. Timere Paulus ac magis trepidare tùm cœpit, veritus ne domi & foris opprimeretur. Capiuntur permulti in Vrbe, tùm ex Aulicis, tùm ex Romanis. Augebat hominis timorem* (2) *Vianeſius. Augebant & alij ejus familiares, qui ex tantâ perturbatione aditum ad majorem dignitatem, & uberiorem fortunam ſibi quærebant. Irrumpebant cujusvis domum ſine diſcrimine. Trahebant in carcerem, quos ſuſpectos conjurationis habuiſſent. Et, ne ego tantæ calamitatis expers eſſem, domum, ubi habitatam, multis ſatellitibus noctu circumdant; fractis foribus ac feneſtris, vi irrumpunt; Demetrium Lucenſem familiarem meum comprehendunt: à quo ubi ſcivêre, me apud* (3) CARDINALEM MANTVANVM *cœnare, ſtatim accurrunt, & me in cubiculo hominis captum, ad Paulum confeſtim trahunt. Qui ubi me vidit; Ita, inquit, duce Callimacho in nos conjurabas? Tùm ego fretus innocentiâ meâ, ita conſtanti animo reſpondi, ut nullum conſcientiæ ſignum in me deprehendi poſſet. Inſtabat ille diſcinctus & pallidus; &, niſi verum faterer, nunc tormenta mihi, nunc mortem proponebat. Tùm ego, cùm viderem omnia armis & tumultu circumſonare, veritus ne quid graviùs ob formidinem & iram in nos conſuleretur, rationes attuli, quam ob rem crederem, Callimachum nil aliud tale unquam moliturum, nedum meditatum fuiſſe, quòd conſilio, linguâ, manu, ſolicitudine, opibus, copijs, clientelis, armis, pecunijs, oculis poſtremò careret. Cæculus enim erat, & P. Lentulo*

(1) Vitam hujus *Philippi Callimachi Experientis* vide apud *Paulum Iovium* in Elogijs Virorum publicatis ingenij monumentis illuſtrium. Conſule etiam *Voſſium* de Hiſtoricis Latinis lib. 3 cap. 8, pag. 619. (2) Ita hoc nomen in Hiſtoriæ Platinæ de Vitis Pontificum vetuſtiſſimis editionibus, ſuprà pag. 445 citatis, conſtanter impreſſum legitur, nempe *Vianeſius*, non autem, ut in recentioribus aliquot editionibus, *Vianenſius*. (3) Nempe *Franciſcum*. Vide ſuprà pag. 447.

tulo ſomniculoſior, ac L. Craſſo ob adipem tardior. Omitto quod nec Civis quidem Romanus erat, qui patriam liberaret; nec Præſul, qui Pontificatum ſibi Paulo interempto deſumeret. Quid poterat Callimachus? Quid auderet? Erátne linguâ & manu promptus? Habebátne ad tantam rem conficiendam certos homines delectos & deſcriptos, quorum operâ uteretur? niſi fortè vellent Glaucum & Petreium, fugæ ſuæ comites, alteros Gabinios & Statilios eſſe. Tùm Paulus ad Vianeſium converſus; Hic, inquit (me torvis oculis aſpiciens) tormento cogendus eſt verum fateri; nam conjurandi artem optimè novit. Vtinam conſideratiùs mecum egiſſet Paulus: non enim me ſtatim tormento ſubjeciſſet. Nam cùm verum conjecturâ quæritur, nec de facto conſtat, in conjuratione potiſſimùm, &, quæ ante ſuſceptum negocium, & pòſt ſint geſta, quæritur. Conſideratur vita conjurantis, conſiderantur mores, ambitio, cupiditas tùm facultatum, tùm honorum: & ſi quid anteà dictum, ſcriptum, aut factum ſit, quod eò tendat. Horum nihil conſideravit Paulus; in carcerem nos conjicit. Verùm cum admoneretur ab his, qui benè ſentiebant, quibúſque exploratum erat, Lucam Totium nuſquam pedem Neapoli moviſſe, ne tantum tumultum cum ſuo diſcrimine concitaret, revocat edictum tertio die, quo præmia illis proponebat, qui Lucam reum Majeſtatis, vel vivum vel mortuum in poteſtatem ſuam redegiſſent: non tamen Quadratios fratres, quos ob eam ſuſpicionem ceperat & torſerat, dimiſit. Subeſſe aliquam latentem cauſam videri volebat, ne levitatis argueretur. Liberatus hoc metu Paulus, ad nos ſtatim animum adjicit. Mittit in Arcem Hadriani Vianeſium cum Joanne Franciſco Clugienſi ſangâ & ſatellite, qui nos quovis genere tormentorum adigat, ea etiam fateri, quæ nuſquam ſciebamus. Torquentur primâ & ſequenti die multi: quorum pars magna præ dolore in ipſis cruciatibus concidit. Bovem Phalaridis ſepulchrum Hadriani tùm putáſſes: adeò reſonabat fornix ille concavus vocibus miſerorum adoleſcentum. Torquebatur Lucidus, homo omnium innocentiſſimus, Torquebatur Marſus Demetrius, Auguſtinus Campanus, optimus adoleſcens, & unicum ſeculi noſtri decus, ſi ingenium & literaturam inſpicis; quibus cruciatibus & dolore animi mortuum poſteà crediderim. Feſſi tortores, non tamen ſatiati, (nam ad viginti ferè eo biduo quæſtioni ſubjecerunt) me quoque ad pœnam vocant. Accingunt ſe operi carnifices; parantur tormenta; ſpolior, laceror, trudor tanquam graſſator & latro. Sedet Vianeſius tanquam alter Minos ſtratis tapetibus, ac ſi in nuptijs eſſet, vel potiùs in cœnâ Atrei & Tantali;

*tali; (1) homo, inquam, ſacris initiatus, & quem ſacri canones vetant de-
laicis quæſtionem habere; ne, ſi mors ſubſequatur, quod in tormentis interdum
accidere ſolet, irregularis (ut eorum verbo utar) & impius habeatur. Neque
hoc quidem contentus, dum penderem miſer in ipſis cruciatibus, monilia Sanga
Clugienſis attrectans, hominem rogabat, à quâ puellâ donum amoris ha-
buiſſet. De amoribus locutus, ad me converſus inſtabat, ut ſeriem conjurationis
vel fabulæ potiùs à Callimacho confictæ explicarem, diceremque quid cauſæ
eſſet, cur Pomponius, qui tùm Venetiis erat, ad me ſcribens, Patrem ſanctiſſi-
mum in ſuis literis appellaret. Te inquit, Pontificem creaverant conjurati
omnes? Flagitat item, dederimne literas Pomponio ad Imperatorem, aut ad ali-
quem Chriſtianum Principem ſuſcitandi ſchiſmatis, aut concilij causâ. Reſpondeo
me nunquam conſiliorum Callimachi participem fuiſſe, quippe cum inter nos ſi-
multas eſſet haud parva. Neſcire item cur Pomponius me Patrem ſanctiſſimum
appellaret; ſciturum ab eo: nam paulo pòſt vinctum affuturum dicebat. De
Pontificatu verò non eſſe cur ſoliciti eſſent, quòd vitâ privatâ ſemper contentus
fuiſſem. Ad Imperatorem verò me nunquam literas miſiſſe, nec Pomponij operâ
eâ in re uſum eſſe; id etiam ab eo ſciturum. Tandem verò delinitus aliquan-
tulum tot meis cruciatibus, non tamen ſatiatus, deponi me jubet, veſperi majores
ſubiturum. Deferor in cubiculum ſeminortuus, nec ita multo pòſt revocor
à quæſtoribus benè potis & pranſis; aderat & Laurentius Archiepiſcopus Spalaten-
ſis. Petunt quid mihi colloquij fuerit cum Sigiſmundo Malateſtâ, qui tùm in Vrbe
erat. De literis, inquam, de armis, de præſtantibus ingenijs tùm veterum, tùm
noſtrorum hominum loquebamur, aliéque his rebus, quæ in hominum colloquia cadere
poſſunt. Minari tùm Vianeſius, ac majores cruciatus proponere, niſi verum fate-
rer; rediturum ſe die ſequenti; meditarer interim ubi eſſem, & quibuſcum
mihi eſſet agendum. Reducor iterum ad cubile, ubi tantus me repentè dolor
invaſit, ut vitam cum morte cuperem commutare, recrudeſcentibus doloribus
ob refrigerata membra, quaſſa vehementer ac læſa. Recreabat me tamen non pa-
rum Angeli Bufali Romani Equitis humanitas, quem anno antè Paulus in carcerem
conjecerat, ob interfectum à Marcello filio Franciſcum Cappocium; id enim
factum Angeli ſuaſu Paulus dicebat. Angelus itaque ac Franciſcus nepos,*
qui-

(1) Fuit hic Vianeſius, ut ipſe Platinâ in eâdem Pauli II Vitâ refert, *Summi Pontificis Vicecamerarius Bononienſis.*

quibuſcum in eodem cubiculo divertebam, quo minùs doloribus & inediá morerer, ſuis manibus & medelas & cibum mihi afferebant. Poſt biduum verò Chriſtophorus Veronenſis, Pauli Medicus, ad me veniens: Bono, inquit, animo te eſſe jubet Paulus, ac de ſe benè ſperare, brevíque liberum futurum. Sciſcitor quando id fore ſperaret. Reſpondet homo liber audientibus omnibus, qui tùm aderant, non ita citò fieri poſſe, ne levitatis & ſævitiæ argueretur Pontifex, quòd illos, quos tanto tumultu concitato cepiſſet ac torſiſſet, ſtatim veluti innoxios dimitteret. Neque hoc quidem contentus Paulus, quos paulo antè conjurationis & Majeſtatis accerſierat, eoſdem mutatâ ſententiâ ob divulgatam fabulam hæreſeos accuſat. Trahitur ad Vrbem (1) Pomponius Venetijs captus; per totam Italiam tanquam alter Jugurtha ducitur in judicium Pomponius, vir ſimplicis ingenij, neq; conjurationis, neque alicujus ſceleris conſcius. Rogatus cur nomina adoleſcentibus immutaret, ut homo liber erat. Quid ad vos, inquit, & Paulum, ſi mihi Fœniculi nomen indo, modo id ſine dolo & fraude fiat? Amore namque vetuſtatis antiquorum præclara nomina repetebat, quaſi quædam calcaria, quæ noſtram juventutem æmulatione ad virtutem incitarent. Trahitur & Lucillus ad Vrbem tanquã reus Majeſtatis, qui in Sabinis tetricam illam vitam ducebat, quòd ad Campanum ſcribens, quæ literæ poſteà deprehenſæ ſunt, Heliogabali cujuſdã amores reprehendebat, ita occultè tamen, ut niſi à conſcio dignoſci res ipſa non poſſet. Vianeſius autem, diligens Paſtor, ad nos cum tormentis ſæpiùs rediens, torto etiam Petreio Callimachi comite, in fugá comprehenſo, ac nihil confeſſo, quòd diceret, ebrioſam illã Callimachi collocutionem nullius momenti exiſtimandam fuiſſe, omnia oculis colluſtrans, ne refractis parietibus tanquam Dædali altâ Arce volaremus, carcerem ſubterraneum meditatur, ac fabris ſtatim locat; eóq; conjicit Franciſcum Anguillaram Gattaluſium, Franciſcum Alvianum, Jacobum Ptolemæum, quadriennio antè moleſtiâ carceris maceratos. De libertate noſtrâ interim nullum verbum fiebat. Erat tùm (2) Imperator in Vrbe; voti enim gratiá venerat cum magno comitatu; quem Paulus magná cum impenſá honorificentiſſimè ſuſcepit, expenſis decem & octo millibus nummûm aureorum. Ambos ex mole Hadriani ſub eodem pallio à Laterano redeuntes, comitante honorato quoque,

(1) Vitam hujus *Iulij Pomponij Lati* vide apud Paulum Jovium in Elogijs Virorum publicatis ingenij monumentis illuſtrium. Conſule etiam Voſſium de Hiſtoricis Latinis lib. 3 cap. 8, pag. 613. (2) Nempe *Imp. Fridericus V.* vulgò dictus *III*, A. C. 1468.

inſpexi. Subſtitit Paulus in ponte, donec Imperator Equites aliquot crearet. Abeunte deinde Imperatore, cùm jam metu omni liberatus eſſet; nam & equitum & peditum ſuorum magnam partem in Vrbem vocaverat, veritus ne quid tumultûs à Populo Romano excitaretur, præſente Imperatore, decimo menſe poſt captivitatem noſtram in Arcem veniens, ne tantum tumultûs fruſtrà concitáſſe videretur, multa nobis objicit, ſed illud potiſſimum, quòd de immortalitate animorum diſputaremus, teneremûsque opinionem Platonis, quam Divus Auguſtinus Chriſtianæ religioni ſimilimam eſſe cenſet: Meritò, inquit Aurelius, Cicero Deum inter Philoſophos Platonem vocat, qui certè cunctos ingenio & ſapientiá ſuperavit; hunc mihi delegi, quocum diſputarem, qui & de ultimo hominis fine, & de diviná naturá meliùs quàm cæteri, philoſophatur. In dubium, inquit Paulus, diſputando Deum vocabatis. Quod quidem omnibus Philoſophis & Theologis noſtrorum temporum objici poteſt, qui & animos & Deum & omnes intelligentias ſeparatas, diſputandi ac veri inveniendi causâ in dubium plerumque vocant. Prætereà verò hæretici ſunt, ut ait Auguſtinus, qui quod pravè ſapiunt, pertinaciter defendunt. Sanam diſciplinam nunquam aſpernati ſumus, quod facere conſueverunt (ut ait Leo) erroris Magiſtri, qui ſeorsùm ab Eccleſiá ſentientes, hæretici meritò, Hieronymo teſte, ſunt appellati. Rationem vitæ meæ, poſteaquam ſapere per ætatem cœpi, uſq; ad hæc tempora reddere vobis poſſum. Nullum mihi facinus impingi poteſt, non furtum, non latrocinium, non ſacrilegium, non depeculatus, non parricidium, non rapina, non ſimonia. Vixi, ut Chriſtianum decebat; Confeſſionem & Communionem in anno, ſemel præſertim, intermiſi nunquam. Nil ex ore meo excidit, quod contra Symbolum eſſet, aut hæreſim ſaperet. Non ſum imitatus Simoniacos, Carpocratianos, Ophitas, Severianos, Alogios, Paulinos, Manichæos, Macedonianos. aliámve hæreticorum ſectam. Prætereà verò Paulus crimini nobis dabat, quod nimiùm gentilitatis amatores eſſemus, cùm nemo eo hujus rei ſtudioſior eſſet, quippe qui & ſtatuas veterum undique ex totâ Vrbe conquiſitas, in ſuas illas ædes, quas ſub Capitolio exſtruebat, congereret, avecto etiam ex ſanctâ Agnete Beatæ Conſtantiæ ſepulcro, fruſtrà reclamantibus monachis loci; qui poſteà mortuo Paulo, ſepulcrum illud porphyreticum à (1) Xiſto Pontifice repetiêre. Prætereà verò Numiſmata propè infinita, ex auro, argento, æréve, ſuâ imagine ſignata, ſine ullo Senatusconſulto, in fundamentis ædificiorum ſuorum more veterum collocabat; veteres potius hâc in re, quàm Petrum, Anacletum

&

(1) Nempe à *Sixto IV.*

& Linum imitatus. Cùm verò noſtrâ de re inter Palatinos Epiſcopos & duos Fratres eſſet aliquando diſceptatum, quorum alter erat Ordinis Franciſci, alter Dominici, venerunt ferè omnes in hanc ſententiam, nihil eſſe in nobis, quod hæreſim ſaperet. Verùm cum Paulus in Arcem veniſſet, excluderetúrque de induſtriâ Franciſcus, Patronus noſter, veritatis aſſertor, quò liberiùs Leonardo loqui liceret, eadem dicit, quæ pridie. Rogati ſententiam, qui tùm aderant, etſi ad nutum Pontificis aliquâ ex parte loquebantur, noſtram tamen cauſam leviorem faciebant, ac Pontificem mitiorem reddere conabantur. Solus autem inter omnes Lælius de Valle, Romanus Civis & Advocatus Conſiſtorialis, noſtram cauſam liberè tutatus eſt. Confutat omnia, quæ à Leonardo dicta erant, quæq; partim affirmaverat alter Advocatus Andreas ſanctæ Crucis. Fit autem inter dicendum de Academiâ mentio. Inclamat tùm M. Barbus Sancti Marci Cardinalis, nos non Academicos eſſe, ſed fœdatores Academiæ. Quid turpitudinis autem à nobis in Academiam prodierit, certè non video, cum nec fures, nec latrones, nec incendiarij, nec decoctores eſſemus. Veteres Academicos ſequebamur, novos contemnentes, qui in rebus ipſis nil certi ponebant. Paulus tamen hæreticos eos pronunciavit, qui nomen Academiæ vel feriò, vel ioco deinceps commemorarent. Iniuſta eſt hæc ignominia Platoni; ipſe ſe tueatur. Volebat Paulus rebus in omnibus videri acutus & doctus: volebat item videri facetus; deridebat ferè omnes contemnebátque. Interrogat tùm Pomponium, hominem irridens, quod ei à teneris annis nomen impoſuerant parentes. Reſpondet Pomponius, ſe binomium fuiſſe. Confuſus novitate rei Paulus, ſubſtitit ampliùs de nomine quærere. Ad me autem converſus, in omnem contumeliam prorupit. Omitto quòd mihi coniurationem, hæreſim, Maieſtatis crimen obijceret, quæ omnia iam purgata erant; obijciebat etiam, ingratitudinem, quòd in me licet ingratum officioſus fuiſſet. Si ſpoliare homines emptione ſuâ incognitâ cauſá, ſi carcere, ſi tormentis, ſi ignominiâ, ſi calumniâ afficere beneficium eſt, certè erga me beneficus & liberalis dici poteſt Paulus, & ego ingratus; qui tantorum maleficiorum immemor, ab Vrbe non diſceſſerim, ſuis mandatis obtemperans, ſuis pollicitationibus toties fruſtratus. Abijt inde minabundus, & ob iram, quam tùm conceperat, nos uſque ad integrum annum retinuit. Ita eum credo iuráſſe; quando nos cepit, & in carcerem coniecit; noluit periurus videri. Dimiſſos tandem, in ædibus ſuis viginti diebus ita nos retinet, ut efferre pedem domo non liceret. Vagari deinde per Vaticanum ſinit. Fatigatus poſtremò Cardinalium precibus, liberos tandem nos facit. Vocor non ita multo pòſt literis à Ludovico Gonzagâ, Principe Mantuano, ad balnea Petriolana valetudinis cauſâ,

cauſâ, quam in carcere dextro humero debilitatus contraxeram. Eò ut proficiſcerer, primò vetuit Paulus, quod diceret ſe brevi rei meæ benè conſulturum. Eo tamen ac redeo, ſpondente reditum meum Beſſarione Cardinale Nicano, Viro præſtantis ingenij, & ſingularis literaturæ. Fidem meam commendat Paulus, ac crebrò jactat optimam ejus erga me voluntatem; poſt diſceſſum Borſij Eſtenſis, quem ad Vrbem cum magno equitatu venientem magnificentiſſimè & lautè ſuſceperat, Ducémque Ferrariæ creaverat, me brevi viſurum, quo in me animo eſſet; idque etiam Oratoribus tùm Venetorum, tùm Ducis Mediolanenſis, qui me ei commendaverant, ſæpè pollicitus fuerat. Biennio hâc ſpe ductus vel fruſtratus potiùs, ire Bononiam inſtitueram cum CARDINALE MANTVANO, *ejuſdem Civitatis Legato. Quò minùs id facerem, vetat Paulus, dixitque (ita erat urbanus & facetus) me ſatis ſapere, & facultatibus potiùs, quàm literaturâ indigere. Sed ecce, dum exſpecto, ut mei tandem, tot calamitatibus, tot malis circumventi, miſereatur, Pontifex ipſe apoplexiâ moritur ſecundâ horâ noctis, ſolus in cubiculo nemine vidente, cùm eo die lætus etiam Conſiſtorium habuiſſet, Pontificatûs ſui anno ſexto, menſe decimo, quinto Kalendas Auguſti, anno M CCCC LXXI.* Hæc de graviſſimis calamitatibus ſuis ſub Papâ *Paulo II* ipſe *Platina*.

Pag. 2 verſ. 17, 18. Vt liberiore vitâ atque ingenio in Vrbe Româ me certè fruatur nemo] Felicitas hæc contigit *Platinæ* ſub Pontificatu *Sixti IV*, à quo A. C. 1475 novæ ſuæ *Bibliothecæ Vaticanæ primus Bibliothecarius* ſive ſupremus Præfectus conſtitutus eſt, ſimul etiam dono accepit magnificam domum in monte Quirinali cum adjuncto Laureto ad coronandos Poëtas. In hoc igitur nobiliſſimo munere & præclarâ dignitate reliquam vitæ partem honoratiſſimè, ac commodiſſimè peregit uſque ad annum Chriſti 1481, quo ex epidemiâ obijt. Meminit hujus rei *Paulus Jovius* in Elogijs Virorum publicatis ingenij monumentis illuſtrium his verbis: *Platina planè egens & obſcurus, unóque tantùm ingenio nobilis, Cremonâ Calixto III Pontifice in Vrbem venit. Cognitum Pius II atque Beſſarion erudito judicio ſacerdotijs minoribus exornârunt. Paulus verò II Pontifex perinique malignéque delatum immaniter torſit. Xyſtus demùm IV* (1) *conditæ ab ſe in-*

(1) Notabilis locus de origine *Bibliothecæ Vaticanæ* ſub Papâ *Sixto IV* A. C. 1475.

in Vaticano Bibliothecæ præfecit, cùm eo munere longè digniſſimus haberetur. In eâ nobili cuſtodiâ jam ſenex fato functus eſt, Quirinalem domum cum Laureto ad coronandos Poetas Pomponio Læto relinquens. Funus in Exquilias ad Mariæ Majoris Templum uſque perductum eſt, flebili carmine celebrantibus Poëtis, ſepulcro autem, quod à lævâ ad tertiam collumnam conſpicitur, hoc Epitaphium ab alumno Demetrio inſcribi juſſit:

Quiſquis es, ſi pius, Platinam
Et ſuos ne vexes; anguſtè
Jacent, & ſoli volunt eſſe.

Hæc *Jovius.* Quibus inſuper de eâdem re aliud adjungendum eſſe cenſeo teſtimonium, quod exſtat apud *Angelum Roccham* in Deſcriptione *Bibliothecæ Vaticanæ* his verbis: (1) *Bartholomæus* PLATINA *Cremonenſis, Vir ſuo tempore doctiſſimus, Scriptor Apoſtolicus, & Sixti IV familiaris, ut alios Bibliothecarios, de quibus nihil ſcriptum reperire potui, ſilentio involvam, Bibliothecæ Vaticanæ ab eodem Sixto IV Pontificatûs anno ſexto, anno Chriſti 1475, Præfectus fuit inſtitutus; atque hujuſmodi munus perpetuum fore decretum eſt. Vt autem tot millium librorum curæ atque conſervationi meliùs incumbi poſſet, idem Sixtus IV duos Cuſtodes fidei ſpectatæ ac diligentiæ Viros, qui Bibliothecarium juvarent, inſtituit, atque hujuſmodi cuſtodiam perpetuò duraturam decrevit, ſicut de Bibliothecario dictum eſt. Inſuper quoque tres Librarios, hoc eſt, Codices, & ſcripta deſcribentes, Latinum ſcilicet, Græcum & Hebræum inſtituit; quibus Paulus IV tres alios, duos videlicet Græcos, unúmque Latinum adjunxit. Marcellus autem Cervinus, Presbyter Cardinalis Tituli S. Crucis in Jeruſalem, qui olim Bibliothecarius fuit, & poſt adeptionem Pontificatûs Marcellus II appellatus eſt, Librorum Correctores, &, ut ſic dixerim, Reviſores duos inſtituit.* Hucuſque *Angelus Roccha.* Vide etiam *Mutij Panſæ* Deſcriptionem Bibliothecæ Vaticanæ Italicam diſſertatione ſeptimâ.

In nugis quibuſdam] Haud obſcurè his verbis alludit ad *Joannis Sariberienſis* doctiſſimum Opus *de Nugis Curialium;* de quo Pag. 2 verſ. ult.

(1) *Bartholomæus* perperàm pro *Baptiſta.* Vide ſuprà pag. 443 & 444.

quo jam olim *Juſtus Lipſius* rectè ac verè pronunciavit, *in eo Centone multos pannos purpuræ ſe agnoſcere, & fragmenta ævi melioris.*

Pag. 4 verſ. 20. Vrbem Mantuam ab Hetruſcis originem traxiſſe] Vide *Livium* lib. 5 & *Plinium* Hiſt. Nat. lib. 3 cap. 18; cujus poſterioris verba ſunt hæc: *In mediterraneo Regionis Decimæ, Coloniæ: Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & Oppida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, MANTVA, Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Cujus loci *Pliniani* prolixam & accuratam explicationem vide apud *Philippum Cluverium* Italiæ antiquæ lib. 1 cap. 26, ubi ex profeſſo agitur *de Gallis Cenomanis*, ac conſequenter de origine & ſitu Vrbis *Mantuæ*, & lib. 2 cap. 1, ubi de *Tuſcorum* varijs nominibus ac genere, & de *Hetruriæ* diviſione in duodecim Populos & Principatus, accuratè fuſéque diſſeritur.

Pag. 4 verſ. 22. Tuſcorum ſiquidem Gentem ex Lydiâ] Secundùm ſuprà laudatum *Philippum Cluverium* contigit hæc *Tuſcorum* migratio ex *Lydiâ* in *Italiam* circa annum ante Chriſti nativitatem milleſimum quingenteſimum decimum tertium.

Pag. 5 verſ. 20. Præter unum Virgilium] Nempe Æneidos lib. 10, ubi ſic canit:

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis,
Qui muros matriſque dedit tibi, MANTVA, nomen.
Mantua dives avis; ſed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex; populi ſub gente quaterni:
Ipſa caput populis; Tuſco de ſanguine vires.

Quem locum præter *Servium* alioſque Virgilij Commentatores eruditè explicat *Cluverius* Italiæ Antiquæ lib. 1 cap. 26. Condita itáque fuit *Mantua* ſeculo ante Chriſtum duodecimo, in quod excidium Vrbis Trojæ, & adventus Æneæ in Italiam, & ſucceſſio ejuſdem in Regno ſoceri ſui Latini incidit.

Sunt

Sunt qui originem tàm vetuſtæ Vrbis Tireſiæ Mantonis patri adſcribant] Vide *Leandri Alberti* Deſcriptionem Italiæ, ubi agitur de Lombardiâ Tranſpadanâ, & ſpeciatim de *Mantuâ*. Pag. 6 verſ. 17.

Ex inventione actio ipſa] Idem enim *Ocnus* etiam appellatus fuit *Bianor*, quaſi animo & corpore fortiſſimus ἀπὸ τῆς βίας ϗ ἀνδρείης, ut docet *Servius* ad Eclogam Virgilianam nonam, in quâ duo paſtores introducuntur *Mantuam* contendentes, & ſub finem alter paſtorum ſic fatur: Pag. 6 verſ. ult.

Hinc adeò media eſt nobis via; namque ſepulchrum
Incipit apparere Bianoris.

Non Mutinenſi bello] Nempe anno Vrbis conditæ 710, ante Æram autem Chriſtianam 44, quo *Decimus Brutus* à *M. Antonio* *Mutinæ* obſeſſus eſt, & ſequenti anno V. C. 711, ante Æram autem Chriſtianam 43, quo *M. Antonius* ab *Auguſto* & Conſulibus *Hirtio* ac *Panſâ* apud *Mutinam*, in quâ *Decimum Brutum* obſederat, prælio victus eſt. Vide *Suetonium* & *Plutarchum* in Vitâ Auguſti. Pag. 7 verſ. 7.

Non Bebriaco] Per *Bebriacum* ſeu potiùs *Bedriacum bellum* intelligitur hîc duplex bellum civile inter *Othonem* & *Vitellium* atque inter *Vitellum* & *Veſpaſianum* uno eodem anno Æræ Chriſtianæ ſexageſimo nono, quorum utrumque acerrimo prælio, apud *Bebriacum* ſeu potiùs *Bedriacum* Vicum, inter *Veronam Cremonámque* ſitum, commiſſo, inſignitum eſt. Teſtatur hoc *Tacitus* Hiſtoriar. lib 2 cap. 23 his verbis: *Annius Gallus, ubi pulſum Cæcinam pergere Cremonam accepit, ægrè coercitam Legionem, & pugnandi ardore uſque ad ſeditionem progreſſam, Bedriaci ſiſtit. Inter Veronam Cremonamque ſitus eſt Vicus, duabus jam Romanis cladibus notus infauſtúſque.* Ad quæ verba *Lipſius* notat, Vicum illum vulgò quidem appellari *Bebriacum*, re verâ autem appellandum eſſe *Bedriacum*. Idem quoque confirmat *Philippus Cluverius* Italiæ Antiquæ lib. 1 cap. 26, pag. 259, 260, 261, 262, 263, ubi de eodem Vico prolixè ſimul atque eruditè diſſerit. Pag. 7 verſ. 8.

Pag. 7 verſ. 14. Quâ ab Atila] Contigit hæc *Atilæ*, vel, ut aliàs promiſcuè ſcriptum legitur, *Athilæ* ſeu *Attilæ*, irruptio in Italiam, & expugnatio atque everſio Vrbis *Mantuæ* A. C. 452.

Pag. 7 verſ. 15. A Cacanno Bavarorum] *Bavarorum* nomen perperàm (1) hîc uſurpatur pro *Avaribus* ſive *Hunnis*, qui poſteà *Hungari* appellati ſunt. Sequitur enim *Platina* eorum opinionem, qui *Bavaros* ita appellatos exiſtimant quaſi *Bojo-Avares*. Meminit hujus opinionis *Antonius Bonfinius* Rerum Hungaricarum Decadis primæ libro nono his verbis: *Antequam Longobardorum in Italiâ à Carolo Magno deleretur Imperium, duobus circiter & triginta annis Vnni, qui poſthac Vngari dicti ſunt, Pannonias repetiſſe dicuntur; nam, ſi eorum Annalibus fortaſſe crediderimus, ab anno Salutis quadrageſimo quarto ſuprà ſeptingenteſimum, à morte verò Atilæ trecenteſimo primo, Conſtantino Leonis filio Imperatore, & Zachariâ Pontifice maximo. Cæteri verò Scriptores maximâ ex parte, quas ſemel occupârunt, Pannonias nunquam deſeruiſſe tradunt. Quod in ſuperiore libro ex Longobardorum bello facilè conjici poteſt, quibuſcum Vnni, qui & Avares dicti ſunt, longum ſæpè fœdus Cachanno Rege icerunt, ſæpéque exacto fœdere magna bella geſsêre. Avares, cum ſedes ſæpè mutaſſent, non tàm à Rege, quàm ab inconſtantiâ, ut mea fert opinio, ſumpsêre nomen, & vetuſtiſſimi Scythiæ fuêre populi, magnâ cum Vnnis cognatione conjuncti, & pro Vnnis habiti. Sed cùm Vindelicos occupâſſent, BAVARI, ut plerique ſentiunt, à Boijs & Avaribus appellati, nonnulli, ut ſuprà diſſeruimus, Bojoarios eos dixêre.* Hæc *Bonfinius*. Ejuſdem quoque opinionis ambiguam facit mentionem *Joannes Aventinus* in principio Libri primi Annalium Bojorum. *Marcus* autem *Velſerus* Rerum Boicarum libro primo eandem prorsùs damnat his verbis: *Inventi denique, qui Avarum appellatione huc abutentur; nam Bavaros ex Boijs & Avaribus coijſſe exiſtimant. At Bavarorum appellationem recentem à Bajoarijs fluxiſſe, Bojoarios nomen Boijs debere, erit cum docebimus.* Similiter & *Philippus Cluverius* circa finem capitis tertij

(1) Eodem modo idem *Bavarorum* nomen uſurpatur à *Blondo Forliviensi* in Italiâ illuſtratâ, ubi agitur de Lombardiâ, & quidem ſpeciatim de Vrbe Mantuâ, pag. 361 editionis Baſileenſis A. 1559 in folio.

tertij Deſcriptionis Vindeliciæ & Norici: *Bojorum ex Boiohæmo ſub Auguſto Cæſare in Vindeliciam commigrationem hactenùs adſeruiſſe ſufficiat. Nomen eorum poſteà in Vindeliciâ variè ab inferioris ſeculi ſcriptoribus formatum fuit; quibus paſſim dicuntur Boioarij, Bojovarij, Bajoarij, Baiovarij, Bajuvarij, Bajobari, Baibari, Baivarij, & poſtremùm BAVARI: ex quo quibuſdam nugandi occaſio arrepta, nomen hoc ex BOIIS & AVARIBVS eſſe compoſitum.*

Ab Agilulpho Longobardorum Rege] Expugnatio hæc Vrbis *Mantuæ* per *Agilulphum* Regem Langobardorum, cui *Cacanus* Rex Avarum magnam Sclavorum multitudinem auxilio miſerat, contigit A. C. 603. Meminit ejus rei *Paulus Diaconus Aquilejenſis* libri quarti de Geſtis Langobardorum capite vigeſimo nono his verbis: *Erat autem in ijs diebus adhuc diſcordia Longobardis cum Romanis propter captivitatem filiæ Regis. Quâ de causâ Agilulfus Rex egreſſus Mediolano menſe Julio, obſedit civitatem Cremonenſem cum Sclavis, quos ei Cacanus Rex* (1) *Avarium in ſolatium miſerat, & cepit eam duodecimo Kalendas Septembris, & ad ſolum uſque deſtruxit. Pari etiam modo expugnavit MANTVAM, & interruptis muris ejus cum arietibus, veniam dedit militibus, qui erant in eâ, revertendi Ravennam, ingreſſus in eam die Iduum Septembrium.* Hæc *Paulus Diaconus.* Quamvis igitur *Platinæ* verba primo intuitu ita videantur intelligenda eſſe, ac ſi *Cacannus* Rex Avarum & *Agilulfus* Rex Langobardorum *Mantuam* duobus diverſis temporibus ſeparatim expugnaverint, re verâ tamen una tantùm hæc fuit expugnatio, ab utroque Rege conjunctim facta, nempe *Agilulfi* quidem ductu, *Cacanni* autem auxilio. Pag. 7 verſ. 15.

Pulſis deinde à Carolo Magno Longobardis] Contigit hoc anno Chriſti 774, quo *Deſiderius*, ultimus Langobardorum in Italiâ Rex à *Carolo Magno*, Rege Francorum, Ticini per deditionem captus, & unà cum Vxore in Franciam abductus eſt. Pag. 7 verſ. 17.

(1) In *Hiſtoria Langobardica Pauli Diaconi Aquilejenſis* vetuſtiſſimo Codice manuſcripto Cæſareo membranaceo, ante octingentos ſeptuaginta quatuor annos, ipſo *Pauli Diaconi* & *Caroli Magni* nondum Imperatoris ævo, exarato, pro *Avarium* legitur *Avarorum.*

Pag. 7 verſ. 20. In quâ haud ita multo pòſt Chriſti ſanguis] Secundùm hanc *Platinæ* narrationem, ut & ſecundùm *Blondum Forlivienſem* in Italiâ illuſtratâ & *Raphaelem Volaterranum* Commentariorum Vrbanorum lib. 4, contigit inventio pretioſiſſimi *Sanguinis Chriſti Mantuæ* tantùm *ſemel*, nempe A. C. 807, ſeu potiùs, ut paulò pòſt demonſtrabitur, A. 804, ſub Papâ *Leone III* & Imp. *Carolo Magno*. *Marius* autem *Æquicola* libro primo Commentariorum Hiſtoriæ Mantuanæ, *Hippolytus Doneſmondus* libro tertio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Mantuanæ, & in Chronologiâ Mantuanâ, ut & *Antonius Poſſevinus Junior* libro primo Hiſtoriæ Gonzagæ, inventionem illam *bis* contigiſſe aſſerunt: primùm videlicet A. C. 804 ſub Papâ *Leone III* & Imp. *Carolo Magno*: ſecundùm autem A. C. 1048 ſub Imp. *Henrico III*, cùm Sedes Apoſtolica vacaret inter obitum Papæ *Clementis II* & electionem Papæ *Damaſi II*, *Mantuæ* verò præeſſent *Bonifacius* & *Beatrix*, parentes celeberrimæ Comitiſſæ *Mathildæ*. Cauſam enim ſecundæ occultationis ſacratiſſimi Sanguinis ajunt fuiſſe *Hungarorum* irruptionem in Italiam anno Chriſti circiter 903 ſecundùm *Poſſevinum*, anno autem 923 ſecundùm *Doneſmondum*. Ipſa *Poſſevini* verba lib. 1 pag. 64 & 65 ſunt hæc: *Redditâ Italiæ pace, & nullis vicinorum in Mantuanos injurijs, Supremi Numinis in Civitatem pietas ſacratiſſimi* CHRISTI SANGVINIS *detectione innotuit, plures annos in incerto habiti. Imminentibus enim Italiæ Pannonijs, Salutis anno circiter 903, religionem profeſſi, ſpes Vrbis ac populorum in tuto credentes, quanquam ſolo æquatâ Civitate, ſi* CHRISTI SANGVIS *ſervaretur, illum effoßâ humo condiderant. Quibus è medio ſublatis, (ſeu bello, ſeu fato contigerit) res in ſilentium verſa, nec quo loco abditus foret inquiſitum. Credebatur tamen intra muros eſſe, quòd publicæ privatâque, propriæ ac exteræ ſcripturæ, nec non tranſmiſſa ad poſteros memoria, quæ ſæpè plùs quàm Annales viget, supereſſent. Sed nullâ loci conjecturâ, credere tantùm irritâ ſpe licebat. Quâ ſede tegebatur, Adelbertus quidam ſanctitate & oculorum tabe notus degebat, Beatricis munificentiâ trahere ævum ſolitus, & diurna alimenta precariò expedire. Huic quartâ die Martij anni milleſimi quadrageſimi octavi per inſomnium Divus Andreas ſeſe canitie conſpicuum crucique innixum obtulit, & ad Beatricem ire juſſit, doceréque, vicinum agrum effoderet; reperturam humanæ ſalutis pretium,* quod

quod nullo cultu, neſcientium greſſibus calcaretur. Obtemperat Beatrix; (nam & Numine & miſelli hominis pietate urgebatur) nec tamen, longo licet ſtudio & acceleratâ operâ, aliud quàm humus egeſta eſt, ducto altè ſpecu, quo ingens terræ vis effoſſa. Qui religione illecti, ſponte aut juſſi, humum ſubtus vertebant, ut principio ardentes, ſic diutiùs irrito conatu poſtmodùm fatigati, cùm nullo indicio futuræ ſpei laſſarentur, deſtitêre. Adelbertus irriſui a contemptui habitus eſt, quaſi ignoratione, aut ſtultitiá credidiſſet. Cives ipſi Beatricem publico ac ſecreto lacerabant, quòd facilis in vanitatem & plebei hominis promiſſa fuerit, celari conſilia oportuiſſe, ut diſſimulatione propoſiti, ſi fefelliſſent, excuſaretur; cœcos, quo magis extra lucem rerúmque formas agunt, eo frequentioribus ac inanioribus ſpectris colluctari, inſanientis nugantiſque animi conatus per notas ac certas res non intercipientibus oculis. Illa tamen firmata hortatu meliorum, Adelberti inſuper ſacramento fidebat. Calendis Aprilis eadem ſancto Viro per ſomnium monita: jubetur ad Beatricem revertere, &, quod quæſierat, certo certiùs reperturam docere. Illa, quòd minimo diſpendio magnæ rei periculum faceret, eodem horto terram pluribus locis effodi jubet, nullo ſacri SANGVINIS indicio. Hinc contemni, deludi, excludi Adelbertus, & ſomniorum repertor dici, omnémque fortunæ culpam ſubire. Tertiá Maij ſopitus Adelbertus, eundem Divum, humanâ ſpecie majorem, adſtantem videt, primùm ſecordiæ improperantem, mox jubentem Beatricem doceri, ardua rerum non niſi placato Numine delibari. Proinde votis, vigilijs ac ſupplicationibus Cives inſiſterent; Epiſcopus Clero comitante accederet, &, quá parte ſolum tremere viſum foret, laboraret; habiturum Mantuam atque adeò Italiam omnem Dei Opt. Max. beneficio minimæ diligentiæ ſummâ præmia. Agnovit Princeps fœmina, neglectis religionibus, irritos mortalium conatus eſſe; proinde jejunio, ſupplicationibus, in egenos largitionibus plus ſolito inſiſtit, &, comitante Epiſcopo, Hoſpitalis domûs horto certiori ſpe ſuccedit. Illico agri pars, quæ Reliquias tegebat, concuti ac intumeſcere viſa; quod fidem Adelberti approbavit, erutúſque eſt longo annorum tractu deſideratus Mantuanis Theſaurus & abditus, cujus in adverſis certum ſubſidium experimento didicerant. Columna erat, cujus ſuprema impoſito marmore claudebantur. Intus Pyxis, cui binæ vitreæ ampullæ ſuberant. Harum altera ſacroſanctum SANGVINEM; SPONGIAM altera ſervabat. Sed & lamina plumbea reperta, manifeſto cum titulo: IHV CHRISTI SANGVIS. Hæc *Poſſevinus.* Qui cùm pro veritate hujus narrationis citet vetuſtum aliquod Chronicon

nicon manuſcriptum Archivi Ducalis Mantuani, ipſam quidem illam ſecundam *Sanguinis Chriſti* occultationem & detectionem in medio relinquo; quod ad tempus autem attinet *Hungaricæ* iſtius irruptionis, quæ Mantuanis occultandi pretioſiſſimi *Sanguinis Chriſti* neceſſitatem impoſuit, facere non poſſum, quin obiter moneam, confundi à *Poſſevino* & *Doneſmondo* duas diverſas *Hungarorum* in Italiam irruptiones, quarum altera A. C. 902, altera autem A. C. 924 contigit. Quâ de re inprimis conſulendi ſunt Emin. Cardinalis *Baronius* Annalium Eccleſiaſticorum Tomo decimo & *Carolus Sigonius* Hiſtoriarum de Regno Italiæ libro ſexto ſub annis Chriſti 902, 903 & 924; quo poſtremo loco ſic ſcribit: *Rodulfo inde abſente, & Berengario mortuo, Vngari tantam occaſionem haud temerè dimittendam rati, exeunte anno Salardo duce rurſus Lombardiam adorti, MANTVAM, Brixiam & Bergomum impotenti populatione diripuerunt. Papiam inde progreſſi*, &c.

Pag. 8 verſ. 5, 6. Pontificem in celebritate Aſcenſionis Chriſti Mantuæ futurum] Hoc manifeſtè repugnat *Eginhardi*, qui eodem tempore vixit, aliorúmque ejuſdem ævi anonymorum Autorum *Annalibus Francicis*, utpote ubi expreſsè & unanimi conſenſu traditur, nuncium *de Sanguine Chriſti Mantuæ reperto* ad Imp. *Carolum Magnum* perveniſſe anno Chriſti *octingenteſimo quarto*, & quidem *æſtate*, eóque accepto, Imperatorem ad Papam *Leonem III* miſiſſe, & ab eo petijſſe, ut de veritate hujus famæ inquireret; Pontificem verò, intellectâ Imperatoris voluntate, inquiſitionis iſtius causâ in Langobardiam eſſe profectum, & *medio Novembri* curâſſe Imperatori indicari, ſe, peractâ viſitatione *Mantuanâ*, ad ipſum venire, & Natalem Domini cum eo celebrare velle, idque contigiſſe in Galliæ Belgicæ Oppido *Cariſiaco* ad *Saram* fluvium in Picardiâ, vulgò nunc dicto *Creſſy ſur Serre*. Ipſa *Eginhardi*, teſtis omni exceptione majoris, verba ſecundùm editionem *Andreæ du Cheſne* Tomo ſecundo Syntagmatis Scriptorum Hiſtoriæ Francorum ſunt hæc: *Anno Chriſti octingenteſimo quarto, medio Novembri, nunciatum eſt Imperatori, Leonem Papam Natalem Domini ſecum celebrare velle, ubicunque hoc contingere potuiſſet. Quem ſtatim, miſſo ad Sanctum*

Sanctum Mauricium Karolo filio ſuo, honorificè ſuſcipere juſſit; ipſe ad Remorum Civitatem obviam illi profectus eſt, ibique ſuſceptum, primò Cariſiacum villam, ubi Natalem Domini celebravit, deinde Aquaſgrani perduxit, & donatum magnis muneribus, per Bajoariam ire volentem deduci fecit uſque Ravennam. Cauſa adventûs ejus hæc erat. Perlatum fuerat ad Imperatorem æſtate præteritâ, CHRISTI SANGVINEM IN MANTVA fuiſſe repertum. Propter hoc miſit ad Papam, petens ut hujus famæ veritatem inquireret. Qui, acceptâ occaſione exeundi, primò in Langobardiam quaſi pro inquiſitione prædictâ profectus eſt, indéque arrepto itinere, ſubitò ad Imperatorem uſque pervenit, manſitque apud illum dies octo, &, ſicut dictum eſt, Romam repedavit. Hæc *Eginhardus.* Hinc igitur luculentiſſimè apparet, Papam *Leonem III* non *verno tempore in Feſto Aſcenſionis Domini* fuiſſe *Mantuæ*, ſed *tempore autumnali*; menſe videlicet *Novembri*, non autem *Septembri*, ut *Hippolytus Doneſmondus* exiſtimat. Similiter quoque inde patet, quàm falſum ſit, quod *Antonius Poſſevinus Junior* refert, Imperatorem *Carolum Magnum* de *Sanguine Chriſti Mantuæ* reperto nuncium accepiſſe *Spoleti* in Italiâ, & unà cum Papâ *Leone III* eodem tempore eandémque ob cauſam *Mantuam* tunc inviſiſſe. Ipſa *Poſſevini* verba, ne injuriam illi facere videar, pag. 29 ſunt hæc: *Aperta jam erat Italia, & à Longobardis ad Gallorum Regem Romanorúmque Imperatorem Carolum Magnum Regnum omne tranſiverat, cùm Salutis anno octingenteſimo quarto Mantuam convenêre Principes Viri, obſequio in Imperatorem ac Pontificem, nec non futuris expeditionibus, quas Cæſar in Germanos parabat, opem præſentiâ allaturi. Sed veritatis teſtimonio, motore Numine, totâ Europâ Leo tertius Pontifex, Imperator, Duces, Marchiones, ac longè ſitarum Gentium Legati acceſsêre. Multos quippe ante annos abditus Servatoris JESV CHRISTI SANGVIS, nec ulli mortalium cognitus, Divino inſtinctu detectus eſt, & iis temporibus, quibus & famæ & veritati conſuleretur. Teſtes ſibi proceres univerſi Orbis Deus eſſe voluit, evocavitque ſedibus patriis, ut contexti forent. Præceſsêre è Cœlo miracula, & cœleſtis oſtentatio: mutis per vota locutio, ſurdis auditio, reſolutis inceſſus, tabidis vivida ſalus reddita. Jam Vrbs Mantua non decore, aut immunitatibus tanto favori aſſueta, plena exterorum erat, quos pietas in ſacroſanctas Reliquias, aut fides obtinendæ gratiæ rapuerant. Neque enim ulla cupitis mora; poſcere & obtinere, orare & exaudiri, vovere & accipere in idem erant. Pervaſit ergò*

 primùm

primùm Inſubriam omnem, ac adjacentes Mantuæ Civitates fama miraculi. In Vrbem alij, ubi Leo Pontifex, Spoletum alij, ubi Carolus Imperator conſederat, tàm magna allaturi proceſsêre. Hinc viſendi deſiderium, & vera ſeu in fabulam compoſita intuendi. Accurritur procedente Carolo ac Leone ab univerſis. Multo enim antè apud Vrbem inter Patres agitato, an teſtibus fides, an fama veritas conſtaret, mittendos qui viſerent ac referrent, ſancitum fuerat. Sed nemo Pontifice aptior viſus eſt: has eſſe Sedis Apoſtolicæ curas; prorsùs expedire Papam noſcere, quæ ſit decreturus. Ergò Eccleſiaſticorum numero ſeptus, & vidit, &, ut cæteris exemplo eſſet, proſtratus adoravit. Plumbea ſimul lamina reperta eſt, teſtimonio fidei olim Sanguini addita, cui inſculptum erat: JESV CHRISTI SANGVIS; ut de importatoris ſcientiâ innoteſceret. Hæc rhetoricâ affectatione *Poſſevinus.* Quæ ſi quis cum ſuprà exhibitâ *Eginhardi* ſimplici, ſed veriſſimâ, narratione contulerit, fabuloſam veritatis interpolationem primo intuitu deprehendet.

Pag. 8 verſ. 18. Clariſſimæ Mathildis] Vide ſuprà pag. 446 & 453. Vitam hujus *Mathildæ* ex profeſſo duobus libris metricè conſcripſit *Domnizo Presbyter*, qui & viventi familiaris fuit, & defunctæ parentavit. Exſtat hoc Poema in Syntagmate Veterum Monumentorum pro *Gregorio VII*, alijſque nonnullis Pontificibus Romanis contra Schiſmaticos olim conſcriptorum, à V. CL. *Sebaſtiano Tengnagelio*, Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis tertio ante me Præfecto, Ingolſtadij A. 1612 in quarto edito. Conſulendus etiam eſt Em. Cardinalis *Baronius* Annalium Eccleſiaſticorum Tom. XImo & XIImo ab anno Chriſti 1045, quo *Mathilda* nata eſt, uſque ad annum 1115, quo ſeptuageſimum ætatis annum agens, die vigeſimo quarto Julij obijt. Huc quoque pertinet *Silvani Razzi* Camaldulenſis Liber ſingularis de Vitâ & rebus geſtis *Comitiſſæ Mathildæ*, Italico ſermone editus Florentiæ typis Bartholomæi Sermartelli A. 1587 in octavo.

Pag. 8 verſ. 20. Blondi Forlivienſis] Vide ipſius Italiam Illuſtratam in deſcriptione Lombardiæ, pag. 361 editionis Baſileenſis Frobenianæ A. 1559 in folio.

Cùm

Cùm hoc anno Salutis octingenteſimo ſeptimo acciderit] Locus hic neceſſariò corrigendus eſt, & pro *anno Salutis octingenteſimo ſeptimo* ſcribendum eſt *octingenteſimo quarto*; ut patet ex ſuprà citato teſtimonio *Eginhardi*, cui tanquam Scriptori ſynchrono ſine ullâ controverſiâ magis credendùm eſt, quàm *Platinæ*. Vide ſuprà pag. 474 & 475. Pag. 8 verſ. 23, 24.

Beatrix verò & Mathildis, nobiliſſimæ Fœminæ, ſeptuageſimo ſeptimo ſuprà milleſimum, Stephano nono Pontifice Romano floruerint] Chronologia hæc manifeſtè falſa eſt: *Stephanus* enim, *Nonus* ejus nominis Pontifex Maximus, *Godefridi* Lotharingiæ Ducis frater, qui ab alijs etiam vocatur *Decimus*, electus eſt Pontifex die ſecundo Auguſti anni 1057, &, cùm menſes ferè octo ſediſſet, Florentiam profectus, ibi deceſſit d. 29 Martij A. 1058. Huc inſuper accedit, quod certò conſtat, *Beatricem*, Comitiſſæ *Mathildæ* matrem obijſſe A. C. 1076 d. 18 Aprilis, ut teſtatur *Domnizo Presbyter*, autor coætaneus, in Vita *Mathildæ*, libri primi capite ultimo, his verſibus: Pag. 8 verſ. 24, 25, & pag. 9 verſ. 1.

Plena bonis factis dictiſque referta BEATRIX,
Cunctis cara nimis, magnis parvis quoque, Piſis
Ægra manens, vitâ de præſenti benè migrat,
Octo decémque dies Aprilis dum ſinit ire.
Chriſti poſt ortum verâ de Virgine corpus
Anno milleno bis terno ſeptuageno.
Conditur Piſis; lucem videat Paradiſi.

Reformanda igitur ſunt ſuprà exhibita *Platinæ* verba hoc modo: *Beatrix verò & Mathildis, nobiliſſimæ Fœminæ, ſeptuageſimo ſexto ſupra milleſimum, Gregorio ſeptimo Pontifice Romano, floruerint.* Anni enim *milleſimi ſeptuageſimi ſexti* idcircò expreſſa hîc fit mentio, quia is *obitu Beatricis* & *initio regiminis Mathildæ* præ cæteris celebris eſt ac notabilis.

Pag. 9 verſ. 5. Acceptâ à Joanne Octavo Imperij Coronâ] Contigit hoc Romæ A. C. 875 d. 25 Decembris in Feſto Nativitatis Chriſti. Vide antiquos anonymi Autoris Annales Francorum Fuldenſes & Card. *Baronij* Annal. Eccleſ. Tom. X ſub anno 875.

Pag. 9 verſ. 8, 9. Mantuæ à Sedechiâ Judæo, quo Medico utebatur, veneno appetitus moritur.] Sequitur *Platina* hoc loco autoritatem *Blondi Forlivienſis*, qui in Italiâ Illuſtratâ de eâdem re ſic ſcribit: *Carolus Calvus, Magni filius* (immò nepos) *MANTVÆ veneno interijt; quod Hebræus Medicus pecuniâ corruptus dedit.* Eadem traditio, quòd nempe *Imp. Carolus Calvus Mantuæ* veneno perierit, exſtat apud *Joannem Cuſpinianum* in Opere de Cæſaribus & Imperatoribus Romanorum, apud *Octavium Stradam* in Opere de Vitis Imperatorum Romanorum, antiquis Numiſmatibus æri inciſis exornato, apud *Hubertum Goltzium* in Elogijs ad Icones Imperatorum Romanorum, & apud complures aliós Autores recentiores. *Philippus* autem *Labbeus* Chronologiæ Hiſtoricæ Parte ſecundâ ſub anno Chriſti 877, in quem ſine ullâ controverſiâ *Imp. Caroli Calvi obitus* die quinto vel ſexto Octobris incidit, *Mantuæ* id contigiſſe negat, exiſtimans, hanc de *Mantuâ* traditionem propter ſimilitudinem nominis falsò inde ortam eſſe, quòd *Imp. Carolus Calvus* in Monaſterio Ordinis S. Benedicti in *Breſſiâ* inter *Genevam* & *Lugdunum*, *Nantuâ* dicto, ſepultus ſit. Ipſa ejus verba ſunt hæc: *Anno Chriſti DCCC LXXVII Carolus Calvus Placitum ſuum generale Kal. Iulij habuit, in quo multa de tributis decreta capitula, & de adminiſtratione Regni à Ludovico filio, dum ipſe Imperator Romà rediret. Ipſe ergo per Sueſſionas, Remos, Catalaunos, Pontigonem, Lingonas & Vrbam venit in Italiam, ac Vercellis obvium habuit Papam (Joannem Octavum); quicum Papiam & Tardunam acceſſit, ubi Richildis in Imperatricem coronata eſt: auditóque nuncio de proximo Carlomanni nepotis ſui exercitu, Richildem cum Theſauro Moriennam dimiſit. Quam cùm ipſe paulo poſt ſequeretur, ebibito pulvere intoxicato, quem Sedecias quidam Judæus ejus Medicus ad febrem abigendam paraverat, inter manus portantium, tranſito monte Cinìſio, undecimo die poſt venenum hau-*

ſtum,

ſtum, in viliſſimo tugurio loci, qui Brios dicitur, mortuus eſt; pridie, vel ut alij, tertio Nonas Octobris; cúmque propter fœtorem deportari non poſſet, in NANTVA ſeu NANTOADE, (unde occaſio fabulæ de MANTVA apud Calviſium alióſque paſſim) cellâ Monachorum; hoc eſt, Prioratu, Diœceſis Lugdunenſis, ſepultus eſt. Hæc & his longè plura ſubminiſtrant curioſis Annales Bertiniani, Metenſes, Hugo Abbas Flaviacenſis, Annales Fuldenſes, Flodoardus, & Chronicon Floriacenſe. Hucuſque R.P. *Labbeus.* Cùm igitur decidendæ hujus controverſiæ causâ præcipuè conſiderandum ſit, quouſque *Imp. Carolus Calvus* in ultimo illo ſuo Itinere Italico perrexerit in Italiam, & an is re verâ tunc *Mantuam* pervenerit, exhibeo hîc ex vetuſtiſſimis illis Monaſtetij S. Bertini Annalibus Francicis, ab *Andreâ du Cheſne* Tomo tertio Syntagmatis Scriptorum Hiſtoriæ Francorum editis, & ſuprà à R.P. *Labbeo* citatis, integram ejus rei narrationem, quæ eſt talis: *Anno Chriſti DCCCLXXVII Dominus Imperator Carolus de Cariſiaco Compendium, indéque per Sueſſionem ad Remum Civitatem, & ſic iter ſuum per Catalaunos & Pontigonem atque Lingones peragens, cum Vxore, & maximâ auri & agenti, caballorúmque ac facultatum aliarum copiâ, de Franciâ Italiam petijt. Et veniens ultra Jurum uſque ad Vrbam, obviam habuit Adalgarium Epiſcopum, quem menſe Februario Romam direxit pro agendâ Synodo à Papa Joanne, cujus exemplar iſdem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit. Summa verò ejuſdem Synodi poſt multas & multiplices laudes Imperatoris hæc eſt: ut electio & promotio ad Imperialia Sceptra, anno præterito Romæ celebrata, ex tunc & nunc & in perpetuum firma & ſtabilis maneat. Quam ſi quis perturbare aut violare tentaverit, cujuſcunque ſit ordinis aut dignitatis vel profeſſionis, anathemate uſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore adnexus. Patratores & incitatores hujus conſilij, ſiquidem Clerici fuerint, deponantur; laici verò & Monachi perpetuo anathemate feriantur: ut quia Synodus anno præterito apud Pontigonem hinc habita ſecus Andernacum nil profuit, uſquequaque iſta debeat prævalere. Nunciavit etiam inter alia iſdem Adalgarius Imperatori, quoniam Joannes Papa obviam illi Papiam veniret. Quapropter præmiſit Odacrum ſecundi Scrinij Notarium, Coiramnum Comitem, & Pippinum atq; Heribertum, ad procuranda ipſius Papæ ſervitia. Ipſe autem feſtinatò perrexit ad eum, quem obviàm habuit apud Vercellis civitatem. Et eo recepto cum honore maximo, perrexerunt ſimul uſ-*

que

que PAPIAM. *Vbi eis nunciatum eſt non incertâ relatione,* Carolomannum *Hludowici fratris ſui filium cum maximâ multitudine bellatorum ſuper eos venire. Quapropter relinquentes Papiam, venerunt ad Tardunam. Et conſecrata Richildis à Papa Joanne in Imperatricem, mox retroſùm fugam arripuit cum theſauro verſus Moriennam. Imperator autem aliquamdiu unà cum Joanne Papâ in eiſdem locis immorans, exſpectavit Primores Regni ſui, Hugonem Abbatem, Boſonem, Bernardum Arvernicum Comitem, itemque Bernardum Gotiæ Markionem, quos ſecum ire juſſerat. Qui unà cum alijs Regni Primoribus (exceptis paucis, & Epiſcopis) adverſus eum conſpirantes, conjuraverunt. Et comperiens eos non venturos, ut audierunt ipſe & Papa Joannes appropinquare Carolomannum, Imperator poſt Richildem fugam arripuit, & Papa Joannes verſus Romam concitè feſtinavit. Per quem Carolus Imperator Imaginem Salvatoris in Cruce fixi ex auro multi ponderis fabrefactam, & gemmis precioſis ornatam, ſancto direxit Petro Apoſtolo. Carolomannus verò mendaci nuncio audiens, quòd Imperator & Papa Joannes ſuper eum cum multitudine maximâ bellatorum venirent, & ipſe fugam arripuit per viam, quam venerat. Sicque Deus more miſericordiæ ſuæ conventum illum diſſolvit. Carolus verò febre correptus pulverem bibit, quem ſibi nimiùm dilectus ac* (1) *credulus Medicus ſuus Judæus nomine Sedechias tranſmiſit, ut eâ potione à febre liberaretur. Quo inſanabili veneno hauſto, inter manus portantium, tranſito monte Ciniſio, perveniens ad locum, qui Brios dicitur, miſit pro Richilde, quæ erat apud Moriennam, ut ad eum veniret, ſicut & fecit; & undecimo die poſt venenum hauſtum in viliſſimo tugurio mortuus eſt* II *Nonas Octobris. Quem aperientes qui cum eo erant, ablatis interaneis, & infuſum vino ac aromatibus, quibus poterant, & impoſitum locello, cœperunt ferre verſus Monaſterium S. Dionyſij, ubi ſepeliri ſe poſtulaverat. Quem pro fœtore non valentes portare, miſerunt eum in* (2) *tonnâ interiùs exteriùſque picatâ, quam corijs involverunt; quod nihil ad tollendum fœtorem profecit. Vnde ad Cellam quandam Monachorum Lugdunenſis Epiſcopij, quæ* NANTOADIS *dicitur, vix pervenientes, illud corpus cum ipsâ tonnâ terræ mandaverunt.* Hæc coætaneus Annalium Bertinianorum.

---

(1) Apud anonymum Aimoini continuatorem pro *credulus* legitur *creditus*. (2) *Tonna*, vas, ex Germanico vocabulo *Tonne*. Vide Voſſ. de Vitijs Sermonis lib. 2 cap. 18, pag. 298.

norum Autor. Vnde luce meridianâ clariùs apparet, (1) *Imp. Carolum Calvum* in ultimo illo ſuo itinere Italico non proceſſiſſe ultra *Papiam*, ideóque nec *Mantuam* perveniſſe, ſed *Papiâ* revertiſſe *Tardunam*, hoc eſt, ut ego interpretor, *Dertonam*, vulgò nunc *Tortona* dictam, & poſt Papæ *Joannis Octavi* diſceſſum febri cœpiſſe laborare, hauſtóque per fraudem Medici Judæi loco remedij febrilis veneno, reditum in Galliam nihilominus continuâſſe, ac tandem ſuperato Sabaudiæ monte *Ciniſio*, vulgò nunc *Mont-Cenis* dicto, in *Breſſiâ*, vulgò *la Breſſe*, Sabaudiæ olim, nunc autem Regni Galliæ Regione, in viliſſimo tugurio obijſſe, & ob intolerabilem cadaveris fœtorem ſepultum eſſe in Monaſterio Ordinis S. Benedicti, *Nantuâ* dicto, quod in *Comitatu Beugienſi*, qui *Breſſiæ* pars eſt, jacet, & ad *Diœceſin Lugdunenſem* pertinet. Hinc porrò etiam elucet, quantum erret doctiſſimus Geographus *Abrahamus Ortelius*, dum in Theſauro ſuo Geographico ſic ſcribit: *Brios, locus prope Vercellas, ubi Carolus Junior Imperator obijt. Brios* enim non ſignificat hic locum prope *Vercellas* cis Alpes in Italiâ, ſed partem Regni Gallici trans Alpes, quæ appellatur *Breſſia* ſive *la Breſſe;* errandique occaſionem *Ortelio* præbuit *Onuphrius Panvinius*, qui Libro tertio de Romanis Principibus Imp. Caroli Calvi mortem ac ſepulturam refert his verbis: *Obijt pridie Nonas Octobris anno Domini DCCC LXXVII prope Vercellas, loco qui Brios dicitur. Cadaver ſepultum Vercellis in Eccleſiâ Sancti Euſebij, & ſeptimo anno poſt ad S. Dionyſium Pariſios translatum eſt.* Hæc *Onuphrius.* Is verò errorem hunc hauſit ex *anonymi Aimoinianæ Hiſtoriæ Continuatoris* capite trigeſimo quinto Libri quinti de Geſtis Francorum, ubi, poſtquam ijſdem verbis, ac ſuprà citatus *Annalium Bertinianorum* Autor coætaneus, *Imp. Caroli Calvi* ultimum Iter in Italiam, & reditum ex Italiâ per montem *Ciniſium* uſque ad locum, *Brios* dictum, rectè ac verè narravit, falsâ deinde ac prorsùs abſurdâ ſequentium verborum *Bertinianorum* immutatione de ſepulturâ ejuſdem Imperatoris hæc ſubjungit: *Quem præ odore non valentes portare, ſepelierunt eum in Baſilicâ Beati Euſebij Martyris in Civitate*

(1) Vide etiam Chronicon *Rheginonis* ſub anno Chriſti 877.

te Vercellenſi, ubi requievit annis ſeptem. Poſt hæc autem per viſionem delatum eſt corpus ejus in Franciam, & honorificè ſepultum in Baſilicâ Beati Dionyſij Martyris apud Parrhiſios. Atenimverò etſi falſitas hujus traditionis de *Vercellenſi Imp. Caroli Calvi ſepulturâ* ex ſolâ diſtantiâ inter *Vercellas* & *Montem Ciniſium*, ultra quem trans Alpes *Brios* fuit, ſatis luculenter pateat, auctarij tamen loco exhibebo hîc ejuſdem Imperatoris *Epitaphium*, quod in *Nantuenſi* ſeu *Nantuacenſi Monaſterio* olim exſtitiſſe *Claudius Robertus*, Lingonenſis Presbyter, in *Galliæ* ſuæ *Chriſtianæ* eâ Parte, quam *Nomenclaturam Abbatiarum Galliæ* inſcripſit, refert his verbis: *NANTVA vel NANTVACVM, olim Abbatia Ordinis Benedictini Diœceſis Lugdunenſis, poſteà in Prioratum conventualem viginti quinque Monachorum Congregationis Cluniacenſis redacta, S. Hugone ipſius Abbate ultimo in Cluniaci Abbatem electo; cujus rei fit mentio in Bullâ Paſchalis II A. C. 1100 decimo ſeptimo Calendas Decembris, Indictione octavâ. Cujus Prioratûs poſſeſſionem adipiſcitur A. 1606 d. 23 Junij Andreas Fremyot Archiepiſcopus Bituricenſis per Procuratorem Claudium du Plaſtre Infirmarium, ex reſignatione Tiberij Muti, poſteà Cardinalis. NANTVA verò poſita eſt mediâ ferè viâ inter Lugdunum & Genevam in Comitatu Beugij. Abbatia autem fuit fundata à S. (1) Amando tempore Gregorij Magni Papæ, Phocâ Imperatore, Childeberto Rege dotatore, anno quinto Regni, diplomate Pariſijs dato; Qui Rex Amando dedit locum NANTVACVM, ubi olim Oſindenſis Civitas; ut eſt in M. S. C. & apud Surium VIII Idus Februarij. Hujus quoque loci Abbas Siagrius intereſt Sacro Pipini, à Papâ Stephano apud S. Dionyſium peracto, & ab eodem Stephano Epiſcopus Oſtienſis factus. Hîc etiam aliquot annos quievit corpus CAROLI CALVI Regis & Imperatoris, quouſque transferretur in Ædem Dionyſianam Pariſiorum A. 894. Cujus CAROLI effigies ſpectabatur in pariete, antequam dealbaretur Eccleſia A. 1599 cum hoc Epitaphio:*

Hoc Domini CAROLI ſervantur membra ſepulcro,
Conſpicuus Romæ qui fuit Imperio,

Darda-

(1) Traditionem hanc de fundatione Monaſterij Nantuacenſis per *S. Amandum* prolixè refutant RR. PP. *Bollandus* & *Henſchenius* S. I. in Actis Sanctorum d. 6 Februarij & *Carolus de Cointe* in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ſub anno Chriſti 679.

Dardanidæque ſimul gentis, non ſceptra relinquens,
Sed potiùs placidè Regna tenens alia:
Eccleſiámque pio tenuit moderamine Chriſti,
Semper in adverſis tutor & egregius.
Italiam pergens febribus corrumpitur atris,
Et rediens noſtris abijt in ſinibus.
Quem Deus excelſis dignetur jungere turmis,
Sanctorúmque choris conſociare pijs.
Quinta dies menſis lumen cùm panderet Orbi
Octobris, ſpiritum reddidit iſte Deo.

Plura de *Monaſterio* hoc *Nantuenſi* ſeu *Nantuacenſi* vide apud *Samuelem Guichenonum* in Hiſtoriâ Breſſiæ & Beugeſiæ, apud RR. PP. *Joannem Bollandum* & *Godefridum Henſchenium* S. I. in Actis Sanctorum diei ſextæ Februarij, ubi agitur de *S. Amando*, & apud *Carolum de Cointe* Tomo tertio Annalium Eccleſiaſticorum Francicorum ſub anno Chriſti 679.

Conrado Suevo imperante] Is eſt *Imp. Conradus III*, filius *Agnetis* ſororis *Imp. Henrici V*, Dux Sueviæ, qui poſt *Imp. Lotharium Saxonem* cœpit imperare A. C. 1138, & A. 1152 d. 15 Februarij obijt. Pag. 9 verſ. 11, 12.

Primum Mantuanæ Civitati bellum cum Mutinenſibus ac Regienſibus fuit anno Salutis vigeſimo quinto ſupra milleſimum] Ita quidem ibi legitur tùm in ipſo contextu, tùm in margine; ſed re verâ ſcribendum eſt: *anno Salutis vigeſimo quinto ſupra milleſimum centeſimum.* Contigit ergo hoc bellum ſub *Imp. Lothario Saxone*, qui poſt *Imp. Henricum V* cœpit imperare A. C. 1125, & A. 1137 obijt. Vide *Antonij Poſſevini Junioris* Hiſtoriam Gonzagam lib. 2 pag. 106 & 107. Pag. 9 verſ. 19, 20.

Ab Olio flumine] *Olius* ſeu potiùs *Ollius* annis, vulgò nunc *Oglio* & *Olo*, oritur in Rhæticarum Alpium monte, qui vulgariter appellatur *Mortaruolo*, & per *vallem Camunicam* atque *Lacum Sebinum*, Pag. 9 verſ. 22.

binum, Italicè *Lago d' Iſeô*, delapſus, in *Padum* à ſiniſtrâ ripa influit. Vide ſuprà pag. 17, & Philippi Cluverij Italiam Antiquam lib. 1 cap. 36.

Pag. 9 verſ. 23. Ad Buranam] Amnem videlicet, quem *Padus* fluvius poſt primam ſupra *Ferrariam* inter duos Vicos *Figarolum* ſeu *Ficherolum* & *Stellatam* ſciſſionem dextro alveo dextrâque ripâ recipit.

Pag. 11 verſ. ult. Ex Regio Lepido] Vtrumque rectè dicitur, *Regium Lepidi* & *Regium Lepidum*. Vide *Cluverij* Ital. Antiq. lib. 1. cap. 28, pag. 276 & 277.

Pag. 12 verſ. 11. Ad oſtium Siclæ] *Sicla*, Lombardiæ Ciſpadanæ fluvius, aliàs *Secia*, vulgò *la Secchia*. Hunc nonnulli eundem eſſe exiſtimant, qui à *Plinio* Hiſt. Nat. lib. 3 cap. 16 vocatur *Gabellus*. Influit in *Padum* à dexterâ ripa è regione fere *Mincij*.

Pag. 14 verſ. 5. Quod in ripâ Padi ſit conditum] Nempe *Reverum* quaſi *Riparium*, ita ut ſubaudiatur *Caſtellum*.

Pag. 17 verſ. 5. Aliquot deinde poſt annos] Secundùm (1) *Antonium Poſſevinum Juniorem* Hiſtoriæ Gonzagæ Libro ſecundo, pag. 113, contigit hoc inter *Mantuanos* ac *Cremonenſes* bellum ſub *Imp. Conrado III*, qui, ut ſuprà jam indicavi, cœpit imperare A. C. 1138, & A. 1152 obijt. Præcedens autem *Mantuanorum* bellum cum *Mutinenſibus* ac *Regienſibus* contigerat ſub *Imp. Lothario Saxone* A. 1125. Quâ de re vide ſuprà pag. 473.

Pag. 17 verſ. 15, 16. Subvehi ex Pado ſatis magna navigia, & onuſta quidem, Platinam uſque poſſunt] De *Platinâ*, patriâ *Baptiſtæ Sacchi*, vulgò nunc dictâ *Piadena*, unde ipſe cognomen *Platinæ* accepit, vide ſuprà pag. 444, 445, 446.

Quæ

(1) At ſecundùm *Raphaelem Volaterranum* Commentariorum Vrbanorum lib. 4 pag. 71, contigit illud bellum poſt *Ezzelini* interitum, qui in annum Chriſti 1259 incidit.

Quæ nec montuoſa nec colliva dici poteſt] *Montuoſus* vitioſè pro *montoſus*, ut *monſtruoſus* pro *monſtroſus*, *octuaginta* pro *octoginta*, *octuageſimus* pro *octogeſimus*, & alia ejus generis corrupta vocabula, in quibus V A perperàm uſurpatur pro O. Vide *Voſſium* de Vitijs Sermonis & Gloſſematis Latino-barbaris lib. 1 pag. 56. Similiter etiam pro *colliva* malim ſcribi *collina*. Sic enim apud *Propertium* legitur *collina herba*, & apud *Columellam collina vinea*, *collinum vinum*, *collina aqua*. Pag. 18 verſ. 17. 18.

Mantuanorum Dux] Nempe *Robertus Arlottus*. Vide *Poſſevinum* lib. 2 pag. 110. Pag. 20 verſ. 2.

A Laudenſibus vicinis] Civibus videlicet Vrbis *Lauda*, vulgò *Lodi*, ad ripam *Addua* fluminis ſitæ tribus circiter millibus paſſuum à veteri *Laude Pompejâ*. Vide *Abrahami Ortelij* Theſaurum Geographicum, & *Phil. Cluverij* Italiam Antiquam lib. 1 cap. 24, pag. 242. Pag. 20 verſ. 8.

Ad Curtatonum] Vulgò *Curtatone* & *Curtotone*. Pag. 21 verſ. 20.

Celeberrimum Divæ Mariæ Fanum, quam de Gratiâ accolæ vocant] Vulgò *Santa Maria delle Gratie*, vel, *La Madonna delle Gratie*. De origine & fundatione (1) celeberrimi hujus Templi Franciſcani Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, cognominatæ *Gratiarum*, quod ab Vrbe *Mantuâ* quinque millibus paſſuum Occidentem verſus diſtat, & in eminenti colle ad Lacum Superiorem ſitum eſt, ſcribit R. P. *Hippolytus Doneſmondus* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Mantuanæ libro quinto his verbis: *Soleva gia eſſere anticamente ſopra la ripa del Lago di ſopra ſu la Campagna di Curtatone un Capitello con un' Imagine della glorioſa Vergine, ch' haveva il ſuo figliuolino in braccio, dipinta ſopra una tavola, ch' era nel muro incaſtrata; per divotione della quale v' era poi ſtato in proceſſo di tempo fabricato un picciolo Oratorio, dedicato all' iſteſſa ſantiſſima Vergine, & officiato talvolta da un Prete, quivi vicino habitante. Volendo* Pag. 21 verſ. 22, 23.

Ooo 2 *donque*


(1) A. C. 1389 Kal. Decemb. ſub Papa Bonifacio IX.

donque Dio in queſti tempi ſtraordinariamente favorire la Cità di Mantoua, aprì il fonte delle ſue divine gratie ſopra detto luogo, ſi che quanti di cuore ſi raccommandavano à Lui & alla ſua ſacratiſſima Madre, religioſamente adorando la ſodetta ſanta Imagine, venivano immantinente delle bramate gratie compiacciuti. Perilche eſſendoſi di ciò ſparſa la fama per le Città e Terre circonvicine, cominciarono da ogni intorno à concorrere le perſone à quel luogo, offerendo ivi imagini di cera e d' argento, e laſciandovi groſſe limoſine per loro divotione. Dalche religioſamente commoſſi i Mantouani, entrarono in penſiero di conſignare la detta picciola Chieſa à qualche approvata Religione, che del continuo officiandola, veniſſe maggiormente ad accreſcere la divotione de' fedeli, & fecero incontinente elettione di quella di San Franceſco, i ſanti eſſempi della quale havevano continuamente avanti à gl' occhi. Impetrò per tanto Franceſco Gonzaga Signor di Mantoua nel 1389 da Bonifacio Nono, che queſto anno ad Vrbano Sexto era ſucceduto, che il detto luogo foſſe dato a' Frati Minori; come per le Bolle del Pontefice appare, ſotto il dì primo di Decembre date. Per la qual coſa il Veſcovo Sagramoſio proceſſionalmente co'l Clero e la Città ivi andato, doppo haver cantato Meſſa ſolennemente, in nome del Pontefice inveſtì per ſempre di detta Chieſa (intitolandola SANTA MARIA DELLE GRATIE) la Franciſcana Religione. Diedero immantinente principio i Frati à fabricarvi un picciolo albergo à lato, capace per allhora di quei pochi di eſſi, i quali intendevano d' habitarvi; ſi come io ſteſſo à lungo ho già deſcritto nell' Iſtoria mia di quella Caſa, e l' Padre Girolamo Menghi da Viadana Teologo Franciſcano altresì racconta nel ſuo Teſoro celeſte di Maria Vergine, nuovamente dato in luce, e ſtampato in Bologna. Hucuſque R. P. *Doneſmondus.* Vide etiam *Poſſevini* Hiſtoriam Gonzagam lib. 5 pag. 468.

Pag. 22 verſ. 13, 14. Ad Caroccium jam propè erat ventum, ubi vexilla à delectâ militum manu cuſtodiebantur] *Cremonenſis* hujus *Carroccij*, ſeu, ut aliàs ſcribitur, Carrocij vel Carrochij, meminit *Antonius Campus*, Pictor & Eques Cremonenſis, in Italicâ Vrbis *Cremonæ* Deſcriptione ſecundùm latinam (1) *Philippi Rubenij* tranſlationem

(1) Vide *Franciſci Sweertij* Annotationem ad *Hieronymi Magij* caput decimum tertium Libri poſthumi *de Tintinnabulis.*

CARROCIVM CREMONENSE pag. 477



lationem his verbis: *Anno Chriſti milleſimo octogeſimo primo Cremonenſes CARROCIVM inſtituerunt, quódque ejus uſum unà cum libertate gratiâ Bertæ Auguſtæ ab Henrico IV Imperatore impetráſſent, (1) BERTAM aut BERTACCIOLAM dixerunt. CARROCIVM erat currus amplior bis atque ſublimior, qui communi in uſu. Invenêre Longobardi, primique omnium, ſecundùm (2) aliquos, Mediolanenſes uſurpârunt. Ornabatur id à quibuſdam panno rubro, ab alijs albo; à Cremonenſibus verò mixtim rubro & albo: denique pro colore, quo cujuſque Civitatis inſigne. Sed & ſeni boves, à quibus trahebatur, ſimili panno tecti. In medio autem erat antenna cum vexillo ſive labaro, præter crucem rubram cætera albo; cujuſmodi in ſupplicationibus hodiéque nonnullis in locis geſtantur: & ab eâdem antennâ dependuli funes, quos validi robuſtique juvenes manibus attinebant, inque ejus ſummo Campana appellata (3) Nola. Nefas autem educere, niſi publico decreto, nec minùs mille quingentis ad cuſtodiam ejus militibus ſtrenuis, & panopliâ ac bipennibus egregie munitis. Propè etiam Duces omnes ac militiæ Præfecti; at ponè tibicines octo, multique ad rem divinam Sacerdotes. Præcipua tamen currûs hujus cura dabatur Viro virtute & peritiâ rei militaris inſigni, quóque loci ille ſtatueretur, eo tùm jus dici, tùm conſilium haberi de ſummâ belli ſolebat. Eodem & ſaucijs receptus atque confugium, eiſque qui vel pugnando defeſſi, vel à multitudine hoſtium premerentur.* Hæc *Antonius Campus*; qui ibidem etiam exhibet *Imaginem Carrocij*, ut ea hîc è regione æri inciſa cernitur. Eandem Imaginem inſeruit *Dominicus Magri Melitenſis* Notitiæ ſuæ Vocabulorum Eccleſiaſticorum, Italicè conſcriptæ, & Romæ A. 1669 in quarto editæ, in explicatione vocis *Campana*. Eadem quoque Imago ſubjuncta eſt *Hieronymi Magij* capiti tertio Libri poſthumi *de Tintinnabulis*, ubi partim quidem de *Carrocijs* generaliter agitur, partim autem *Carrocij Bononienſis* & *Carrocij Florentini* ſpeciatim fit mentio his verbis: *Tintinnabuli caſtrenſis me ſonus à Tympa-*

 nis

(1) Immò verò ipſum *Carrocium* non fuit appellatum *Berta* aut *Bertacciola*, ſed tantùm *Campana caſtrenſis*, ad Carrocium pertinens. (2) Vide *Caroli Sigonij* locum de Regno Italiæ, qui paulo pòſt à me exhibebitur, unà cum alijs nonnullis aliorum Autorum locis ad hanc rem pertinentibus. (3) Immò verò *Berta* vel *Bertacciola*. *Nola* enim idem eſt atque *Campana*.

nis & Crotalis avocat. Eſt igitur ſciendum, ſuperioribus ſeculis, nec admodùm vetuſtis temporibus, exercituum Imperatores, jam tintinnabulorum majorum in Chriſtiana Templa uſu recepto, in caſtris, quaſi in quâdam civitate ambulatoriâ, & turriculâ campanariâ è ligno identidem ambulatoriâ uti conſueviſſe, è quâ tintinnabulum admodùm magnum penderet. CARROCIVM *voce Italâ, quaſi Currum magnum dicas, appellabant; currûs enim altioris formam parte aliquâ exprimebat. Poſitis caſtris, prope Imperatoris tentorium* CARROCIVM *locabant, & princeps ſignum militarè mutum in ſupremâ parte figebant. Sole occidente & mane ante lucem, ut fit in Chriſtianorum Templis, tintinnabulum miles aliquis pulſabat,* DEVM *Opt. Max. Oratione Dominicâ, & Deiparam Virginem Salutatione Angelicâ venerandi ſignum perſpicuum præbens. Cùm bellicum canere oporteret, eodem tintinnabulo milites ad arma vocabantur. Cùm in hoſtem progrediendum aciéque confligendum eſſet,* CARROCIVM *in mediâ acie cum ſigno prænotato & tintinnabulo ſiſtebant, & tanquam Imperatorem illud circumvallatum cuſtodibus, ab hoſte, ne caperetur, tuebantur; tantúmque erat tuendi ac defendendi ſtudium, tantus militum ardor, ut quem locum quiſque vivens occupâſſet, eum, amiſſâ animâ, corpore tegeret. Maximi enim dedecoris loco* CARROCIVM *amiſiſſe habebatur. Quamobrem Accurſius, qui multos annos Bononia verſatus eſt, in quodam ſuo Gloſſemate ait, Regulæ cuidam inhærendum, tanquam ſolent Bononienſes* CARROCIO; *quæ verba mox apud noſtros Jureconſultos in proverbium venerunt, cujus meminit Alciatus in libris de Verborum ſignificatione. De hoc* CARROCIO *ſcriptum reperies in Chronicis Villanij Florentini, qui Florentinorum* CARROCIVM *à Senenſibus captum fuiſſe, memoriæ prodidit, &, ſi rectè memini,* (1) MARTINOZVM *vocat. An aliæ Nationes, præter Italos, hujuſmodi curru in caſtris uterentur, mihi adhuc eſt incognitum. Nunc* CARROCII *figuram cum tintinnabulo & vexillo delineemus.* Hucuſque *Magius.* Quod porrò autem ad *Joannis Villani* locum, ab illo citatum attinet, is exſtat (2) Hiſtoriæ ipſius lib. 6 cap.

(1) Error hic eſt mnemonicus. *Villanus* enim citato loco non ait Carrocium fuiſſe appellatum *Martinozum*, ſed Campanam caſtrenſem, ad Carrocium pertinentem, fuiſſe appellatam *Martinellam*. (2) Hiſtoriæ hujus vetuſtum & elegans exemplar manuſcriptum membranaceum in folio, unà cum ipſius Autoris in principio Operis depictâ Imagine, exſtat in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ, & digniſſimum eſt, ut editiones, hactenùs impreſſæ, cum eo accuratè conferantur.

cap. 77 his verbis: *Avvenne gl' anni di Chriſto 1260 del meſe di Maggio, che 'l Popolo e Commune di Firenze fece oſte generale ſopra la Città di Siena, e menarvi il CARROCCIO. E nota che 'l CAROCCIO, che menava il Commune di Firenze era un carro in ſu quattro ruote, tutto dipinto vermiglio, e havevavi ſu commeſſo due grandi antenne vermiglie, in ſu le quali ſtava e ventolava il grande ſtendale dell' arme del Commune dimezata bianco e vermiglio, ilquale â noſtri di ſi moſtra in San Giovanni, & tiravanlo un grande paſo di buoi, coverti di panno vermiglio, che ſolamente erano diputati à cio, ed erano dello ſpedale di Pinti, e 'l guidatore era franco in Commune. Queſto CARROCCIO uſavano i noſtri antichi Fiorentini per trionfo e dignitade; e quando s' andava in oſte, i Conti vicini e Cavalieri della Cittade il traevano dell' opera di San Giovanni, e conduceanlo in ſu la piaza di mercato nuovo; e poſato per me' un termine d' una pietra intagliata a Carrocio, che ancora v' è, sì lo accomandavano lo al Popolo; e i popolani il guidavano nel oſte. E a quello erano diputati in guardia i migliori e i piu forti e vertudioſi popolari della Cittade à piede, e a quello s' ammaſſava tutta la forza del Popolo. E quando l' oſte era bandita, un meſe dinanzi dove doveſſe andare, ſi ponea una CAMPANA in ſu l' arco di porte Sante Marie, ch' era in ſul capo di mercato nuovo, e quella del continouo ſonava di dì e di notte, e per grandigia di dar campo al nimico, ove era bandita l' oſte, che s' apparecchiaſſe, e queſta era chiamata la MARTINELLA, e chi la chiamava LA CAMPANA DE GL' ASINI. E quando l' oſte de' Fiorentini ſi movea, ſi ſponea d' in ſu l' arco, e poneaviſi in ſu un caſtello di legname in ſu un carro, e al ſuono di quella ſi guidava l' oſte. Da queſte due pompe del CARROCCIO e della CAMPANA ſi reggea la ſignorile ſuperbia del Popolo vecchio de' noſtri antichi nell' oſti.* Et capite octogeſimo ejuſdem libri: *E raunata la detta gente in Firenze, ſi partì l' oſte all' uſcita d' Agoſto, e menarono per pompa e grandigia il CARROCCIO e la CAMPANA chiamata MARTINELLA in ſu un caſtello di legname à ruote.* Et tandem in fine ejuſdem capitis: *E coſì ſi adomò la rabbia dello 'n grato e ſuperbio Popolo di Firenze. E ciò fu Martedì addì quattro di Settembre gl' anni di Chriſto 1260, e rimaſevi il CARROCCIO e la CAMPANA detta MARTINELLA con innumerabile preda d' arneſi de' Fiorentini, e di loro amiſtà.* Hæc *Joannes Villanus* de *Carroccio Florentino*. Vbi inprimis notandum eſt, *Campanam caſtrenſem Carroccio Florentino* non fuiſſe affixam ſeu annexam,

nexam, ſed ſeparatim collocatam in peculiari quâdam machinâ curuli ligneâ. Similiter enim etiam *Patavinum Carrocium à Campanâ caſtrenſi* fuit ſeparatum, ut videre eſt in *Jacobi Zabarellæ* Aulâ Zabarellâ, ſive, Elogijs Illuſtrium Patavinorum, Patavij A. 1670 in quarto editis, ubi illud inter pag. 128 & 129 æri inciſum exhibet, uti hîc è regione cernitur, atque hanc Imagini adjungit explicationem latino-barbaram: *Carrocium erat currus magnus cum quatuor rotis, ſuper quo in poſteriori parte ſedes ſeu tribunal erat purpurâ vel panno ſerico rubro coopertum; ubi Prætor, qui olim antiquitùs erat exercitûs Dux ſupremus, ſive alter militum Imperator, ſi Prætor non erat, cum ſuis Conſiliarijs ſedere morarique ad conſulendas res bellicas ſedebat. In medio manebat arbor maxima rubra cum ſuperiùs Reipublicæ vexillo. Longitudo ipſius currus erat pedum duodecim, latitudo ſex, & altitudo octo; pulcherrimiſque pictnris & ſculpturis aureis, argenteis, & ex finiſſimis coloribus ornatus erat. A parte dextera habebat inſignia Vrbium, Oppidorum & Caſtrorum Reipublicæ Patavinæ ſubjectorum, ut Vincentia, Feltre, Bellunum, Rodigium, Baſſanum, Ateſte, Montinianum, Lendenaria, Mons ſilicis, Cittadella, & alia loca. A ſiniſtrâ verò inſignia Vrbium amicarum & fœderatarum, veluti Venetiæ, Tarviſium, Aquileja, Bononia, Ferraria, & aliæ. In parte autem anteriori Clypeus in medio cum rubrâ Cruce in plano argenteo, cui ab unâ parte S. Proſdocimus, & ab alterâ S. Juſtina, Vrbis Protectores, pinni erant; ſicuti à parte poſteriori alter Clypeus cum Cruce rubrâ in plano argenteo inter S. Danielem Martyrem & S. Antonium Confeſſorem, alios Vrbis Protectores. Vexillum autem, quod ſuper arbore videbatur, frangeis aureis ornatum erat. Apud timonem duo ſerpentes erant, mirabili arte confecti. Inſignia enim antiqua Vrbis Patavinæ erant draco viridis in plano rubeo cum Cruce rubeâ in plano albo juxta hæc carmina;*

Eſt Patavorum Draco cum Cruce virorum,
Scripturis quorum credit utrumque forum.

Ante ipſos ſerpentes erant octo boves albi, ita quòd ab ipſis ſerpentibus & bobus duci credebatur. Boves autem ipſi cum ſuis famulis induti erant veſtibus ſericis rubeis ſeu ex purpurâ pulcherrimis. Carrocium autem ſymbolum erat Libertatis; quare Civitates liberæ tantùm ipſo uti poterant. Henricus quartus Imperator per aliquod tempus ſedem Patavij habuit, ubi cum Regina Bertha uxore moram gerebat hilariter; & tunc Patavinis libertatem cum ampliſſimo Privilegio confirmavit, Carrocijque


CARROCIVM PATAVINVM
pag. 480.

cújque uſum conceſſit, & quia Vxoris intuitu hæc fecerat, ideò ipſimet (1) *CARROCIO nomen BERTHA impoſitum fuit anno Domini 1081.* Hucuſque *Jacobus Zabarella.* Similiter etiam à *Carolo Sigonio* Hiſtoriæ Regni Italiæ libro octavo ſub anno Chriſti 1038, ubi de *Carrocio Mediolanenſi* agitur, nulla *Campanæ caſtrenſis*, tanquam *Carrocio* affixæ ſeu annexæ, fit mentio, ſed ſolius *Carrocij*, his verbis: *Imp. Conrado II in Germaniam profecto, Herebertus Archiepiſcopus Mediolanenſis erectus, magnis delectibus habitis, Ambroſium contra ſe electum, omneſque ejus fautores bello inſtituit perſequi. Itaque, cùm nihil prætermitteret, quod ad maximum gerendum bellum uſui eſſet, vexillum impoſitum in curru excogitavit,* (2) *quod CARROCIVM appellavit. Is fuit currus ingens rotis grandioribus atque axibus firmioribus fultus, purpureâ pariter undique veſte conſtratus, in quo contabulatio quadrata turris inſtar locabatur; in medio verò eximia proceritate malus excitatus erat, multis à faſtigio rudentibus ipſi contabulationi ad nautici mali ſimilitudinem alligatus. In ſummo Crux aurea; infra Crucem antemna magna ſuſpenſa, unde vexillum explicabatur. Hunc autem currum excellentis formæ boves, candidâ veſte inſtrati, trahebant. Cura ejus clariſſimo & genere & virtute Viro committebatur, qui, ut venerabilior eſſet, inſigni loricâ, enſe, & aureo balteo, & publico ſtipendio donabatur; ut munitior, coborte militum lectiſſimorum ſepiebatur. Cum eo verò aderant etiam Sacerdotes, cùm divinæ rei causâ, tùm ut eſſent, qui letifero vulnere laborantibus Sacra, ſi opus eſſet, ritu Chriſtiano ſubminiſtrarent. Prætereà ſex tubicines cum totidem militaribus equis, quibus Civitas tentoria & ſtipendia procurabat. Cum hoc ergò vexillo, quò quaſi ad ſacram Aram acie pulſi refugerent, atque inde ferociores in hoſtes procurrerent, Herebertus primus ad bellum eſt progreſſus.* Hæc *Sigonius.* Ejuſdem *Carrocij Mediolanenſis* meminit quoque *Bernardinus Corius* Hiſtoriæ Mediolanenſis, Italicâ linguâ ſcriptæ, Part. 1 pag. 56 his verbis: *Eriberto moſſe l'eſſercito contra quelli della Motta, e fu INVENTORE DEL CARROCCIO: il quale era un carro con quattro rote, e ſopra vi era fabricato un Tribunale coperto di panno roſſo.*

 Nel

(1) Immo verò *Campana caſtrenſis* ad Carrocium pertinens *Berta* fuit appellata, non autem ipſum Carrocium. Vide ſuprà pag. 477 & 478.

(2) Immo verò *Vexillum* non fuit appellatum *Carrocium*, ſed *Currus*, cui illud erat impoſitum.

Nel mezo di queſto era poſto un alto albero, che da molti huomini era tenuto con le corde; in cima haveva una Croce d' oro, ſotto la quale al vento ſi ſpiegava una bandiera bianca con la Croce roſſa. Queſto carro era condotto da quattro paja di buoi, i quali erano coperti dalla banda deſtra di roſſo & dall' altra di bianco. Il maeſtro di queſto artificio era un' huomo ſtimato & di gran fama, eletto di commun conſiglio della Republica, inſieme con un Sacerdote, il quale ogni giorno innanzi al CARROCCIO *celebrava la Meſſa con paga di cinque ſoldi il giorno & ſette denari. Eranvi otto trombetti, & altre tanti ſoldati medeſimamente ſtipendiati.* De eodem *Carrocio Mediolanenſi* ſcribit *Hieronymus dalla Corte* libro quinto Hiſtoriæ Veronenſis, Italicâ linguâ compoſitæ, pag. 290, 291 & 292 hoc modo: *Era il* CARROCCIO *un carro grande & eminente aſſai più de' communi, ſopra il quale era fabricato un tribunale coperto di panno del colore della livrea di quella Republica di cui era. Onde queſto per eſſer de' Milaneſi, era coperto di panno roſſo; nel mezo del quale era poſto un alto arbore, che da molti huomini era con corde tenuto diritto, & in cima haveva una Croce d' oro, ſotto la quale ſtava una bandiera ſpiegata pur del colore uſato da quella Republica, di cui era il* CARROCCIO. *Ma ſopra queſto, oltra la bandiera de' Milaneſi, che era tutta bianca con una Croce roſſa, v' erano tutte quelle de gli altri popoli della lega, fra le quali la noſtra era di zendado azurro con una Croce d' oro, inſegna, che ſin ora s' uſa dalla noſtra Città. Queſto* CARROCCIO *era tirato per lo manco da quattro para di robuſti e fortiſſimi buoi, i quali ancor eſſi erano di panno del medeſimo colore coperti: la coperta di queſti era dalla parte deſtra roſſa e dall' altra bianca, conforme l' una al colore del panno roſſo, onde era coperto il* CARROCCIO, *& l' altra a quella della inſegna, che bianca era. Al governo di queſto era dalla Republica poſto qualche gran Cavaliero, che delle coſe di guerra haveſſe gran pratica e cognitione: al quale per inſegna di tanta dignità ſi dava da quella una manara, una ſpada, & una corrazza riccamente fornite. Con queſto ſtava continuamente un Sacerdote, ſi per celebrare ogni giorno la Meſſa, come per miniſtrare in ogni occorrenza i Santiſſimi Sacramenti della Chieſa. Appreſſo à queſto, come ad un tribunale, ſi riducevano gli Officiali dell' eſſercito à render ragione. Intorno a queſto era ſempre grandiſſima moltitudine di perſone, & innanzi gli andavano ſempre otto trombetti, veſtiti dell' iſteſſo colore, per dar ſegno, & inanimire l' eſſercito alla battaglia. Con queſto ſi dava ſegno all' eſſercito d' andare e di fermarſi, percioche marchiando egli, marchiava, e fermandoſi egli,*

ſi

ſi fermava l' eſſercito. A queſto ſi ricoveravano le genti rotte e ſtanche, dove ripigliato vigore & ardire, e di nuove genti ajutate ritornavano con maggior ardire alla battaglia. Quando queſto reſtava in poter del nemico, s' intendeva la battaglia eſſer perduta. Queſta fu inventione de' Mileneſi, & in particolare d' Eriberto d' Intintiano loro Arciveſcovo, per dimoſtrare con eſſo l' unione di tutti i Popoli della lega, & affine che le genti per non perder quello, il che era grandiſſima vergogna, foſſero alla fuga piu tarde. Hæc *Hieronymus dalla Corte* de *Carrocio Mediolanenſi.* Idem quoque meminit *Carrocij Veronenſis* lib. 6 pag. 314 his verbis: *E fatto queſt' anno medeſimo un valoroſo eſſercito ſotto la guida d' uno de' Conſoli col* CARROCCIO, *che d' un panno azurro inſieme co' buoi, che 'l tiravano, era coperto, ſopra il quale con gran diligentia guardavano la bandiera della Republica, ch' era di cendado azurro con una Croce gialla à traverſo,* &c. Cæterùm quòd etiam *Mantuani* peculiare ſuum habuerint *Carrocium*, teſtatur (1) anonymus S. Juſtinæ Monachus Patavinus libro primo ſui Chronici ſub anno Chriſti 1207 his verbis: *Et factum eſt prælium equeſtre maximum in (2) brayda Veronenſi; in quo pars Azzonis Marchionis Eſtenſis & Comitis Sancti Bonifacij adverſarios ſtrenuè ſuperavit. Mantuani verò conducti pecuniâ, communiter cum* CARROCIO *venerunt in auxilium Marchionis.* Item ſub anno Chriſti 1233: *Anno Domini* MCCXXXIII *Frater Joannes de Ordine Prædicatorum in tantâ reverentiâ eſt habitus ab hominibus Marchiæ & etiam Lombardiæ, quòd de ejus juſſione Paduani, Veronenſes, Brixienſes & Mantuani cum* CARROCIIS, *& aliarum Civitatum maxima multitudo in campaniâ Veronenſi infimul pacificè convenerunt, & ibidem in die S. Auguſtini ſententias ſuper quaſdam quæſtiones coram omnibus Populis auctoriſabiliter promulgavit.* Plura de *Carrocio* vide apud *Willielmum Watſium* in Gloſſario ad Hiſtoriam *Matthæi Pariſienſis*, & apud *Henricum Spelmannum* in Gloſſario Archaiologico.

Sive eam portam] *Sive* pro *Sique*, hoc eſt, *& ſi.* Pag. 15 verſ. 1.

 Poſt

(1) Vide *Chriſtiani Vrſtiſij* Syntagma Scriptorum Rerum Germanicarum pag. 581. (2) *Brayda* vocabulum latino-barbarum ex voce Germanicâ *die Breite*, quâ ſignificatur *Campus latus*.

Pag. 26 verſ. 7, 8. Poſt bellum Cremonenſe ad centum ferè & triginta annos nihil memoriâ dignum à Mantuano Populo geſtum reperio,] Chronologia hæc obſcura admodùm & incerta eſt, &, ut mihi videtur, per ſpatium illud *centum ferè & triginta annorum* intelligendum eſt intervallum temporis inter jam narratum *Bellum Cremonenſe* & *irritam Vrbis Mantuæ oppugnationem per Eccelinum* ſeu potiùs *Ezzelinum Tyrannum*, de quo infrà agitur in principio Libri ſecundi.

Pag. 26 verſ. 9, 10. Præter eam pacem, quam inter Veronenſes & Vicentinos, mutuis odijs inter ſe certantes, compoſuêre.] Secundùm R. P. *Hippolytum Doneſmondum* in Chronologiâ rerum Mantuanarum contigit hæc pax A. C. 1127 ſub *Imp. Lothario Saxone*, & *Veronenſes* ab eodem vocantur *Eſtenſes*, ut ex ſubjunctis ipſius verbis videre eſt: *Del 1127 eſſendo divenuti nimici i VICENTINI e gli ESTENSI per cagione de' confini, onde ſi facevano di molti danni, Gualtieri e Corrado Gonzaghi andativi gli pacificarono inſieme.* Hæc *Doneſmondus*; ſed minùs rectè. Confundit enim duo diverſa tempora & duas diverſas res, quia non ſatis attentè legit & conſideravit *Cæſaris Campanæ* verba hæc: (1)*Gualtieri e Corrado Gonzaghi furono eletti del 1127 à trattar Lega tra 'l Marcheſe Azzo Eſtenſe & il Conte Bonifacio Veroneſe.* Quorum verborum verus ſenſus eſt, *Gualterum & Conradum Gonzagos fuiſſe A. C. 1127 electos ad tractandum fœdus inter Marchionem Azzonem Eſtenſem & Comitem Bonifacium Veronenſem.* Vnde manifeſtè apparet, hanc rem, tùm per ſe, tùm reſpectu temporis, omninò diverſam eſſe à *Veronenſium & Vicentinorum controverſiâ de finibus*, quam *Platina* poſt bellum *Mantuanorum* cum *Cremonenſibus* contigiſſe memorat. Corrigenda igitur apud *Doneſmondum* eſt notatio temporis, &, abſque ullâ *Gonzagorum Gualteri & Conradi* mentione, pro gli *Eſtenſi* ſcribendum eſt *gli Veroneſi*.

Eo

(1) Vide ipſius Arborem Genealogicam Sereniſſimæ Familiæ Gonzagæ, Mantuæ typis Franciſci Oſannæ A. 1590 editam in quarto.

Eo enim in loco limites poſiti, ubi etiam ætate no- Pag. 27
ſtrâ Turris cernitur, quam accolæ Confinium vocant] verſ. 15, 16.
Vulgò *la Torre de' confini.*

Philippus Auogadrus; id enim ejus Familiæ, Pag. 27
vetuſtæ quidem ac nobili, cognomentum fuit.] verſ. ult.
Auogadrorum hæc Familia eadem videtur eſſe atque Familia *Avogarorum*, cujus meminit *Franciſcus Sanſovinus* in Opere de Illuſtribus Familijs Italiæ ſub peculiari hoc titulo: *Signori Azzoni & Auogari.* Vide etiam *Hieronymi Henningij* Opus Genealogicum Tom. II pag. 1360.

Is igitur vaſto animo ad tyrannidem elatus] Pag. 28 verſ. 2.
Conjurationem hanc *Philippi Auogadri* contra *Mantuam* narrat prolixè etiam *Antonius Poſſevinus Junior* Hiſtoriæ Gonzagæ lib. 1 pag. 56, 57, 58 & 59; ſed pluſquam integris *centum ac ſedecim annis* à verâ Chronologiâ aberrat. Refert enim hanc conjurationem ad annum Chriſti 1040, quo (1) *Imp. Conradum II*, cognmine *Salicum*, obijſſe aſſerit, imperante adhuc Vrbi Mantuæ *Bonifacio* Marchione quinto. Re verâ autem contigit illa conjuratio ſub *Imp. Friderico I*, cognomine *Ænobarbo* ſive *Barbaroſſâ*, liberâ jamdiu Civitate Mantuanâ exiſtente, & quidem inter annum Chriſti 1156 & 1177. Hoc enim certò liquet ex mentione *Ducis Auſtriæ*, cui *Veronenſes* ſe metu *Mantuanorum* dediderunt. Is nempe fuit *Heinricus*, *ſecundus* ejus nominis Marchio Auſtriæ, *S. Leopoldi* filius ſecundogenitus, à proverbio, *Ita me Deus amet*, vel, *Ita me Deus adjuvet*, quod ſemper in ore habuit, germanicè *Joſamergott*, ſive *Ja ſo mir Gott*, ſcilicet *helffe*,

 cogno-

(1) Re verâ obijt *Imp. Conradus II* A. C. 1039 pridiè Nonas Junias ſive d. 4 Junij; ut defectione Solis, quæ eundem annum celebrem reddidit, rectè demonſtrat R. P. *Dionyſius Petavius* S. I. Rationarij temporum Part. 1, lib. 8 cap. 17. Vide etiam R. P. *Phil. Labbei* Chronologiam Hiſtoricam ſub eodem anno 1039.

cognominatus, qui A. C. 1156 ab (1) *Imp. Friderico I*, cognomine *Ænobarbo*, ſive *Barbaroſſâ*, in Comitijs Ratisbonenſibus ex *octavo Auſtriæ Marchione* PRIMVS AVSTRIÆ DVX creatus eſt; ut teſtatur *Otto Epiſcopus Friſingenſis*, qui ipſius *Heinrici* fuit frater germanus, & jam memoratis Comitijs ipſe interfuit, capite trigeſimo ſecundo ſive ultimo Libri ſecundi de Geſtis Imp. Friderici Primi. Quod porrò ad primi iſtius Auſtriæ Ducis *Heinrici* mortem attinet, certò conſtat eum obijſſe A. C. 1177.

Pag. 28 verſ. 8, 9. De Summorvia cognomento Familiæ hi ſunt appellati] Aliàs *de Summoriva*; ſed malim ſcribi *de Summariva*. Videtur enim Familia hæc eſſe eadem atque Familia *de Summa-Ripâ*, ex qua oriundus fuit *Raymundus Summaripa*, ex monacho Ordinis Prædicatorum A. C. 1289 patriæ ſuæ *Laude* Epiſcopus creatus, cujus Epitaphium ibidem apud S. Dominicum exſtat hoc:

Ortum SVMMA dedit claro mihi ſtemmate RIPA,
Dominicus mores, Lauda ſecunda mitram.
Raymundo Summaripæ,
Ordinis Prædicatorum, Laudenſi Epiſcopo,
Aloyſius Pius ejus poſtremus Mauſoleum reſtituit
& ornavit anno M D.

Vide *Ferdinandi Vghelli* Florentini Italiam Sacram Tom. IV pag. 922 & 923, ubi agitur de Epiſcopis Laudenſibus.

Pag. 37 verſ. 17, 18. Vrbem Duci Auſtriæ, qui finitimis Germanis imperabat, dedere inſtituunt] Nempe *Heinrico*, *ſecundo* ejus nominis

(1) Ipſum *Imp. Friderici I* hâc de re promulgatum Diploma exſtat in *Joannis Cuſpiniani* Auſtriâ, ſed ibi in fine ejus pro *anno Dominicæ Incarnationis M C L V I* mendosè legitur *M C L X V I*. Corrigenda quoque eſt *Ottonis de S. Blaſio* ad Ottonis Epiſcopi Friſingenſis Chronicon Appendix, ab *Vrſtiſio* edita, utpote in quâ mutatio illa *Marchionatûs Auſtriæ* in *Ducatum* perperàm traditur contigiſſe A. C. 1154.

nominis, qui A. C. 1156, ab *Imp. Friderico I ex octavo Auſtriæ Marchione primus Auſtriæ Dux* creatus eſt, & A. 1177 obijt. Vide ſuprà pag. 486.

Vrbem Auſtrianorum] *Auſtriani* ijdem hîc ſunt atque *Auſtriaci*. Pag. 31 verſ. 23.

Jacobus de Summorviâ is eſt appellatus] Immò *de Summariva*. Vide ſuprà pag. 486. Pag. 39 verſ. 6, 7.

Cùm hi Veronenſes Cavoſos quaſi Cervicoſos, illi viciſſim Mantuanos Bulbaros à genere piſcis, quo maximè abundant, appellare conſueverint.] Si *cavoſus*, ut *Platina* tradit, idem ſignificat atque *cervicoſus*, hoc eſt, *pertinax* ſeu *pervicax*, germanicè *hartnackig*, neceſſariò ſequitur, compoſitum illud eſſe à corrupto vocabulo Italico *cavo* pro *capo*, ita ut *cavoſus* idem ſit atque *capitoſus*, germanicè *ſteiſkopffig*; ſi autem *Veronenſes* non propter pervicaciam animi, ſed ob præciſas nares *Cavoſi* appellati ſunt, minimè dubium videtur, quin *cavoſus* idem ſignificet atque *cavernoſus*, propter patulas videlicet amputatarum narium cavaturas. Quod porrò attinet ad *Bulbaros* piſces, unde conviciosum *Bulbarorum* nomen *Veronenſes Mantuanis* indidere, ij haud alij ſunt quàm *Cyprini* ſeu *Carpæ*, germanicè *Karpffen*; ut teſtatur *Conradus Geſnerus* Hiſtoriæ Animalium libro quarto de Piſcium & aquatilium animantium naturâ his verbis: *Cyprinus à quibuſdam recentioribus Carpa nominatur; quo nomine, aut ſimili, multi hodiè Europæ populi in vulgaribus linguis utuntur. Deſtinet* CARPAM *Danubius, à Rheno veniat an chorago, Caſſiodorus in Epiſtolis, 12, 4, de Regio convivio ſcribens. Miratur Grapaldus, nullam in veterum ſcriptis Carpani mentionem exſtare. Eraſmus Carpas dixit; alij quidam Carpones, ut Albertus, & Carpiones, Carolus Figulus. Nos de Carpione Benaci, planè diverſo, & truttarum generi adnumerando piſce, ſuprà ſcripſimus. Græci nonnulli, ut teſtatur Gillius, in hodiernum diem antiquo nomine Cyprinum vocant, Maſſarius. Circa Larium lacum Italicè* BVRBARO *vel* BVLBERS *vocatur, maximus, qui in eo* Pag. 3, 43. verſ. 3, 4.

eo naſcuntur, piſcium. Bulbulus, ante alios immani corpore piſces, (1) *Paulus Jovius in Larij deſcriptione. Venetijs Carpano; alibi Reina, quod nomen à Regina factum videtur, quòd magnitudine inter fluviatiles & lacuſtres excedat, & à ganeonibus pinguiores ex eis præcipuè appetantur. Sic inter radices alpinas Oreoſelini vel Petroſelini, vel Laſeris genus, quod alij vulgò Aſtrantiam vel Magiſtrantiam nominant, Rhæti & alij, qui Italiam verſus montana incolunt, Reinam appellant. Braſavolus in libro de purgantibus medic. pro Carpâ Reginam dixit. Carpas Mantuæ* BVLBAROS *vocant, Platina. Hiſpani Carpa; Germani ſuperiores ein Karpf, inferiores Karp vel Karpe.* Hucuſque *Geſnerus.* De ijſdem *Bulbaris* ſeu *Burbaris* ſcribit *Paulus Jovius* Libri ſingularis de Piſcibus Romanis capite trigeſimo octavo hoc modo: (2) *Larius igitur lacus ob longitudinem à Virgilio Maximus nuncupatus, piſces longè omnium maximos gignit; Troctas centum aliquando librarum pondere, &* BVRBAROS *ducentarum: ſed* BVRBARI *illi ingentes videri potiùs liquidis ac perſpicuis in undis, quàm capi retibus poſſunt, cùm ea impotenti impetu plerumque dilacerent. Subeunt ſolſtitij diebus umbroſos ſpecus in rupibus Licinianis, quæ ſunt in adverſâ Larij ripâ contra inſulam Euripúmque illum gemmeum à Cæcilio Plinio celebratum. Eos induſtrius quidam Sacerdos ſagittis arcubaliſtâ emiſſis, cùm in profundo quieſcentes, fuſcinis atque tridentibus attingi non poſſent, vulnerare conabatur; neque tamen ſaggitæ, longo alligatæ funiculo, niſi averſis officiebant, cùm illâ ſquamarum ſerie thoracati, earum ictus facilè repellerent. Sunt & in* MANTVANO *Lacu, qui reſtagnante Mincio amne latè diffunditur,* BVRBARI *piſces, ſapore longè optimi; nam Lariani ſolâ magnitudine ſunt inſignes. Rarò ij bipedalem excedere magnitudinem ſolent. Lati ſunt, & ingentium ſubauratarum ſquamarum ſpecie, rotundóque item labro auri colorem referente, pinniſque pariter ſubcroceis pulcherrimi. Eos Veneti Raynas; ipſi verò Ticinenſes Placentinique, & cæteri Padi accolæ* CARPENAS *appellant. Humidiores carnes, ſed tamen innoxias habent, quòd non tenaci, ſed aqueo potiùs humore abundent. Linguâ autem maximè valere dicuntur; nam & ſapore præſtat, & vim habet augendæ Veneris, ſicuti in Tincarum & Anatum linguis experimur.* Hæc *Jovius.* Ipſe verò *Platina* in Opere, de tuendâ Valetudine, Naturâ rerum, & Popinæ ſcientiâ inſcripto, & quidem libro decimo, quo de coquendis piſcibus agitur, eoſdem Bulbaros vocat *Carpanos:* CARPANI, inquit, *groſſi, & herbas, ubi flumina ob*

(1) Vulgò ibi perperàm legitur *Benedictus Jovius.* (2) Vulgò Italis *Lago di Como,* germanicè *Cumerſee.*

ob increſcentiam ex alveis exeunt, depaſti, non inſuaves cum leucophago aut alliato habentur. Parvi friguntur. Hos MANTVANI BVLBAROS linguâ vernaculâ vocant. Hæc jam citato loco ipſe *Platina.* Quod denique ad originem vocabuli *Bulbarus* pro *Burbarus* attinet, videtur illud mihi æquè ac Gallica vocabula *bourbe* & *bourbier*, derivandum eſſe à græcâ voce *βόρβορος*, quæ *cœnum, lutum* & *limum* ſignificat; nempe quia hujuſmodi piſces *limoſis aquis* vel *limoſâ aquæ profunditate* præcipuè delectantur, & in ijs maximè pingueſcunt.

Veronenſes deinde biennio pòſt Caſtellum in ripâ Padi, quod Hoſtiliam vocant, jam anteà à Barbaris everſum, communivere] Pag. 43 verſ. 21, 22. Secundùm *Onuphrium Panvinium* contigit hæc Caſtelli *Hoſtiliæ* reſtauratio & communitio A.C. 1151 ſub *Imp. Conrado III.* Ipſa ejus verba libro ſeptimo Antiquitatum Veronenſium pag. 180 ſunt hæc: *Anno Salutis milleſimo centeſimo quinquageſimo primo Oppidum Hoſtilia ſuper Padum ſitum in Agro Veronenſi, (1) vetuſtate dirutum & pœnè deſolatum, incolis multis accitis, à Republicâ Veronenſi reſtitutum fuit.* Idem multo etiam prolixiùs narrat & confirmat *Hieronymus dalla Corte* Hiſtoriæ Veronenſis libro quinto pag. 244 & 245 his verbis: *In queſto tempo Veroneſi, che gran parte dell' antica generoſità ritenevano ancora, andavano continuamente penſando, come con qualche preclara opera poteſſero fare il lor nome immortale, & alla fine ſi riſolſero di fabricare nella lor terra di OSTIGLIA un Caſtello in riva al Pò, dove terminavano la loro giuriſdittione, & eſſendo la materia e l' altre coſe neceſſarie preparate, gli diedero principio l' anno del parto della Vergine MILLE E CENTO CINQVANT' VNO. Ma perche da MANTOVANI, che pretendevano quella eſſer lor giuriſdittione, furono con l' arme moleſtati, fu lor biſogno metter gente inſieme, & hebbeſi queſto oltraggio da Mantouani tanto da tutti a male, che non pure la gioventù, ma buona parte de' vecchi ancora, ſi della Città, come del Contado, con grandiſſima velocità e prontezza corſero a darſi in nota, e pareva loro ogni ora un' anno d' eſſere alle mani con nemici, per caſtigargli di tanta loro temerità. Fatto addunque un buono eſſercito, e quello ſotto la ſcorta d' alcuni loro valoroſi Cavaglieri e Cittadini al luogo, dove il Caſtello ſi fabricava, mandato, furono fatte molte zuffe con gran gloria de' noſtri e danno de' nemici; i quali non ſi conoſcendo baſtanti a potere più contraſtare,*

(1) Secundùm *Platinam* fuit illud à Barbaris everſum.

traſtare, chieſero ajuto a molti popoli loro amici, e l' hebbero. Onde Veroneſi furono aſtretti di fare il medeſimo anch' eſſi: e coſi ingroſſati gli uni e gli altri di genti, erano per fare a tempo nuovo qualche ſegnalato fatto d' arme con gran danno d' ambedue le parti, ſe la divina miſericordia non vi ſi foſſe interpoſta, e co'l mezo dell' Imperatore non v' haveſſe rimediato. Corrado adunque di queſto nome Terzo, che (1) poco avanti da gl' Elettori era ſtato eletto Imperatore, havendo inteſo con quanto ſdegno e furore cercaſſero queſti due popoli di diſtruggerſi l' un l' altro, accioche non ſeguiſſe ſi gran danno, e perche ſi trattava anco dell' onor ſuo, tenendo il grado che tenea, toſto per onorati Ambaſciatori a gli uni & a gli altri intimò, che doveſſero depor l' arme, & a lui mandare ſenza dimora, chi le loro ragioni diffendeſſero, perche egli intendeva di volere le loro differentie terminare. Si contentò l' una parte e l' altra, & al commandamento dell' Imperatore obedendo, mandò chi davanti a lui le ſue ragioni e giuriſdittioni diffendeſſe e ſuſtentaſſe. Ora havendo più volte Corrado queſti e quelli aſcoltati, havutone il parere d' alcuni ſuoi Baroni e Conſiglieri di gran prudentia & autorità, finalmente ſententiò, che de' Veroneſi eſſer doveſſe la giuriſdittione di Oſtiglia, per molte ragioni, ma maſſimamente per haverla eſſi longhiſſimo tempo poſſeduta, hauendovi fino al tempo de gl' Oſtrogotti ſotto Theodorico Amalo alcuni di loro fabricati molti onorati e ſontuoſi edificij, i quali erano poi ſtati da ſuo poſteri in fin a quel tempo goduti. Queſta ſententia allegrò tanto gli animi de' Veroneſi, che doppo havere devotamente rendute le debite gratie al grande Iddio, ne fecero per tre giorni e notti continue con fuochi grandiſſime feſte & allegrezze. E perche per la guerra s' era tralaſciata la fabrica del Caſtello, tanto ſollicitarono, che l' anno, che appreſſo ſeguì, MILLE CENTO CINQVANTA DVE lo compirono, dandogli quella belleza e forma, nella quale ſino al dì d' oggi ſi vede. Hucuſque *Hieronymus dalla Corte.* Jam citati igitur duo Autores, quibus ipſe hâc in re aſſentior, *primam* illam Caſtelli Hoſtiliæ reſtaurationem referunt ad annum Chriſti 1151; *Platina* autem eandem ſcribit contigiſſe quinquennio circiter poſt Vrbis Veronenſis per Ducem Auſtriæ receptionem, quæ ſine ullâ controverſiâ poſt annum Chriſti 1156 contigit; utpote cùm certo certiùs conſtet, Auſtriam ante jam memoratum annum 1156 nullum habuiſſe *Ducem*, ſed tantùm *Marchionem*. Cæterùm *prima* hæc inter Veronenſes & Mantuanos de Caſtello *Hoſtilia* contentio, per *Imp. Conradum*

(1) Immò tredecim circiter annis antè. Fuit enim *Imp. Conradus III* electus A. C. 1138.

Conradum III deciſa, minimè confundenda eſt cum *ſecundâ* illa contentione, quæ inter eoſdem eâdem de cauſâ anno Chriſti 1199 contigit, & ab *Onuphrio Panvinio* in ſuprà citatis Antiquitatibus Veronenſibus memoratur his verbis: *Anno Salutis milleſimo centeſimo nonageſimo nono, Ægidio Comite Curtis nova Vicentino Prætore Vrbis Veronæ, cùm Veronenſes Caſtrum HOSTILIÆ ſuper Padi ripas in Agro Veronenſi ſitum, vetuſtate* (immò (1) inundatione) *XI Februarij dilabens, renovare cœpiſſent, atque à MANTVANIS prohiberentur, prælio adverſus eos apud Pontem Molinum geſto, ingenti victoriâ potiti, multos ex eis ceciderunt; multos item captos Veronam in carceribus adduxere XV Kal. Julij.* Hæc *Onuphrius.* Eandem rem *Hieronymus dalle Corte* ſub eodem anno pag. 316 aliquanto fuſius narrat hoc modo: *L' anno MILLE CENTO NOVANTA NOVE eleſſero Veroneſi per Podeſtà di Verona M. Gilio da Corte nuova, Gentilhuomo Vicentino, il quale havuta diciò la nuova, deſiderando, come perſona ſopra modo umana e corteſe, di compiacere a tutti, volontieri accettò il carico; e venuto il tempo del ſuo governo, à Verona ſe ne venne, dove in maniera ſi diportò, che a tutti diede grandiſſima ſodiſfattione. Nel qual tempo eſſendo dall' INVNDATIONI paſſate, quaſi del tutto ruinato il Caſtello d' OSTIGLIA, deliberarono Veroneſi per honor loro di farlo reſarcire, e ridurlo in miglior forma e maggior belleza, di quel ch' era prima; e perciò toſto mandarono la gente, che queſto procuraſſero. Ma perche MANTOVANI, invidioſi pure della gloria Veroneſe, non oſtante la ſententia fatta, come ſi diſſe, dall' Imperatore Corrado a favore de' Veroneſi, moleſtavano continuamente gli agenti & operarij de' noſtri, furono coſtretti prender l' armi, e farſi in contra a tanta inſolentia e temerità loro. Meſſe adunque inſieme molte genti, ſe n' andavano ſotto la ſcorta del lor Podeſtà verſo Oſtiglia, quando furono improviſamente da Mantouani, che gli havevano havuto per iſpia, poco oltra Ponte Molino aſſaliti, e perciò coſtretti contra lor voglia, per eſſer in luogo diſſuantaggioſo, venir al fatto d' arme; il quale fù molto crudele e ſanguinoſo, e buona pezza durò, ſenza che dall' una o dal altra parte ſi diſcerneſſe vantaggio alcuno. Ma avicinandoſi homai la notte, Veroneſi da grandiſſima colera ſoſpinti, urtarono con tanto impeto in quelli, che lor mal grado gli fecero voltar le ſpalle, e laſciando molti de i loro feriti, morti, e prigioni, metterſi vituperoſamente in fuga; de' quali però pochi, come vogliono alcuni, ſi ſalvarono, perche quaſi tutti in quelle paludi s' affogarono: e Veroneſi lieti di tanta vittoria, co' prigioni, e con l' inſegne de' nemici ſe ne tornarono nella*

(1) Vide paulo pòſt *Hieronymum dalla Corte*.

nella Città, laſciati però alcuni, che ſollicitaſſero la fabrica, e per ogni occaſione, che avenir poteſſe, foſſero preſti a difender i loro. Leggeſi, che con tanta ſollicitudine lavorarono, che prima che finiſſe l' anno, ridußero in buoniſſimo ſtato il Caſtello, e che l' anno, che ſeguì, lo fornirono. Hucuſque *Hieronymus dalla Corte.* Plura de pervetuſto illo ac celebri *Vico Hoſtiliâ*, vulgò nunc *Oſtiglia* & corruptè *Oſteía* dicto, cujus *Plinius Senior* Hiſtor. Natur. lib. 21 cap. 12, *Cornelius Tacitus* Hiſtoriarum lib. 3, & *Itineraria antiqua* nominatim meminerunt, vide apud *Philippum Cluverium* Italiæ Antiquæ lib. 1 cap. 26, pag. 257 & 258.

Pag. 44 vers. 7, 8, 9. Anno octogeſimo octavo ſupra centeſimum & milleſimum Pons ille: quem Molinorum appellant, magnâ populi impensâ exſtructus] Secundum *Antonium Poſſevinum Juniorem* abſolutus eſt *Pons* ille (1) *Molendinorum* anno Chriſti *milleſimo centeſimo nonageſimo octavo.* Ipſa ejus verba Hiſtoriæ Gonzagæ lib. 2 pag. 155 & 156. ſunt hæc: *Civitatem planam ſitu, quamvis in muro ac foſſis ſatis tutelæ habere videretur, frequentia tamen per Italiam prælia, & inter vicinos dimicationes effecerant, ut nihil tutum, niſi quod inexpugnabile, nihil ſecurum crederet, niſi quod ſine præſidio ſervari poſſet. Repertum ergo plures ante annos fuerat, ut Mincius boreali parte, modico alveo præterfluens, objectis molibus intumeſceret, ſtagnúmque imperium hoſtibus objiceret. Sic ex ſitu & viribus Civium ſpectabatur: non expenſam, non laborem aſpernantibus incolis, ubi in Patriæ utilitatem ac ſecuritatem impenderentur. Id olim objectu aggeris ſatis proviſum videbatur. Sed utilitati quoque conſulendum cenſuere, ut eodem opere præſidium & quæſtus haberentur. Ingentibus itaque muris Pons Molendinorum exſtructus eſt, cujus media fluvio Mincio exitum per anguſtias præberent, ut vis aquarum arctata, majori impetu decurreret. Ejus pars terendis frugibus, pars trabibus in aſſeres ſecandis, pars lanarum purgationi, etiam conficiendæ papyro alia ſepoſita. Et, ut tot eruptionibus fluminis exilitas ſatis eſſet, non quovis arcu egreſſui libertas data, ſed arbitrio opificum, obſerari ductus aut reſerari placuit, exhauriendæ aquarum multitudini, aut congregandæ, prout uſus expediret. Rarum & maximis Vrbibus par opus, tùm inceptum;*

(1) De vocibus *Molendinum* & *Molinum* pro loco, ubi molitur, & pro ipsâ molâ, quas antiqui puræ latinitatis autores neſciunt, vide *Gerard. Ioan. Voſſium* de Vitijs Sermonis & Gloſſematis Latino-barbaris lib. 3 cap. 27, pag. 508, 509.

ptum; milleſimo centeſimo nonageſimo octavo Chriſti anno abſolutum eſt, tot annorum expenſâ ac labore, ut eodem loco inſculpti verſus clarè docent. Hæc *Poſſevinus.* Vtinam autem is ipſos illos antiquos verſus, quorum ibi meminit, Hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſet! magnas ipſi eo nomine poſteritas deberet gratias. Meminit enim eorundem verſuũ etiam *Marius Æquicola* Libro primo Chronici Mantuani; ſed ita, ut in numero annorũ non exigua ſit differentia, quia ibi pro *Anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo* legitur *Anno milleſimo centeſimo nonageſimo, octavâ Indictione.* Ipſa ejus verba ſunt hæc: *In queſti tempi & poco inanzi prudenti in caſa Mantuani & fuora ſi ampliarno. Cominciarno il Ponte de Molini, dove ſono* VERSI *ſcritti neli* MILLE CENTO NONANTA, OCTAVA INDICTIONE; *li quali fece como qui ſculto appare, Raymundo ſcrivano. Tenore de dicti* VERSI *è, che nuove Rectori & tre Procuratori regono la Cità Vergiliana: nomina li, & afferma haver fatti dodici molini & il bel Ponte, & Alberto Pitentino eſſere ſtato il Magiſtro.* Hæc *Marius Æquicola.* Et certè, ſi quis accuratas atque incorruptas Tabulas Chronologicas conſuluerit, re verâ inveniet, *Indictionem octavam* maximâ ſuâ parte anno Chriſti *milleſimo centeſimo nonageſimo* reſpondere. Hæc igitur controverſia decidi non poteſt niſi per oculatos teſtes in ipsâ Vrbe *Mantuâ.*

Oritur ſequenti anno Sordellus] Meminit hujus *Sordelli Raphael Volaterranus* Commentariorum Vrbanorum libro quarto in recenſione *Rerum Mantuanarum* his verbis: *Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo vigeſimo* SORDELLVS *Mantuæ Princeps habebatur, vaſtitate corporis ac virium nulli ſuâ ætate ſecundus. Sæpè cum fortiſſimis congreſſus, ex provocatione victor fuit. Accerſitus à Rege Gallorum, cùm primùm coràm adeſſet, negarétque Rex per jocum eum eſſe Sordellum, eveſtigiò deceſſit, revocatúſque ac interrogatus, cur abiret: Vt, inquit, Mantuâ teſtes adducam, qui de me probent. Ecelini, Veronæ Principis, ſororem duxit, ab eâ magno ſtudio per amorem expetitus, cùm clàm incognita Mantuam uſque veniret. Ecelinus hujus occaſione affinitatis Sordellum poſteà ſæpè de Mantuæ proditione fruſtrà tentavit: tanta illi viro dominandi cupiditas fuit.* Hæc *Volaterranus*; eademque confirmat *Leander Albertus* in Deſcriptione Lombardiæ Tranſpadanæ, ubi ab eo appellatur *Sordellus ex Vicecomitibus Goitinis, Vir ſtrenuus & prudens, qui primus omnium poſt Mathildem Comitem Mantuæ Princeps fuit;* Italicè: *Sordello de i Viſconti da Goito, huomo prudente & prode, il qual fu il primo Prencipe di Mantoua*

Pag. 44 verſ. 24. 25.

toua dopo la Conteſſa Matilda. Similiter etiam *Antonius Poſſevinus Junior* Hiſtoriæ Gonzagæ lib. 2 pag. 142 ſcribit, *Sordellum Mediolano quidem oriundum, Goiti tamen* (quod Oppidum, ad *Mantuanam* ditionem pertinens, & ab Vrbe *Mantuâ* ad dexteram *Mincij* ripam decem circiter milliaribus ſupernè diſſitum, *Platina Godium* vocat) *& natum & educatum eſſe.* Huc igitur reſpicit excellentiſſimus Poeta Florentinus, *Dantes Alighierius*, qui ipſo *Sordello* adhuc (1) ſuperſtite ac florente A. C. 1265 natus eſt, dum illum in Cantu ſexto præclari Poematis ſui de Purgatorio introducit alloquentem *Virgilium* his verbis:

- - - O Mantouan, io ſon S O R D E L L O
De la tua terra; - - - - - - - - -

Ad quæ verba *Benevenutus Imolenſis* in Commentario ſuo in *Dantem*, A. 1466 typis Wendelini Spirenſis impreſſo in folio, ſic ſcribit: *Queſta anima era d' uno S O R D E L L O, che fu da Mantoa, & fu huomo di corte, & dicitore in lingua provenzale.* Item *Chriſtophorus Landinus* ad eundem *Dantis* locum: *Fu S O R D E L L O Mantouano, & huomo molto ſtudioſo, & inveſtigatore di qualunq; per alcuno tempo foſſe ſtato di dottrina, o d' ingegno, o di conſiglio excellente, & ſcriſſe un Volume, loqual intitolò T E S O R O D E' T E S O R I, che tratta di ſimil coſe.* Tùm quoque *Alexander Vellutellus* in eorundem verborum expoſitione: *Finge il Poeta haver trovato l' anima di S O R D E L L O Mantouano, per havere ſcritto un Libro da lui intitolato il T E S O R O D E' T E S O R I, nel qual trattò de famoſi geſti di tutti quelli, che ſeppe eſſere ſtati excellenti nel governo de' Regni, de le Republiche, de' Magiſtrati, de' quali nel ſeguente Canto vedremo. Il Poeta referiſce anco di coſtui nel primo libro de la ſua volgar eloquentia, che fu buon Compoſitore di Rime volgari, e di tanta eloquentia, che non ſolamente ne Poemi, ma in ogni modo che parlaſſe, abbandonò il Lombardo volgar della ſua patria.* *Marius* etiam *Æquicola* in Chronico ſuo Mantuano Poematum *Sordelli* ſpecimen, cum interpretatione ſuâ è regione adjunctâ, exhibet hoc modo: *Benevenuto d' Imola afferma, S O R D E L L O eſſer ſtato bel dicitore in lengua provenzale; &, perche noi havemo vedute ſue compoſitioni, ne e parſo ponerne qui una la quale e queſta.*

Tenſa

(1) Nam ſecundùm *Marium Æquicolam*, *Leandrum Albertum* & *Hippolytum Doneſmondum* obijt *Sordellus* A. C. 1274.

Tenſa de Sordel & de Peyre Guilhem.

En Sordel, que vos en ſemblan
De la pros Conteſſa preyſan?
Car tout diſon e van parlan,
Que per ſamor etz ia vengutz,
E quen cujatz eſſer ſos drutz,
En blanchatz etz por ley canutz.

Peyre Guilhem, tot ſon affan
Miſt Dieu in ley far per mon dan.
Las beutatz, que las autras an
En mens el pres ſon menutz.
Ans fos ab emblanchatz perdutz
Che ſo non fos advengutz &c.

Ragionamento di Sordello & di Pietro Guilielmo.

O Sordel, che vi pare
De la gẽtil Cõteſſa da eſſere preigata?
Che tutti dicono & vanno parlando,
Che per ſuo amore ſete qua venuto,
E che penſate eſſer ſuo amante,
Et inbiancato ſete per lei & canuto.

Pier Guilielmo tutto ſuo affanno
Miſe Dio in far lei per mio danno.
La beltà, che l' altre hanno,
E niente & loro prezo e poco.
Prima foſſe con ſi canuti perduto,
Che queſto ne foſſe adcaſato, &c.

Notabile autem eſt, ab omnibus *tribus* ſuprà citatis Poematum *Dantis* Explanatoribus non aliter mentionem fieri *Sordelli*, quàm tanquam *hominis literati*, & potiſſimùm quidem *Poeſi* atque *ſtudio Hiſtorico & Politico* dediti, non autem tanquam *Viri bellicâ virtute illuſtris* & *Principis Mantuani*. Hoc enim propterà præcipuè obſervandum eſſe moneo, quia *Anonymus S. Juſtinæ Patavinæ Monachus*, qui res in *Lombardiâ* & vicinâ *Marchiâ Tarviſinâ* ſuis temporibus geſtas, ab anno Chriſti *milleſimo ducenteſimo ſeptimo* uſq; ad annum *milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum* tribus libris diligenter & accuratè conſcripſit, & à *Chriſtiano Vrſtiſio* Baſileenſi in Syntagmate Hiſtoricorum Germaniæ illuſtrium, Francofurti ad Mœnum typis Wechelianis A. 1585 impreſſo in folio, primùm editus eſt, in narratione *rerum Mantuanarum* non ſolùm nullam *Principatûs Sordelli in Vrbe Mantuâ* facit mentionem, verùm etiam ipſum *Sordellum*, ac ſi nunquam in rerum naturâ fuiſſet, generali ſilentio præterit. Contrà autem refert is expreſsè, *Mantuam* A. C. 1236 & 1237 fuiſſe gubernatam à *Comite* quodam *Sancti Bonifacij*. Ipſa ejus verba ſunt hæc: *Anno Domini MCCXXXVI Vir nobilis & venerabilis Guidotus, Epiſcopus Mantuanus, in Monaſterio S. Andreæ, in diebus Rogationum, ab Advocatis crudeliter eſt interfectus. Contra quos inſurrexerunt communiter Mantuani, & deſtructis eorum domibus & turribus, ipſos*

ipſos de Mantuâ cum ſuis fautoribus expulerunt. At illi confugêre Veronam ad Eccelinum, qui erat refugium omnium peſſimorum. COMES *autem* SANCTI BONIFACII (nempe ſecundùm Franciſcum Sanſovinum RICCIARDO ſive RICARDVS) *toto tempore guerræ* MANTVAM *viriliter gubernavit contra Imperatorem & contra perfidum Eccelinum, & ſtrenuè ſe geſſit in omnibus & conſtanter. Anno Domini igitur* M CC XXXVII *factâ pace inter Imperatorem & Mantuanos &* COMITEM SANCTI BONIFACII, *qui Mantuam obtinebat, obſidio longa Caſtri S. Bonifacij eſt ſoluta.* Hæc *Anonymus* ille *S. Juſtinæ Patavinæ Monachus.* Quorum uberiorem illuſtrationem vide apud *Franciſcum Sanſovinum* in Opere de Origine & Geſtis Illuſtrium Familiarum Italiæ ſub titulo *Signori San-Bonifacij.* Hinc igitur haud obſcurè elucet, cur etiam *Cæſar Campana* in Recenſione Illuſtrium Familiarum, quæ diverſis temporibus & rationibus *Mantuæ* imperârunt, *Sordellum* ſilentio prætermiſerit.

ANNOTATIONVM PETRI LAMBECII
IN PLATINÆ HISTORIAM MANTVANAM,
PRÆTER SPEM INTERRVPTARVM,
FINIS.

Errata typographica manifeſta, ut *fragula* pro *tragula*, *Seneatus* pro *Senatus*, & alia ejus generis, quibus indicandis & ſingulatim recenſendis in præſens non poſſum immorari, Benignus Lector per ſe corrigat. Reliqua autem obſcuræ & ambiguæ lectionis loca, quæ majori indagine indigent, alio poſthac commodiori tempore ipſe explanabo.

Admonitio ad Bibliopegum de Iconiſmis æri inciſis:

1. *Effigies Platinæ* collocanda eſt ante paginam primam;
2. *Carrocium Cremonenſe* pertinet ad pag. 477.
3. *Carrocium Patavinum* pertinet ad pag. 480.

5854C71

Digitized by Google

Digitized by Google